BIBLIOTHECA HISTORIAE LITTERARIAE SELECTA

CVIVS

PRIMAS LINEAS DVXIT

BVRC. GOTTH. STRVVIVS

ICTVS ET HISTORICVS IENENSIS

POST

VARIORVM EMENDATIONES

ET ADDITAMENTA

OPVS ITA FORMAVIT

VT FERE NOVVM DICI QVEAT

IOHANNES FRIDERICVS IVGLER

MAGNAE BRIT. REGI A CONSILIIS ET ACAD. EQVESTR. LVNEB. INSPECTOR.

TOMVS II.


cum Priv. S. R. Maiest. Polon. et Seren. Elect. Saxon.



IENAE

SVMPT. CHRISTIAN. HENR. CVNONIS

MDCCLXI.



LECTORI BENEVOLO

S.



En! Bibliothecae litterariae continuationem, quâm ſatis Tibi diu debeo. Impedimento fuere, inter alia, varii caſus acerbi, qui animum quandoque ita diſturbarunt, vt ad nihil minus, quam ad ſcribendum, aptus videretur. Interea tamen temporis, quam primum poſt nubila Phoebus redire coeperat, ſtrenue occupatus fui in ne-

gotio moleſtiſſimo quidem, at ſemel ſuſcepto, omnesque intendi neruos, ne poenitentia libri mei emtores ſubiret.

Calcaria ſponte currenti addiderunt cum perhumana de Tomo priore, ſeptem abhinc annis euulgato, Virorum praeſtantiſſimorum iudicia, quibus ea propter gratias hoc eſſe loco agendas exiſtimo: tum conatus in primis clariſſimi FISCHERI, qui eodem tempore nouam *Introductionis Struuianae* editionem prodire in lucem iuſſerat, haud inſcius, talem a me iam pridem parari. Quo Vir doctus ſucceſſu falcem in alienam immiſerit meſſem, ego decernere non auſim: videant hoc et perpendant peritiores.

Ad me quod attinet, malui per aliquot annorum ſpatium coeptam pertexere

xere telam, quam feſtinatum librum ac tumultuarium protrudendo Rem publicam fraudare litterariam, abs qua verendum erat, ne has meas ſchedas, iuſtis ex cauſſis, ablegaret ad piper, et quicquid chartis amicitur ineptis.

Terram certe leuem adhuc precor cineribus hominum celeberrimorum, MENCKENII KAPPIIque, Lipſiae quos olim fautores habui, mirifico meis inſeruiendi Muſis ſtudio incenſos, qui ſaepe iuueni, ſcriptioni intento, ſuaſerunt, vt lento procederem gradu, nec bibliopolarum tabernas nullius momenti Voluminibus onerarem. Ad maturiorem deinde aetatem prouectus, ſatis perſpexi, quam recta mihi ac ſalutaria conſilia dederint candidiſſimae animae, inter coelites nunc triumphantes.

Haec autem non ideo immiſcui, LECTOR, vt perfecta abs me, omnibusque abſoluta numeris, exſpectes; bene nimirum gnarus, quam ſit mihi curta ſupellex, quam exiguum ingenium: ſed ne longae cunctationis cauſſas requiras, quae retardarunt impetum ad finem perducere deſtinata cupientis.

Obſtitit copia dicendorum, quominus toto iam labore potuerim perfungi. Placuit itaque in tres Opus Tomos, mole non diſpares, diuidere. Alterum his Tibi nundinis offero, in quo, praeter mutata et adiecta plurima, adcuratiorem, ni fallor, ordinem reperies, quam olim adhibuit STRVVIVS. Quae reſtant tria Capita, ea propediem, Deo iuuante, ſequentur, Tomumque tertium, Indicibus locupletiſſimis inſtructum, abſoluent. Fore ſpes eſt, quum pleraque in promtu

ſubſi-

ſubſidia ſint, vt intra biennium liberare fidem queam, niſi caſus improuiſus denuo interuenerit. Nulli profecto parcam operae, ad alia adſpirante animo, maxime ad promiſſos dudum de Vitis Ictorum Commentarios ampliſſimos, quos, ne multa agendo nihil agerem, rariſſime continuaui adhuc in ſchedis meis.

Caeterum ſi Tomus hic alter non vbique Tibi ſatisfecerit, HONORANDE LECTOR, cogites, quaeſo, calamitoſiſſimum illud bellum, quod, longe lateque diſperſum in Germania noſtra, et litterarum, et librorum ſubinde commercium interrupit. Quaedam innotuere demum, iis paginis, quibus adſcribenda fuerant, iam iam excuſis, quae tamen ſuo tempore Tuos meosque in vſus conuertam. Pars quoque Capitis octaui

maiore


maiore forſitan diligentia indiget. Sed haec quoties ſuppreſſa difficili eſt ac deſperato morbo, quo iucundiſſima Vxor, inde ab huius anni incunabulis, vrgetur! Ego, vt laetior Tibi ſemper fortuna adfulgeat, opto integerrime, Tuoque me fauori de meliori commendo. Scrib.

Luneburgi, die xx. m. April.

CIↃ IↃ CCLX.



BIBLIO-



BIBLIOTHECAE HISTORIAE LITTERARIAE

CAPVT SEXTVM DE EPHEMERIDIBVS ERVDITORVM

SECTIO I. DE EPHEMERIDIBVS, QVAE SCRIPTA RECENSENT PARTIM RECENTIORA, PARTIM ANTIQVA; VEL NOVA SALTIM LITTERARIA INDICANT.

§. I. *Definitio Ephemeridum litterariarum, ac de vsu earundem et abusu.*

§. II. *Scriptores historici et critici de Ephemeridibus litteratis.*

§. III. *Photius an inter primos Ephemeridum scriptores sit numerandus?*

§. IV. *Gallis huius instituti origo est tribuenda, primumque horum Diarium Iournal des Savans inscribitur.*

§. V. *Gallorum Mercure galant.*

§. VI. *Memoires de Trevoux.*

§. VII. *Essais de litterature.*

§. VIII. *De aliis* Gallorum *Ephemeridibus.*

---

§. I.



Res litteraria inexhausta est, nec in tanta librorum, quae singulis annis crescit, multitudine satis excoli potest. Paucissimorum quoque ferunt rationes, vt omnes, qui venales sunt, libros comparent, omnes legant. Delectu igitur opus est, quem quidem non ex Bibliothecis tantum ac praeceptis, sed variis etiam eruditorum Ephemeridibus addiscimus. Hac autem voce intelligo libros, qui, promouendae rei litterariae caussa, singulis hebdomadis, mensibus, annisue prodeunt, et partim scripta tam recentiora, quam antiqua, exponunt, vel noua saltim litteraria indicant: partim diuersa scientiarum argumenta, a viris doctis pertractata, complectuntur. Illarum praecipuas iam, seruato, quantum fieri commode potest, ordine chronologico, paullo pleniore penicillo depingam; has eadem methodo in *sectione sequenti* proferre animus est. Omnes a me nemo facile exspectabit. Tanto enim numero pro-

protrusa sunt Diaria, vt plura dixeris in sola Germania pullulasse breui tempore, quam fungi nascuntur vna nocte, quae verba sunt IOH. BVRCH. MENCKENII *Orat. Academ.* p. 320.

De prioris vero generis Ephemeridibus disputari solet in vtramque partem. Sunt, qui adserere non dubitant, vsum earum exiguum esse, obruique per eas animum lectoris multitudine scriptorum, nec liberari eundem a praeconceptis opinionibus; quod fieri libro ipso perlustrato, felicius queat, quam sola huius recensione. Auctores simul Ephemeridum vanitatis arguunt, quoniam si parum sint eruditi, publicae exspectationi satis haud faciant: si excellant autem doctrina, longe nobiliori modo communicare cum aliis eandem possint. Conf. THOMASII *freymüthige Gedanken a. 1689. m. Dec. p. 1157. seq.* IOH. CHRIST. ERNESTI *Diss. binae*, quarum priori IOH. GVIL. BERGERVS adscriptus est Praeses, *de incommodo ex litteratis Ephemeridibus capiendo*, *Vitemb. a. 1716.* POLYCARP. LYSERI *Animaduersiones criticae in Ephemeridum litteratarum, in primis hodiernarum, methodum, ibid. eodemque anno*, et CHR. GODOFR. HOFFMANNI *Praefatio*, *Parti I. der aufrichtigen und unpartheyischen Gedancken über die Journale* praemissa. Nec optime de libris eiusmodi iudicasse videtur VLRIC. HVBERVS in *Dialogo de ratione iuris docendi et discendi, p. 98.* Opusculorum de methodo studior. iuris, ab illustri BVDERO editorum. *Caueamus*, ait, *offendere vel irritare genus hominum, cui tam potens famae instrumentum in promtu est. Videmus Ephemerides in manibus omnium doctorum et indoctorum versari, care vendi, cupide legi, vt sit in rebus nouitate sua lectori blandientibus. Et quamquam vera solidaque existimatio virtutis et doctrinae ab eiusmodi suffragiis non pendet, ideoque talia*

secus;

ſecus, quam mereare, publicata magno animo ſperni poſſint; tamen ſi verum eſt, contemtu famae plerumque etiam contemni virtutem, *viri prudentis eſſe videtur, nulla publicae approbationis adiumenta, praeſertim adeo late patentia, adſpernari.* Nimis ferociter in Ephemerides litterarias inuehitur, easdemque ex Republica bene conſtituta radicitus eſſe exſtirpandas, contendit Auctor libelli, *l'Eſprit des Journaux* inſcripti editique *Berol. an. 1716. in 8.* Ridiculo is et inficeto eſt ſtilo compoſitus, forte ab ipſo IVL. BERNH. A ROHR, cuius potiſſimum cauſſa agitur contra Adpendicem HOFFMANNI, *Parti XV. der aufrichtigen Gedancken über die Journale p. 153. ſq.* adiectam. Sed reſpondit illi mox alius quidam in *der kurtzen vnd gründlichen Anleitung, wie man die Journal- Quartal- vnd Annual-Schriften ohne Verſäumung ſeiner Studiorum zu bequemer Zeit, vnd mit groſſem Nutzen, leſen kann, wobey hinzugefüget ein vnpartheyiſches Vrtheil von dem Tractat de l' Eſprit des Journaux. an. 1716. in 8.* Negandum ſane non eſt, quum nobis non liceat ſemper ſingulos, quotquot occurrunt, libros perluſtrare adcuratius, eo nos ducere Ephemerides, vt in compendio ſciamus, quid praecipue in hoc illoue ſcripto tractetur, adeoque facili perſpiciamus negotio, quosnam ex libris innumerabilibus ſeligere ad noſtrum inſtitutum debeamus. Praeter excerpta quoque librorum rariſſimorum ſaepe, quos vix, niſi in Bibliothecis locupletiſſimis, videre contingit, nouas opiniones, noua inuenta, controuerſias et bella eruditorum, horum fata et ſingularia quaeuis, quae alias difficilius cognoſcuntur exinde addiſcimus. Conf. NEOCORI, ſiue Kuſteri, *Biblioth. libror. nouor.* in *Praefat.* vbi haec exſtant: *Inter ea compendia et adminicula, quae noſtra aetas iuuandis ſtudiis excogitauit plurima, haud ſcio, an non principem pene locum*

teneant Diaria illa, siue Ephemerides, in quibus varia doctorum virorum opera, quae passim in lucem eduntur, laudabili instituto recenseri solent. Quid enim vtilius et iucundius esse potest, quam intra paucas horas, quas in aliquot plagularum lectione colloces, cognoscere, quinam libri vspiam typis euulgentur, quid orbis eruditus moliatur, et quinam viri ingenii doctrinaeque gloria saeculum nostrum prae caeteris illustrent. Personatus ille VIGNEVL-MARVILLE in *Melang. d'Hist. et de Litterat. Vol. I. Roterd. an. 1702.* excuso, *p. 290. sq.* et reuerendus Vir, IO. GEORG. WALCHIVS, in *Praefatione*, quae ornat *Tom. I. des theolog. Bücher-Saals, Ienae an. 1749. in 8.* paucis quoque de hoc agunt argumento. Quae autem *Tubingae an. 1741.* plagulis duabus *in 4.* prodiit Oratio *de Ephemeridibus litterariis*, qua Auctor, PAVL. BIEBERSTEINIVS, Histor. Eloqu. et Poeseos quondam Professor, de origine illarum, instituto, variis titulis, iusto pretio, vsu denique et abusu disserere voluit, ea, quantum ego quidem perspicio, pueriles ad oratiunculas referenda est penitus, adeo vulgaria garriit vir bonus, inculto sermone Oratoris Academici personam miserrime sustinens. *Pagina 14. in fine* lacessit Gundlingium; sed vtinam vel mediocriter potuisset adsequi hominis spectatissimi doctrinam! Caussas, ob quas tanta auiditate scriptae lectaeque adhuc fuerint Ephemerides, nec verendum sit, ne institutum hoc prorsus omittatur, vide apud HOFFMANN. *l. c. in Praefat. Partis I.* Actum tamen esset de bonis litteris, si eorum valere ratio deberet, qui editarum in lucem scriptionum dignitatem et pretium ex Diariis et Ephemeridibus eruditorum vnice metiuntur, vti recte loquitur CHRISTOPH. WOLLIVS *Animaduersionum in Bibliothecae Belgicae conditores, Lips. 1733. 4. §. XLV. p. 64.* Haud omnes enim Ephemerides iis ornatae sunt virtutibus,

bus, quas PETR. BAELIVS, peritiſſimus huius rei artifex, in *Lettres choiſies*, *T. I. p. 176.* requirit. Idem, ſuperiori iam ſaeculo, de nimia Ephemeridum copia haud immerito conqueſtus eſt *T. II.* harum Epiſtolarum, *p. 563. edit. primae.* At quid nunc diceret Baelius, ſi noſtra tempora eius aetas attigiſſet?

§. II.

Non inelegans eſt, primumque in hoc genere, CHRISTIANI IVNCKERI Schediaſma hiſtoricum *de Ephemeridibus, ſiue Diariis eruditorum, in nobilioribus Europae partibus hactenus publicatis*, quod *Lipſiae* excuſum fuit *a. 1692. in 12.* Auctor in *Praefat.* Hiſtoriam ſpondet, in Epilogo autem *p. 302.* rectius fatetur, ſe delineationem tantum hiſtoricam Ephemeridum litterariarum exhibuiſſe, quae ipſa tamen delineatio variis etiam naeuis laborat. Non iniquum eſt certe IOH. CLERICI iudicium in *Biblioth. vniuerſelle Tomo XXII. p. 427.* vbi ſic ſcribit: *Cet Ouvrage eſt neceſſaire; mais il faut ajoûter, qu'il le ſeroit beaucoup, plus, ſi celui, qui l' a fait, avoit eté mieux informé, puisqu'il a commis diverſes fautes, qui empêchent, qu'on ne puiſſe faire fond ſur ce, qu'il ecrit, à moins, qu'on ne les corrige,* caet. Nec ignoraſſe id videtur ipſe Iunckerus; in memorato enim Epilogo *ſi vnum*, inquit, *inuenies forte et alterum, quod notam virgulamque tuam, Lector beneuole, mereatur, id vnice ſimul expende, primam viam non abſque titubatione, aut metu aliquo, iniri et hac in materia neminem mihi fuiſſe ducem, cuius veſtigia licuerit ſequi.* Itaque iam a. 1703. in *in Nouis litterar. german. p. 309.* ſecundam, eamque longe perfectiorem, promiſit editionem. Et congeſſiſſe hunc ipſum omnino emendationes ac ſupplementa tam copioſa, vt iuſtum formae quartae Volumen implere poſſint, memoratur in *der Neuen Hälliſchen Bibliothec, Parte*

 XLVI.

XLVI. p. 536. vbi simul vitam eius expositam legimus. Sed ignota mihi schedarum istarum fata sunt. Cf. STOLLII *Historie der philosophischen Gelahrheit, p. 20. edit. an. 1736.* adornatae. Exstat etiam in *Memoires de Trevoux a. 1712. m. Febr. p. 217. sq.* Ephemeridum Historia, repetita in *Journal des Sav. m. Oct. 1712. p. 444. sq.* qua dicta olim a Struuio emendantur passim supplenturque. Postea M. PAVL. HVNOLDVS conscripsit *curieuse Nachricht von denen heute zu Tage grandmode gewordenen Journal- Quartal- vnd Annual-Schriften*, caet. quod Opusculum inde ab a. 1713. aliquoties typis impressum, et nouissime *Ienae 1717. in 8.* si fides hac in re *Catalogo librorum* a IOH. HENR. BVRCKHARDO relictorum, *T. I. p. 159.* Sed quid in eodem vituperandum sit, optime docet REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae T. II. p. 707.* quo loco haec inter alia: *Multa in hisce commentationibus, et in iis quaedam κατα ῥητον desumsit ex D. Chr. God. Hoffmanni aufrichtigen Gedancken über die Journale caet. Multa historica et critica de Ephemeridibus litt. tradidit indiligentius. Quosdam etiam Homonymos confudit et elegantiae verborum non maiorem curam habuit, quam structurae rerum.* Copiosior est, parum tamen priore potior, H. P. L. M. (quibus sub litteris HENR. LVDOV. GOETTENIVS, Sacerdos olim Magdeburgensis, latet, teste STRODTMANNO *Parte VII. des neuen gelehrten Europa, p. 620.*) *gründliche Nachricht von den Frantzösischen, Lateinischen vnd Deutschen Journalen, Ephemeridibus, monathlichen Extracten, oder wie sie sonst Nahmen haben mögen, nach ihrem Anfange vnd Fortgang bis auf gegenwärtige Zeit. Lips. et Gardelebiae an. 1718. in 8.* Sequuta est *Continuatio ibid. 1720.* et *Continuatio altera an. 1724.* Cf. omnino REIMMANN. *l. c. p. 708.* In *Praefat.* prioris Continuationis monetur, oppido falli eos, qui Hunoldum et hunc Auctorem esse

eundem

eundem putant. *Anno* denique *1732.* vir doctiſſimus, IOH. ALB. FABRICIVS, in *Praefat. Polyhiſtori Morhofiano* praefixa, omnium, quae ipſi innotuerant, Diariorum Catalogum ſuppeditauit, auctum, at leuiter ſaepe, a IOH. IOACH. SCHWABIO, quum bibliopola Lubecenſis *a. 1747.* nouam Operis huius litterarii editionem produceret. Dictum iam eſt hac de re in *Tomo I. Bibliotb. noſtrae p. 51.* Dolendum ſane, Fabricium non paullo fuſius de praecipuis egiſſe Diariis, quod vir, in hiſce ſtudiis longe verſatiſſimus, efficere propitia Minerua poterat. Cf. quae ex Belgarum *Journal hiſtor. de la Rep. des Lettr.* monent *die Leipziger gel. Zeitung. a. 1733. p. 119.* Forte id laboris ſuſcipiet adhuc gener illius celeberrimus, HERM. SAM. REIMARVS, ſi ea recordetur, quae in *Vita Fabriciana p. 202.* ſcripſerat, deſideratur enim integra Diariorum hiſtoria, gratiſſima futura litteratis, vbi animum ad hoc argumentum conuertere voluerit laudatus Reimarus. Talem aliquando molitus eſt FRANCISC. DIONYS. CAMVSATVS, cuius inſtitutum egregium profecto, commendant *Acta Erud. Lat. a. 1735. p. 232. ſq.* Mox autem additur ibidem: *Belle haec excogitata omnia nemo non agnoſcit, ſed et ita comparata haud difficulter intelligit, vt vnius hominis, licet maxime longaeui et χαλκεντέρȣ et vitam et vires quam longiſſime ſuperent.* Expertus id ipſum eſt Camuſatus, anno quippe 1732. Amſtelodami rebus iam humanis ereptus. Interim tamen praeſtantiam Operis inchoati, paſſim licet erroribus maculari, perſpicere quilibet poteſt ex eiusdem *Hiſtoire critique des Journaux.* Prodiit liber *Amſtael. an.* 1734. *in 12. Tomis duobus*, qui vnum commode Volumen conficiunt. Ex *Praefatione* Editoris *p.* 17. intelligitur, primum hanc Diariorum Hiſtoriam lucem vidiſſe *Veſontii. a.* 1716. *in 4. ibidemque* 1719. *in* 8. auctiorem fuiſſe

 recuſam.

recusam. Supplere non nihil Camusatum studuit BOVCHERVS D'ARGIS in *Histoire abregée des Journaux de Iurisprudence Françoise, pour servir de Supplement à l' Histoire critique des Journaux de Camusat*, quod scriptum locum inuenit in *Nouveau Mercure de France, m. Iunio a.* 1737. *p.* 1261. *sq.* Critico examinauit oculo complura Diaria, tam litteraria, quam politica et historica, quidque in iis boni maliue occurrat, multa libertate aperuit laudatus supra HOFFMANNVS in *den aufrichtigen vnd vnpartheyischen Gedancken über die Journale, Extracte vnd Monaths Schriften*, cuius Operis *Pars I. Lips. a.* 1714. *Pars XXIV.* eademque vltima 1717. *in* 8. omisso scribentis nomine diuulgata est. A *Parte* tamen *decima et tertia* semper fere digreditur ab instituto priori, nec amplius Ephemeridum, sed ipsorum librorum tunc temporis editorum, censorem agit, vt adeo locum etiam inter Diariorum conditores mereatur. Cuilibet Parti praemissa est tabula aere excusa, quae ridiculos eruditorum mores satyrice delineatos, exhibet; eamque sequitur Praefatio, singulare quoddam argumentum, non minus iucundum lectu, quam vtile, pertractans e. gr. *de libertate sentiendi in Republica eruditorum; de misero eruditionis statu; de logomachiis eruditorum; de conscientia eruditorum; de origine, progressu vsuque censurae librorum; de decoro litteratorum* caet. Socium laboris Hoffmanno adiungit reuerendum virum, IACOB. GVIL. FEVERLINVM, tunc Altorfinum Professorem, CHRIST. ERN. SICVL in *Neo-Annal. Lips. Contin. I. ad a.* 1716. *p.* 443. Alia, quae huc pertinent, scripta recenset *Catalogus Bibliothecae Bunauianae, Tomo I. Vol. I. p.* 482. *sq.* Nolumus ea verbis iisdem repetere, vt belle fecit clarissimus FISCHERVS in sua *Struuiana Introductionis* editione *p.* 478. *sq.* ne nominato quidem loco, cui longam

hanc obſeruationem debebat. Is ipſe quantopere amplificarit Ephemeridum ſeriem, luculenter patet *l. c. p.* 553. *ſq.* Quis, quaeſo, ibidem requirat *Catalogos librorum ac diſſertationum*, a librariis quotannis excuſos, vel MOSERI *Ius Publicum Germanicum*, quinquaginta et quot excedit, Tomorum Opus?

§. III.

Scriptorum, qui Ephemerides compoſuerunt, dux et quaſi ſignifer vulgo habetur PHOTIVS, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cuius *Myriobiblon*, ſeu *Bibliotheca* ducentorum et octoginta librorum, quos ipſe legit, a ſe excerptorum et recenſitorum, primum Graece edidit, magnifico certe habitu, DAVID. HOESCHELIVS, *Aug. Vindel. a.* 1601. *in f.* quod tamen exemplar, in praeſtantiſſima typographia *ad inſigne Pinus*, de qua infra dicemus, adornatum, hodie parum occurrit. Recuſum eſt Opus, cum Latina ANDR. SCHOTTI verſione, *Pariſ. apud Henricum Stephanum a.* 1611. tandemque *Rothomagi a.* 1653. *eadem forma.* Sed et hae editiones, cum primis Stephaniana, librorum rariorum numerum augent, nec accepimus nouas, quas hoc ſaeculo moliti ſunt duumuiri doctiſſimi, Capperonnerius atque Boernerus, Theologus olim Lipſienſis. Vid. CAMVSAT *Hiſt. des Journaux, Tom. I. p.* 93. Exſtat ſingularis CONSTANTINI WOLFII *Diſſert. de Photio, Ephemeridum Eruditorum inuentore, Vitemberg.* 1689. *in* 4. cuius *Cap. I.* de Photii muneribus ciuilibus, eruditione et μυριοβίβλῳ, *Cap. II.* vero de methodo Photii in auctoribus recenſendis agit. Eiusdem eſt ſententiae IVNCKERVS *de Ephemerid. eruditorum, p.* 72. vbi haec: *Non errat, quisquis laudem inuentarum primitus eruditarum Ephemeridum tribuit Photio, Patriarchae Conſtantinopolitano, - - nam etſi eo nomine non veniat opus, quod is ſcripſit, - - - tamen*

men reapse nihil fere alienum in eo deprehendas ab instituto Ephemeridum recentiorum. Quamquam non diffitear, Photium ab his videri posse differre, quod libros aetatem suam iam antegressos pertractandos sibi sumat, cum hodiernae Ephemerides circa recens euulgatos tantum occupentur, ac praeterea recensus suos certo anni tempore emittant, iunctim vero suos Photius conscripserit. Sed quum vterque haesitet adhuc ea in re, et WOLFIVS etiam *l. c. p.* 14. nonnihil discriminis inter Photii et Ephemeridum hodiernarum methodum agnoscat, facile patet, eum non esse in quieta satis stabilique huius gloriae possessione. Melius igitur faciunt, qui talem inuentionem ab illo saeculi noni Polyhistore deriuandam esse negant, propterea, quod varias tantum auctorum, hodie non exstantium, particulas vnum in volumen retulit, ac de iisdem adiecit iudicium suum, praemissa simul, si celebrioris essent nominis, breui eorum vita. Vid. FABRICII *Bibl. Graeca, Tom. IX. p.* 374. *sq.* Ephemeridum e contrario Scriptores longe latiorem ingrediuntur campum, libros scilicet vel editos iam, vel proxime edendos, indicantes, locum, annum formamque editionis, summa pertractati argumenti capita, controuersias porro eruditorum, vitas mortuorum, nouas inuentiones caet. memorantes, quae omnia docent luculenter, Photii institutum admodum exiguis circumscriptum cancellis fuisse, atque hoc ratione parum conuenire cum Diariis hodiernis. Cf. CAMVSAT *l. c. T. I. p.* 3. et HEVMANNVS in *Consp. Reip. litt. Cap. VI. §. 4. nota* (b) vbi obseruat, priorem Photio Augustinum suos ipsius libros recensuisse in Opere *Retractationum*; quae auctori nihil aliud sint, quam recensiones librorum, quibus addiderit subinde suae sententiae correctionem.

§. IV.

§. IV.

Veri potius Ephemeridum inuentores et architecti sunt GALLI. Praelusisse tamen huic ipsi conatui Georg. Villerum, bibliopolam Augustanum, eumque inde ab anno 1564. vsque ad a. 1592. Catalogum librorum nouorum, in nundinis Francofurtensibus venalium, edidisse, opinatur REIMANNVS in *Historia litteraria*, germanice scripta, *Parte I. p.* 203. *sq.* Imo iam a. 1546. istum Catalogum coepisse, diu post tradidit in *Catalogo Biblioth. suae T. II. p.* 97. Quae duo loca non mediocriter sibi repugnant. Sed in posteriori, quod patet ex LABBEI *Bibliotheca Bibliothec. p. 66. edit. Rothom. a.* 1678. culpa typothetae numeri mutati sunt. Interim, vt recte CAMVSATVS *T. I. p. 5. in medio* monuit, non leue discrimen est inter Catalogos librorum, ac Diaria litterata, ideoque res extra aleam posita, primum esse horum *Le Journal des Savans*, quod singulis lunae diebus, et primum quidem quinto mensis Ianuarii a. 1665. *Parisiis in 4. mai.* sesqui plagula diuulgauit, sub nomine d'Hedouville, quod erat cuidam a cubiculo eius, *) DIONYSIVS DE SALLO, Supremae Curiae Parisiensis Senator, *Pater* propterea omnium Diariorum vocatus a CAMVSATO *T. II. p. 108.* Is adiutores mox noui Operis nactus est Amabilem de Bourzeys, Marinum le Roy Dominum de Gomberville, Ioh. Capellanum, et alios, praecipue Abbatem, Gallois, quorum symbolis non, nisi adhibito delectu, vsus fuit, demtis additisue, prout ipsi conueniens vide-

*) Hoc imitatus est nuper exemplum illustris a POELLNITZ, Duci quondam Saxo-Weissenfelsensi a Consiliis intimis, qui *Frf. ad Viadr an. 1751. in 4.* germanice edidit *Notitiam historico-genealogicam generosae Gentis Wesenbeciae*, sed Cubiculari sui, Ehregott Ioh. Aug. Zeiz, nomen adposuit,

videbatur. Libros autem, qui prodierunt in vniuersa Europa, non indicabat tantum, sed eorum quoque aptam suppeditabat descriptionem, adiecto breui iudicio. Memorabat simul inuenta physica et medica, experimenta chymica, nouas Machinas excogitatas, Tribunalium et ecclesiasticorum, et ciuilium, Decisiones, fata item eruditorum, viuorum nouissime coetui ereptorum. Cf. *Praefatio typographi*, primis plagulis praefixa, vbi haec promittuntur generatim: *En fin, on taschera de faire en sorte qu'il ne se passe rien dans l'Europe digne de la Curiosité des Gens de Lettres, qu'on ne puisse apprendre par ce Journal.* Interdum etiam locum dedit scriptis iuridicis, ab his fere neglectis, qui postea Ephemerides litterarias composuerunt. Quoniam autem de Sallo ex veritate, nullam propendens in partem, aestimabat libros recentiores, adeo multorum in se odia incendebat vir bonus, vt publico mox Edicto supprimerentur huius Diarii primitiae, maxime instinctu Nuncii Pontificii, alimenta igni praestantibus Patribus Loiolitis. Nonnulla enim de libertate Ecclesiae Gallicanae, et contra Decretum Inquisitionis Auctori exciderant. Atque hinc illae lacrimae! Sic igitur conquiescebat cum die tricesimo mensis Martii, et Parte XIII, Diarium, cuius quidem continuatio ea lege non multo post permittebatur, si Dominus de Sallo schedas suas Censoris cuiusdam examini relinqueret. Sed repudiauit ille conditionem tam indignam, coeptique Operis curam maluit abiicere penitus, quam, praecisa sentiendi libertate, illud reddere imperfectum. En apertam caussam interrupti Diarii nobilissimi! Quae enim primus dispersit VIGNEVL-MARVILLE, et post eum plures alii secure repetierunt, lepidis nunc fabellis merito adiunguntur. Verba Pseudonymi in *Melanges d'Histoire et de Litterature,*

rature, Tom. I. p. 290. edit. Roterodam. a. 1702. haec sunt: *Mr. Sallo mourut la même année* (1665.) *d'une maladie, à la quelle les enfans des Muses ne sont guéres sujets, et pour la quelle il n'y a point de remédes dans Hippocrate, ni dans Galien: car il mourut de déplaisir d'avoir perdu cent mille écus; c'est à dire, tout son bien au jeu.* Cf. hic omnino *Lettres de Mr.* BAYLE, *T. III. Lettre 261. p.* 1002. *edit. Amstelod. an.* 1729. nec non CAMVSAT *l. c. T. I. p.* 50. et 53. qui etiam a *p.* 55. vsque ad *p.* 81. obseruationes suas in singulas Sectiones, a de Sallo editas, adiecit. Mortuus est a. 1669. eique, Colberti potissimum prouidentia, successit IOH. GALLÉSIVS, Abbas, cuius exstat Elogium in FONTENELLE *Eloges des Academiciens de l'Academie Roiale des sciences T. I. p. 124. sq. edit. Belg. a.* 1731. *in* 8. Is igitur a quarto mensis Ianuarii die a. 1666. continuandas suscepit has Ephemerides, alterumque Tomum inchoauit, cui praefixa sunt verba: *par le Sieur* G. P. i. e. *Gallois, Prêtre.* Quartus et quintus haec habens Sigla: *par le Sieur* G. P. A. D. C. i. e. *Gallois, Prêtre, Abbé de Cores*, ex quibus postremis litteris STRVVIVS olim effinxit Claudium, Abbatem de Comiers, Gallesii adiutorem; quod vero falsum est, vti docet CAMVSAT *T. I. p.* 228. *sq.* Vltimus, quem absoluit, Tomus *septimus* est, a. 1674. excusus. Sed non pari semper numero diuulgauit Sectiones. Anno enim 1667. *sedecim*; 1668. *tredecim*; 1669. *quatuor*; 1670. *vnam*; 1671. *tres*; 1672. *octo*; 1674. iterum *vnam* parauit Sectionem, cuius tarditatis caussa erat quotidiana, quae ipsi cum Colberto, Purpurato Regio, intercedebat, consuetudo. Recensiones eius plerumque sunt egregiae, cum primis quae ad Mathematica, Physica, Medica et Historiam naturalem pertinent. In iudicando tamen antecessore suo est circumspectior, et exemplo eius deterritus, et iussu publico ad

ad ſcribendi moderationem adſtrictus. Cf. hic omnino GVY PATIN *Lettr. choiſes*, *Tomo II. p.* 235. *ſq.* 248. 253. 259. 265. 292. *et* 311. *edit. Pariſ. an.* 1692. Interſeruit aliorum etiam ſcripta eriſtica et Obſeruationes breues, ex quibus lectores voluptatem vſumque percipere haud mediocrem poſſunt. Neglexit autem Galleſius notare mortem Virorum doctrina illuſtrium, nec anonymos quosdam ſcriptores detegere ſtuduit, nec in iudiciis ferendis ſemper adcuratus eſt, laudans interdum, qui laude indigniſſimi erant, aliquos e contrario perſtringens, quorum in litteras merita ſententiam longe mitiorem expoſcebant. Ab anno 1675. vsque ad exitum anni 1686. curam huius Diarii ſuſtinuit IOH. PAVL. DE LA ROQVE, Abbas, ideoque Tomus octauus exhibet litteras: A. D. L. R. i. e. *Abbé de la Roque*. Sed languidae ſunt ac ieiunae viri iſtius recenſiones, ſaepe etiam meras librorum Praefationes deſcripſit, vt plurimi hodie facere ſolent. Quumque iudicio neceſſario ad ſeligenda, quae lectorem reddere attentum queant, eruditione item ſufficienti deſtitueretur, euenit inde, vt craſſi paſſim errores irreperent. Praeter haec in laudandis ſcriptoribus ſtateram haud raro tranſiliit, quod ex primo ac ſecundo laboris ſui anno maxime perſpicitur: in poſterioribus enim moderatiorem omnino praeconem egit. CAMVSAT *T. II. p.* 11. *ſq.* Cf. *Lettres de Mr.* BAYLE, *T. I. p. m.* 215. *et* 216. Poſt interpoſitam aliquot menſium moram, die 17. Nouembris a. 1687. LVDOVICVS COVSINVS, vir eruditiſſimus, et Curiae monetariae Praeſes Ephemerides haſce Gallicas continuauit, munusque ſuum, ad finem anni 1701. vsque, laudabiliter exſequutus eſt, rarius aliorum ſuppetiis leuatus. Vid. CAMVSAT *l. c. p.* 41. *ſq.* vbi etiam *ſſ. IV.* ea tangir, quae non nullis diſplicuerant in Couſini laboribus, haud

haud magni tamen momenti ſunt. Elogia celebrium eruditorum, morte exſtinctorum, mira dexteritate compoſuit, recteque de illis ſcribit VIGNEVL-MARVILLE *l. c. p. m.* 297. *Les Eloges, que cet habile écrivain fait de tems en tems des hommes illuſtres de la République des Lettres, ſont ſes chef d'oeuvres.* Nouas mutationes annus 1702. attulit. Auctore nimirum IOH. PAVLO BIGNONIO, Abbate, auſpiciisque *de Pont Chatrain,* Cancellarii Franciae, ſingularis eruditorum Pariſienſium Societas coaluit, vt, quod vnius denegatum erat ingenio, maiori a pluribus ſtudio perficeretur, ac Diarium illud, iam exterorum ludibrio expoſitum, priſtinam reciperet dignitatem. Cenſores igitur librorum fuerunt in theologicis Ludou. Elias du Pinius; in Iurisprudentia Stephan. Raſſicodus; in medicis ac phyſicis Nicol. Andry; in mathematicis Bernh. Fontenellius; in Hiſtoria Renatus Aubert. Vertotius; in linguis et philologicis Iulianus Pouchardus; qui omnes ſingulis hebdomadis, per aliquot horas, in aedibus Bignonii, Directoris, commorari ſolebant. Du Pinio, anno 1703. ob reiectam Pontificis Romani Infallibilitatem, vt vulgo dicunt, exſuli, ſubſtitutus eſt ſtatim Bigreſius, Abbas, ac poſtea prioribus acceſſerunt Hauardus, Claud. Franc. Fraguerius, Petr. Ioh. Burettus, Mironus, Raguetus, Ioſeph. Saurinus, Matthaeus Terraſonus, Ludou. Hericourtius, Ioh. Paſtelius, aliique. Praefixa eſt Tomo triceſimo, ſiue Ephemeridibus anni 1702. Praefatio, quae de nouo ordine atque inſtituto plura docet. Locum quoque iterum dederunt Auctores Diarii Diſſertationibus varii argumenti ſelectis, a qua conſuetudine, a de Sallo ac de la Roque introducta, Galleſius atque Couſinus receſſerant. Anno 1714. Directoris prouinciam depoſuit quidem Bignonius, at recepit eandem anno 1724. Interea tem-

temporis haec delata fuerat Rochepotio, Daguesseau, de Voyer d'Argenson, et Abbati de Vienne. Anno 1733. praeter iam laudatos Burettum, Andry et Hericourtium, Resnelius, Abbas, in recensendis libris occupatus fuit, teste IORDANO in *Histoire d' un voyage litteraire p. 121.* Reliquos, qui nouissime id egerunt, nominat KAPPIVS in *notis ad* IVVENEL de CARLENCAS *Geschichte der schönen Künste und Wissenschaften, P. II. Cap. 22.* quo breuis Operis historia occurrit, *p. 292.* Sunt ii Resnelius iam memoratus, Vatry, Geinos, de la Dinte, omnes Abbates, Bruhierius, Medicinae Doctor, Montcavillius, Professor mathematum Regius, et Meignau de Tourigny, in suprema regni Curia Aduocatus. Nunc iis addendi Ioseph. de Guignes, Gabr. Henr. Gaillard, et Ludou. Anna Lavirotte, de quibus vid. *La France littéraire par* FORMEY. Lavirotte, Medicus, in flore aetatis anno 1759. decessit. Initio Diarium hoc Parisiis in forma quadripartita, vti supra diximus, deinde ab anno 1684. in hac et minori forma simul, ad minuendos exteris sumtus, editum fuit, atque ad hunc vsque diem quouis mense, non amplius seruato hebdomatum ordine, strenue continuari solet. Recuditur statim apud Amstelodamenses, ita, vt singulis mensibus prodeat Pars *in 12.* earumque sex Tomum expleant Indice instructum. Quae editio, iam volumina CLXX. superans, plerumque in Germania conspicitur, rarissime Authenticum Parisiense. Admiscent vero Bataui, inde ab anno 1713. exemplari suo nonnulla ex Diario Treuoltiensi, ne de aliis loquamur, quae monet CAMVSATVS *T. II. p. 116.* In Latinum etiam sermonem Ephemerides annorum 1665. vsque ad 1670. FRIDERIC. NITZSCHIVS, Mathematicus postea et Ictus Gissensis, conuertit editque *Lipsiae anno 1667. sq. in 8. Tomis V.* qui labor

bor elegans quidem ac ſatis fidelis dicitur in ipſo *Diario Pariſienſi a. 1068. p. 422. edit. Belgicae.* Sed alii contrariam fouent ſententiam. REIMMANNVS certe in *Catalogo Bibl. ſuae ſyſtematico-criticae, Tomo II. p.* 708. dictionem Auctoris Latinam non eſſe illimem plane, nec verſionem extra omnem erroris aleam poſitam, contendit. In honore tamen habendum librum addit, quia primus ſit in hoc genere, qui Latine conſcriptus, et quia non vbique occurrat. Cf. CAMVSAT *l. c. p.* 317. *ſq.* qui monet adhuc ſub finem §. II. Anglos etiam recenſiones quasdam ſua lingua transtuliſſe in *Philoſophical Transactions;* Nazarium item vtiliſſima quaeque, Italice verſa, ex Pariſienſi Romano Diario, *Giornale de' Letterati* nominato, inſeruiſſe. Nec deſunt alii, qui multa exinde, ea in primis, quae ad noua inuenta ſpectant, deſcripſerunt. Quae licet Operis teſtentur praeſtantiam; ſurrexerunt tamen varii eruditiſſimorum Virorum contra Criticos Pariſienſes, a quibus iuſto videbantur aſperius excepti. Horum praecipui ſunt Carolus Patinus, Tanaquillus Faber, Aegid. Menagius, Ioh. Claudius, Ioh. Harduinus, et Sam. Pufendorfius. Addidit IVNCKERVS *de Ephemerid. eruditorum, p.* 102. *et* 103. Ioh. Frider. Boeckelmannum, ac Thom. Bartholinum, eumque ſine vlla dubitatione ſequutus olim eſt STRVVIVS; ſed mea quidem ſententia tam leues ſunt Iunckeri, quibus id probare ſtuduit, rationes, vt optimo iure duumuiri illi ex eorum, quos produxi, aduerſariorum numero tolli queant. Anno 1707. occeptum eſt parare *Supplementa*, quae Pariſiis ſingulis menſibus prodierunt, eo conſilio, vt locum ibi haberent libri, quorum recenſionem, ob ſpatii inopiam, ipſi Diario inſerere non licebat. Quumque adcurati deſiderarentur Indices rerum praecipuarum et librorum, a Pariſienſibus memoratorum,

CORNELIVS A BEVGHEM, Senator ac bibliopola Emmericensis, *Amstaelod. a.* 1683. *in* 12. edidit: *La France Savante*, i. e. *Galliam eruditam, criticam et experimentalem nouissimam, seu manuductionem ad faciliorem inuentionem et cognitionem, non tam Scriptorum Operumque, quam Experimentorum, Obseruationum, aliarumque rerum, notatu dignarum, cuiusuis Facultatis, Artis et Scientiae, quarum Summaria in Ephemeridibus eruditorum huius celeberrimi regni, ab anno 1665. quo coeperunt, vsque ad annum 1681. recensentur. Iuxta seriem cognominum Auctorum ac titulorum adornatam, et in aliqualem Bibliothecae formam triplici conspectu, 1) chronologico, 2) personali, 3) reali, digestam.* Vides titulum satis speciosum. At amphora coepit institui currente rota, nihilque tandem, nisi vrceus, exiit. Nullius fere vsus hic labor est; ideoque laudem ipsi merentur Galli, quod de melioribus Indicibus conficiendis nunc toto pectore cogitant, eaque exsoluere student, quae iam anno 1744. publice promiserant. Cf. *die Leipz. gelehrten Zeitungen an.* 1744. *p.* 427. *sq.* Accepimus nimirum *an.* 1753. *sq. Tomos VI.* vtilissimi Operis hoc titulo *Paris. in 4. mai.* excusos: *Table generale des Matiéres, contenües dans le Journal des Savans, de l'edition de Paris, depuis l'année 1665. qu'il a commence, jusqu'en 1750. inclusivement, avec le nom des Auteurs, les titres de leurs Ouvrages, et l' extrait des Jugemens, qu'on en a portés.* Auctor ANDR. DECLAVSTRE, Sacerdos Lugdunensis, peruenit ad dimidiam circiter Alphabeti partem, additurus adhuc sex minimum Tomos alios. Conf. *Leipz. gelehrte Zeitung. an.* 1754. *p.* 729. et FORMEY *France littéraire p.* 155. Vel tribus verbis adhuc dicendum est de IEAN BAPTISTE DENIS *Recueil des Memoires et Conferences sur les Arts et les Sciences, presentées à Monseigneur le Dauphin, pendant les années* 1672. 1673. *et* 1674. *Paris. in 4.* et

Amstael.

Amſtael. 1673. *in* 12. cum figuris aeneis. Vere hic liber Supplementi loco eſſe poteſt Diario eruditorum, quod tunc temporis admodum lente continuabatur a Galleſio. Dedit autem Deniſius modo duas, modo tres, modo vnam Sectionem per menſtruum ſpatium: non nunquam etiam vnum menſem vel plures, praetermiſit ſilentio. Prioribus ſex ſcripta quaedam, proxime diuulgata, medica praecipue et phyſica, recenſet, talesque paſſim Obſeruationes et Excerpta ex Diario Nazarii Italico, Anglicoque Oldenburgii intermiſcet: deinceps vero, a Iulio menſe anni 1672, nil niſi experimenta ac Diſſertationes eiusdem argumenti proponit, et ſelectiores quidem, quae, per octo annorum ſeriem, in aedibus Auctoris, Conſiliarii et Medici Regii, ex eius et priuatorum quorundam natae ingenio fuerant. Deſiit inſtitutum anno 1674. quo ipſo binae ſaltim prodierunt Sectiones, primo menſis Ianuarii ac Februarii die. Cf. qui merito laudat laborem, CAMVSATVS *T. I. p.* 310. *ſq.*

§. V.

Hactenus de Diario, quod *Journal des Savans* inſcriptum eſt. Poſt eius initium, et anno quidem 1672. menſe Ianuario *Pariſiis in* 12. lucem vidit *Mercure galant*, quod opus incepit, et ad annum vsque 1710. quo mortuus eſt, continuauit IOH. DANNEAV DE VIZE'. Refert autem ille varia, quae menſe quouis acciderunt. Mixto igitur ordine leguntur *carmina in caſus complures*, *aliique ingeniorum luſus; ortus, obitus*, *atque elogia Principum*, *et illuſtrium vel muneribus ſuis*, *vel doctrina*, *virorum; ſaltationes ſolemnes; Cardinalium*, *Epiſcoporum et Abbatum renunciationes; nuptiae nuper contractae; receptiones eruditorum in Academias*, ſiue Societates

 publi-

publicas; *Orationes; festi dies, vel gaudii, vel luctus caussa indicti; librorum recensiones; pertractationes quaestionum curiosarum; inscriptiones; numismata; dissertationes litterariae* caet. quae omnia non ex Gallia modo, sed ex aliis etiam regionibus petuntur. Vid. IVNCKERVS *de Ephemerid. erudit. p.* 124. *sq.* ex cuius expositione patet, omnino hoc Diarium inter ea, de quibus iam agitur, esse constituendum. Initio, partim ob valetudinem aduersam, partim aliis de caussis, Auctor lento processit gradu, et quouis demum trimestri dedit Mercurium suum; cum Volumine sexto interruptum: deinde vero ab anno 1678. singulis mensibus Volumen exhibuit, quandoque etiam duo, praeter tres quatuorue Ephemerides extraordinarias, cuiuis anno additas, in quas ea reiecit, quae in ordinariis locum commodum habere non poterant. Talia Supplementa, titulo *L'Extraordinaire du Mercure galant* insignita, ab anno 1678. vsque ad an. 1685. prodierunt. IVNCKER. *l. c. p.* 122. et CAMVSAT *T. II. p.* 215. Varia iudicia de hac VIZEI Mercurio lata fuerunt. IOHANNES DE LA BRVYERE *dans les Caracteres, ou les moeurs de ce siecle*, qui liber adiectus est THEOPHRASTI *Characteribus ethicis*, ab eo Gallice versis, primumque editis *Paris. a.* 1688. *in* 12. post *Amstael. an.* 1701. iterumque an. 1720. *Tom. III. in* 12. *mai.* recusis, vbi *Tomo I. p. m.* 108. *edit.* *annum* 1701. praeferentis ita dicit: *Le Mercure galant est immediatement au dessous du rien.* Et in *Actis Eruditor. Latinis a.* 1689. *m. Augusto p.* 403. Mercurio illi, non nisi farraginem citra boni et mali, veri et falsi, discrimen coaceruanti, parum esse fidei tribuendum, adseritur. Add. BVDERI, Viri illustris *Neuester gel. Staat von Paris p.* 218. Acri etiam impetu Auctorem inuadit FRANCISC. GACON *dans*

dans le Poëte sans fard, ou discours satiriques sur toute sorte de sujets, 1701. in 8. ex quo libro longum adducit locum CAMVSATVS *T. II. p. 202. sq.* Inter alia, quod ad indicata scripta recentissima pertinet, sequentem in modum cogitata mentis eloquitur Satyricus:

Après quelques Sonnets, Impromptus, Madrigaux,
Le Mercure s'étend sur les Livres nouveaux,
Et prodiguant l'encens au flatteur mercenaire,
Il porte jusqu'aux cieux l'Auteur le plus vulgaire.

Videatur, qui de plurimis Vizei peccatis fusius disserit, at eumdem saepius defendit quoque, CAMVSATVS *l. c. p. 209. sq.* Nec indignus est Auctor omni patrocinio, iustamque de eo sententiam pronunciauit olim his verbis STRVVIVS: *Quidquid sit, licet selectum non adeo obseruauerit, multa tamen congessit curiosa et notatu digna, licet inspersis quibusdam nullius momenti.* Post Vizei obitum, anni scilicet 1710. initio, CAROL. RIVIERIVS DVFRENY a Ludouico XIV., cuius florebat gratia, facile priuilegium continuandi huius Mercurii caussa impetrabat. Mense igitur Iunio dicti anni prior ab eo Tomus editus est, quem caeteri vsque ad exitum an. 1713. sequuti sunt. Tunc enim nouus Auctor, varii ac mutabilis ingenii homo, pro quadam pensione, qua per vitae tempus reliquum quotannis fruebatur, cessit iura sua HARDVINO LE FEVRE, Topiario Parisiensi. Is mense Maio a. 1714. coepit laborem hunc, in quo tamen ne post mensem Octobrem a. 1716. pergeret, interdicto regio praepeditus fuit, ob impia quaedam, compluriumque honestissimorum virorum existimationi perniciosa, quae in schedas eius menstruas immigrarint. Successit cum ipso

mense Ianuario a. 1717. PETRVS FRANC. BVCHETIVS, Abbas, qui titulum Diarii mutauit nonnihil illudque *Nouveau Mercure* inscripsit. Hoc sub finem mens. Maii a. 1721. viuis erepto, ad ANTONIVM DE LA ROQVE priuilegium transiit, cuius, fratrisque IOHANNIS, quem negotii adiunxerat sibi socium, cura et diligentia effectum est, vt inde a mense Iunio anni 1721. sine dilatione prodierit Opus, *Mercure de France* nunc dictum, et quandoque binis Voluminibus per annum, extra ordinem, adauctum. Quid Dufreny Diario huic ornamenti attulerit, CAMVSATVS, seu librarius potius, Bernardus, qui Caput vltimum Historiae illius subtexuit, *T. II. p. 218.* ita exponit: *Son Mercure n'est pas, comme celui de son predecesseur, une Rapsodie parée seulement d'un beau language, ornée de phrases elegantes, mais qui avec cela renferme le bon, le mediocre, le mauvais, quelque fois aussi le detestable. Dufreny s'est tenu loin d'un défaut, dans le quel la complaisance, et peut être le mauvais gout avoient jetté de Vizé. On trouve dans le nouveau Mercure des Dissertations savantes et ingenieuses. Il a l'attention d'annoncer les decouvertes, qui peuvent piquer la curiosité des lecteurs: mais rien ne l'a plus fait estimer dans les païs étrangers, que le soin avec le quel il a evité la trop grande partialité, que l'on a toûjours reprochée à de Vizé.* Memorat deinceps *p. 224.* huius Auctoris, quem laudauit, Ephemerides *Hagae Comit. apud Iohnsonum*, permultis Belgarum additionibus locupletiores, recusas fuisse, sed tantummodo ad mensem Iunium vsque an. 1713. De Buchetio *p. 230.* scribit idem: *Le travail de l'Abbé Buchet fut agreable au public: il avoit soin de bien choisir les pieçes tant en vers, qu'en prose, et de ne mettre dans son*

ſon Mercure, que des hiſtoires intereſſantes. Fratres autem de la Roque ſequenti elogio *p.* 231. ornantur: *On doit dire à l'honneur de ces deux freres, qu'en general ils n'inſerent dans leur Mercure rien, que de bon et de choiſi. Ils en ont banni les hiſtoriettes galantes, et en un mot tout ce, qui eſt bas et frivole.* Iam ab anni 1755. initio auctor eſt Mercurii, quod ad litteraria pertinet, LVDOV. BOISSY, qui laborem in ſex diuidere articulos ſolet. Primus quippe ſcripta ingenii ſuauitatisque plena exhibet: alter acta Societatum litterariarum et librorum nouorum recenſiones complectitur: tertius Opuſcula, ſcientias et ſtudia elegantiora illuſtrantia, offert: quartus artibus vtilitate et amoenitate commendandis: quintus ſpectaculis: Sextus Nouis politicis, quae digna ſunt memoratu, conſecratus eſt. Nec ſolutus vnice ſermo, ſed ligatus etiam, hic locum habet, vt iam olim factum. Eduntur decem et ſex per annum Volumina, quae implent quatuor iuſtae molis Tomos. Tertius quiuis menſis in Partes eſt binas diſpertitus. Vnde nunc pretium etiam annuum ad quatuor et viginti libras Gallicas Pariſiis excreuit. Rarum in Germania Opus poſſidet, qui omnia Volumina huius Diarii adquiſiuit. Certe haud frequenter occurrunt in Bibliothecis inſtructiſſimis.

§. VI.

Excitaſſe videntur Pariſienſes induſtriam Patrum e Societate Ieſu, vt ſimile quid *Treuoltii* auderent. *Anni* enim 1701. initio coeperunt ibidem *Memoires pour l'Hiſtoire des Sciences et des beaux Arts in* 12. quod inſtitutum iuſſui atque auctoritati Ducis Cenomanenſis tribuendum eſt, qui erecta in territorio ſuo apud Treuoltienſes typographica officina, voluit, vt ſingulis menſibus ederentur eiusmodi Ephe-

 merides

merides. Primus auctor supremusque harum director fuit RENAT. IOSEPHVS TVRNEMINIVS, vir perdoctus, ad societatem accedentibus iis praecipue, qui perpetuum habebant cum eruditis, etiam exteris, litterarum commercium. Non pauci Parisienses, et patres quidem Ignatiani, fuerunt, vt profitentur ipsi *mense Iunio a.* 1703. *sub initium*, vbi simul singulos eruditos ad conferendas symbolas suas inuitant, et, quid ab iis obseruari velint, aperiunt. Constituerant autem inter se, iudicare de libris omnibus, vbicunque terrarum excusis, eorumque inserere recensiones, quae ad ipsos transmissae fuerint: suppeditare porro varias explicationes difficiliorum Sacri Codicis locorum, atque numismatum, noua item inuenta physica, mathematica, medica, eandemque ob caussam integras saepe Epistolas, vel, si longiores fuerint, potiora earum argumenta: exponere tandem illustres eruditorum controuersias, apud Gallos maxime, atque originem illarum, veram rationem et capita praecipua. Sed commune hominum doctissimorum, sacris quoque Pontificiis addictorum, de his Commentariis iudicium est, etsi diligenterii conscribantur, facileque auctores prodant ingenii haud vulgaris, nimium tamen partium studium in iis dominari, ac scripta Euangelicorum passim iniqua perstringi acerbitate, talia e contrario laudari immodice, quae ab ipsis illorum fratribus profecta sunt. Itaque Belga quidam Nobilis in censura sua de hisce Ephemeridibus, quae continetur *mense Iulio a.* 1701. *p.* 134. *edit. Amstael.* scribit: *enfin, si ceux pour l'execution de son dessein, n'adoucissent leur Critique, ils font s'allumer une guerre dans la republique des Lettres, qui répandra bien de l'aucre, et barboüillera bien du papier.* Sigillatim IOH. CLERICVS vitia Diarii hu-

ius

ius haud vno loco detexit, e. g. in *Biblioth. Choisie T. II. p.* 321. ac *Tomo V. in Praefat.* Conf. GERARDI TELESII *Apologia epistolaris pro Dionysio de Sainte-Marthe,* Parif. a. 1716. exarata, quae legitur in *Actis Erud. Lat. Supplem. T. VI. Sect. 8. p.* 373. *sq.* In fine Apologiae *p.* 384. *Res,* inquit Telesius, *est intoleranda, Treuoltianos Iesuitas, toties contusos, iniquissimum in suis Diariis tribunal erexisse, in eoque non ratione duce, sed animi impotentia; non aequitatis legibus, sed praeiudiciis; non veritatis lance, sed affectus aut odii pondere, optimis exquisitissimisque operibus detrahere, pessima ad coelum vsque laudibus efferre: ignaris Auctoribus, modo secum sentiant, aut sibi faueant, vbique blandiri, doctissimos sibi non plane deditos plusquam canino dente mordere.* Iisdem rigidissimis Italorum censoribus celeberrimus Fontaninus vel eo nomine vapulauit, quod duo capita immediate sequentia libri *de Antiquit. Hortae Coloniae Etruscorum* eadem vocula *Sed* orsus fuerat, prout ex *Giornale de' Letterati d'Italia T. XXI. art.* 2. obseruat TILGNERVS *ad* MENCKENII *Charlatan. Eruditor. p.* 134. *edit. Amstaelod.* (quem locum falso titulus indicat) *anno* 1727. adornatae. Nec iniuriam facit his Criticis laudatus FONTANINVS, quum in *Praefat.* ad *Discum argenteum votiuum veterum Christianorum,* Commentario suo illustratum, *p.* 26. *§. V.* eos semper sua et suorum laude, nunquam aliena, pasci, contendit. Vid. HEVMANNI *Consp. Reipubl. litt. Cap. VI. §. 9. nota s*). Priores nouem Tomi *Amstaelodami* vsque ad m. Iulium a. 1705. *in* 8. recusi fuerunt, nonnullisque subinde animaduersionibus locupletati, maxime vbi durius, contra Euangelicos scripserant Auctores. Ipsi, ac post eos alii, Iohanni Clerico has esse tribuendas crediderunt. Sed fefellisse illos opinionem, patet ex *Art. XXXV.*

XXXV. m. Maii et Iunii a. 1701. p. 441. edit. Belg. quo loco haec exſtant: *Ils ſont mal informez, car Mr. Clerc ne la lit; ni ne la corrige. Il a bien autre choiſe à faire, qu' à prendre ſoin de l'edition d' ouvrage, comme celui-la, que l' on ſait bien, qu'il ne ſauroit approuver. Il eſt aſſez occupè aux ſiens, pour ne pas ſe mêler de ceux d'autrui, quand il en auroit même une toute autre idée. Il n'a fait que parcourir legerement ce Journal, et n'en a lû que très peu d'articles.* Additi ſunt etiam in editione Belgica noui quandoque articuli, aſteriſco notati, qui tamen in refutationibus eorum plerumque conſiſtunt, quae in ipſis Ephemeridibus peruerſe fuerant propoſita. Memorarunt praeterea Belgae Noua litteraria, ratiores exhibentia Obſeruationes de controuerſiis, ſcriptis edendis, eruditorum morte, aliisque egregiis ac ſcitu maxime neceſſariis. Inuitarant autem omnes eruditos, vt ad bibliopolam perferendum curarent, quidquid inſeri vellent in poſterum huic Operi litterario. Quae diuerſorum ſchedae, e quibus noui ſemper facti ſunt articuli, quum nimis excreſcerent, commodiſſimum putauit Editor, *Supplementa* addere, eorumque *Tomus I. anno 1702.* prodiit. Is complectitur potiſſimum *Secreta monita Societatis Ieſu*, atque alia, quae horum hominum artes, et varias inter ſe lites, quas in China excitarant, detegunt liberrime. Et haec ipſa, quippe admodum copioſa, ſingulari Tomo reſeruata fuerunt. Conf. GVNDLINGII *Neue Vnterredungen, m. Februar. p. 162.* in eiusdem *ſcriptis ſatyricis*, Germanice diuulgatis. Interrupta vero eſt aliquamdiu editio Amſtaelodamenſis, ob horribile bellum, quod tunc temporis Hiſpanicae ſucceſſionis cauſſa exarſerat. Promittebatur ſaltim, ſub menſis Iulii a. 1703. initium, continuatio Diarii vsque ad finem eiusdem anni, omne licet commercium litterarium cum Gallis eſſet prohibitum.

Quod

Quod quidem bona eſt fide praeſtitum ab Editore; at in fine menſis Nouembris lectori haec ſignificat: *L'impoſſibilité, où je ſuis de reçevoir la ſuite de ces Mémoires, outre à l'avis, que j'ai eu de Geneve, qu'on étoit ſur le point, de les diſcontinüer à Trevoux, faute de matiere, m'oblige auſſi, à les diſcontinüer.* Adiectus interim menſi Decembri Index in ſingulos ſex Tomos; nec ita multo poſt perſequutus eſt Editor coepta, qua de re in monito, Tomo ſequenti praemiſſo, ſcribit: *L'impoſſibilité, où j'etois de reçevoir de France la ſuite de ces Mémoires, par l'interruption des lettres, a eté cauſe, que je n'ai pas continué à les donner. Je vai en faire parôitre ſix Mois à la fois en un Volume, jusques à ce, que j'aye rejoint l'edition de Trevoux: après quoi je les donnerai par Mois, comme j'ai fait dans les premieres Années.* Sed cum Tomo *nono* conquieuit Belgarum ſtudium, quod ideo dolent eruditi, quoniam haec editio et elegantior, et, propter interſperſas Obſeruationes, vtilior eſt Treuoltina. Ipſum e contrario Authenticum ad hunc vsque diem procedit, ac *duodecim* ſemper *Partes* quotannis excuſae ſunt, tria implentes Volumina, praeter annum 1701. quo *nouem;* annum 1704. quo *tredecim;* annum 1720. quo *quinque;* annum 1726. 1737. et 1738. quo iterum *tredecim;* annum 1735 quo *decem* ac *quatuor*; et annum 1736. quo *quindecim Partes* editae fuerunt. Tardius tamen peruenire in Germaniam ſolent. Ab anno 1730. vsque ad a. 1734. *Lugduni*, poſtea ſemper *Pariſiis* prodierunt. Iam Mich. Rey, bibliopola Amſtaelodamenſis, ab anno 1754. vno volumine coniungere ſolet *Le Journal des Savans et les Memoires de Trevoux, ſuite des CLXX Volumes du Journal des Savans.* Ex illuſtris BVDERI *Neueſten gelehrten Staat von Paris p. 217.* diſcimus, Turneminium, poſtquam an. 1718. ex Collegio Ludouici Magni in Domum Profeſſam, vt-

vt vulgo adpellatur, transierat, supremam huius Diarii, aliquamdiu procrastinati, curam reiiquisse Patri THOVBEAV, prioris Collegii Bibliothecario, atque sub eo Socios ordinarios fuisse Hongnant, Ioseph. de Courbeville, Petr. Iulian. Roville, Petr. Brumoy et Ludov. Castel, anno 1757. Parisiis mortuum: extraordinarios vero Turneminium, Claudium Buffier, quem diligentissimum in hoc labore perhibent, et Ioh. Anton. du Cerceau. Per plures etiam annos Collegae fuerunt Bernh. Routh et Ioh. Souciet. Iam, quantum sciamus, Patris Thoubeau locum sustinet GVIL. FRANC. BERTHIERIVS, cui adsistunt Petr. Plessius, et Ioh. Franc. Fleuriau. Vid. *La France litter. par* FORMEY, *p. 109.* De Italica Diarii Treuoltini versione vid. *die Leipziger gelehrte Zeitung. anno 1744. p. 227.* Binis scilicet in locis, *Pisauri* ac *Venetiis*, suscepta fuit. Sed exstinxisse videtur bibliopola Venetus alterius conatum, illiusque tantum editio innotuit, secundum Amstaelodamensem parata, ac Dissertationibus quibusdam locupletata, quae ex *Mémoires de l'Academie Roiale des Inscriptions et des belles Lettres* depromtae sunt. Sex omnino Tomos prelo exiisse decem abhinc annis, indicatur iisdem in Schedis litterariis, *an. 1746. m. Dec. p. 939.* Vtrum plures deinde accesserint, nec ne, ego quidem ignoro. Si coniecturis indulgere licet, emtorum paucitate permotum credo bibliopolam, vt ab hoc instituto cogitationes auerteret.

§. VII.

Vix inchoatum fuerat Diarium Treuoltinum, quum aliud apud Parisienses luci exponeretur, *Essais de Litterature pour la connoissance des Livres* inscriptum. Factum est id *anno 1702.* mense Iulio, at, absolutis duodecim Ephemeridibus, post Iunium anni 1703. deferbuit Auctoris industria. Eum MORLIE-

RIVM,

RIVM, Doctorem Sorbonicum, esse dicit FABRICIVS in *Notit. Ephemeridum alphabetica.* Nouum autem, et separatum ab aliorum laboribus in hoc scribendi genere, consilium inierat, scilicet, vt ipse loquitur, *de ne traiter precisément, que certains livres, recommendables par leur antiquité, par leur rareté, ou par leur singularité; de discerner les meilleures editions, qui en ont fait supprimer quelques uns, et ceux, qu'on a retranchés, ou ajoutés à d'autres, et de rendre sur tout au Public la connoissance de certains livres curieux et secrets, que le tems a fait perir, ou a fait devenir si rares, qu'ils sont entierement inconnus même à la plus-part des gens de lettres, qui ont le plus d'erudition.* Ex quo loco luculenter adparet, Auctorem non tam ad libros respexisse recentiores, quam ad alios, qui vel antiquitate sua, vel raritate, sunt insignes. Et sane laude dignissimum erat institutum, dummodo promissis semper fides exstitisset. Negliguntur enim saepenumero libri antiquiores, solique fere nouissimi sermonis materiam praebent, quum tamen illorum pars maxima probe cognita esse debeat doctrinae exquisitae amatoribus. Sed audiamus, quid Auctor *Artic. VI. des Memoires de Trevoux, mensis Ianuarii anno 1703*, qui ab Editore Belga adiectus est, de hoc Diarii Scriptore sentiat. *Ce qu'il a donné*, inquit, *qui se raporte à son Plan, est très bon et très curieux: mais ces endroits-la sont si peu en nombre, qu'au lieu, de faire principal de l'ouvragè, comme la raison le demandoit, ils n'en font qu' à peine l'accessoire. La plus-part des livres, dont il a parlé dans sont premier Essai, ne sont point rares, et les choses, qu'il en dit, le sont encore moins: elle se trovent où dans les Lettres de Mr. Simon, ou dans la Bibliotheque de Mr. du Pin, ou dans les Melanges de*

de Vigneul-Marville, ou dans le Journal des Savans, ou dans le Dictionaire de Morery, ou dans le Dictionaire Historique et Critique, ou dans d'autres livres nouveaux et connus de tout le monde. Les Essais suivans n'ont été guére moins exposés au même reproche, si vous exceptez celui de mois de Novembre, qui contient un peu plus de choses proportionées au premier projet. Pergit deinde Cenſor monſtratque, quid obſeruandum ſit Auctori, ſi librum ſuum eſſe velit propoſito conuenientem. Nimirum ſummis ipſum viribus contendere debere, vt non niſi libros rariores producat in medium, horum materiam, obiectum, occaſionem, virtutes editionesque memoret, de auctore non, quae vbiuis ſint obuia, ſed ſingularia, tradat, nihil ſine auctoritate firmisſima relinquat, tandemque in laudibus tribuendis modum ſeruet. Notat etiam Cenſor aliquot errores, quos Auctor commiſerit, qui plerumque ſunt chronologici, quandoque ſaltim typographici, eidem non exprobrandi. Nec deſunt alii, qui hocce Diarium ad tribunal artis criticae vocarunt. Licebit transſcribere locum ex *Memoires de Trevoux menſ. Sept. anno 1703. p. 239.* Ita vero ille ſe habet: *Il a paru depuis peu deux petits Livres contre les Essais de Litterature, l'un eſt intitulé Remarques critiques ſur les Eſſais de Litterature, par le Sieur Pelheſtre. Premiere partie, Mr. Pelheſtre mal traite fort l' Auteur des Eſſais de Litterature: il pretend le convaincre d'avoir pris dans des Livres fort communs ce, qu'il dit avoir tiré de Memoires ſecrets et curieux: et il fait pour cela de longues confrontations de ſon Texte avec celui de ſes Livres: il ajoûte, qu'il s'eſt trompé ſouvent de ce, qu'il a emprunté de ces Auteurs, ou de perſonnes, qu'il a conſultées, et de Pelheſtre lui même: qu'il*

qu'il a pris de Manuscrits pour des Livres imprimez, et des Livres imprimez pour des Manuscrits: qu'il a fait dire aux ecrivains, dont il donne l'extrait, ce qu'ils n'ont jamais dit, et qu'il est tombé dans tous les defauts, qu'il avoit reproché dans sa premiere Préface aux autres Journalistes. Mr. Pelhestre fait paroitre dans ce petit ouvrage beaucoup d'erudition. Le Supplement des Essais de Litterature vient apparement de la même main. On y examine en detail les fautes des Essais de Litterature. On y trouve de l'erudition comme dans les Remarques critiques, mais le style est un peu negligé dans ces deux ouvrages. L'Auteur des Essais de Litterature a répondu dans la Préface des Essais du mois d'Avril à la Préface des Remarques de Mr. Pelhestre. Sa reponse est vive et bien ecrite. Comme ces Livres sont entre les mains de tout le monde, Vous pouvez vous instruire de leur différent, et en juger par vous même. Insertae sunt porro obseruationes quaedam de Mr. Pelhestre, (sub quo nomine latere Abbatem FAYDIT, in *Catalogo Bibliothecae Bunav. T. I. vol. 1. p. 485.* et in FABRICII *Notitia Ephemeridum* adfirmatur) mensi Nouembri dicti Diarii *Artic. XVIII. a. 1703. p. 383. sq. edit. Amstel.* ad quae tamen respondet Auctor des Essais *ibidem m. Iulio a. 1704. Artic. V. p. 28. sq.* Parum benigne de isto Diario, quod *Hagae Comit. a. 1703. in 12. Tomis II.* recusum fuit, iudicat etiam IACOB. BERNARDVS *in Nouvelles de la Republique des Lettres, m. Iulio a. 1704. p. 115.* vbi ait: *Les Essais de Litterature continüent toûjours, mais ils sont un peu reculés, car au mois de Juin on donne le mois d'Avril. Ils sont plus mal travaillés que jamais. C'est presentement un Libraire, nommé Ribou, qui les imprime.* Add. BAELII *Remarques generales sur les Essais de Litterature* in *Operibus* eius *di-*

uersis, *Hagae Com.* Gallice *in folio* editis *Tomo IV. p. 171. sq.* Continuationis loco CAROL. LVDOV. HVGO esse voluit *Journal litteraire, à Soleure*, siue potius *Paris. a. 1705. 12.* At eodem anno concidit conatus.

§. VIII.

Memorabimus nunc alia, quae apud Gallos nata sunt, Diaria litteraria. Sic *Parisiis anno 1704. in 12. mai.* prodire coeperunt *Piéces fugitives d'Histoire et de Litterature anciennes et modernes* caet. de quo libro acerbe iudicat BERNARDVS *in Nouvelles de la Republ. des Lettres, m. Iulio a. 1704. p. 109.* vbi haec: *On voit depuis peu une brochure en 12. en forme de Journal, qui a pour titre: Piéces fugitives. Cette brochure parle des Ouvrages anciens et modernes. L' Auteur se plait à mordre. Il loüe et blâme, selon le penchant, qui l'entraine. Il donne beaucoup de loüanges au nommé Liniéres, qui est mort depuis peu, et qui, de son vivant, n'étoit pas fort estimé des bonnêtes gens. Quelques uns ont attribué cet Ouvrage à l'Auteur des Essais de Littérature; mais ceux, qui savent mieux la Carte du Païs littéraire, l'attribuent à un Garçon libraire, qui a demeuré autre fois chez Anisson, et qui, faute de pratique dans sa profession, s'occupe à écrire présentement.* Verum his meliora sunt, quae differit ANCILLON in *Praefatione des Memoires concernant les Vies et les Ouvrages des Savans p. 19.* Verba ipsa sunt sequentia: *Mr. du Perier a imaginé une nouvelle espece d'Ouvrage de cette nature. Il a publié, il n'y a pas long tems, un Recueil des Pieces fugitives d'Histoire et de Litterature ancienne et moderne, avec les Nouvelles historiques de France et de Païs étrangers sur les Ouvrages du tems; et les Nou-*

velles

velles découvertes dans les Arts et dans les Sciences, pour servir à l'Histoire anecdote des gens de Lettres. Ce dessein est trop utile et trop agreable tout ensemble, pour être abandonné. Il ne faut bas douter, que Mr. du Perier, et quelqu' autre aprés lui ne soûtienne dignement cette entreprise. Perspicitur exinde, longe alium huius Diarii esse auctorem, ac putauerat Bernardus. Finem autem habuit illud anno 1705. cum *Parte quarta:* neminem saltim nouimus, qui plures successisse docuerit. *Monstrum* quoddam *litterarium* BERNARDVS *l. c. m. Ianuario a. 1709. p. 104.* librum vocat, qui *Paris. a. 1709. in 12.* hoc titulo in lucem est emissus: *Almanach Bibliographique pour l'année 1709. contenant le Catalogue des Livres imprimez dans ce Roiaume pendant l'année 1707. les Titres des Edits et Declarations du Roi de la même année; les Archevêchez et Evêchez de France, avec le tems de leur erection, et les noms de ceux, qui les possédent, un Calendrier des Saints, dont on celébre les Fêtes en France, et le tems de leur mort; les Phases de la Lune* caet. *On y a joint un Vocabulaire de la langue des Sauvages, qui habitent les Terres Magellaniques.* Vere dicitur Tractatus iste monstrum litterarium, quum argumenta hic loci coniuncta tam male cohaereant. Typographus quidem, Carol. Huguierius, sui esse ingenii partum adserit; verum Bernardus Abbatem potius DE LA MORTIE'RE architectum habet, typographum, addens, nihil aliud, quam Catalogum librorum, anno 1707. euulgatorum, eundem tamen sine ordine, ac parum exactum, corrasisse; eamque ob caussam varios etiam naeuos adnotauit in isto laudatus Bernardus.

Maiori iure huc pertinet: *Le Pour et Contre, Ouvrage periodique d'vn goût nouveau, dans le quel on s'explique librement sur tout ce, qui peut interesser la*

curiosité du Public en matière des Sciences, *d'Arts*, *de Livres*, *d'Auteurs* caet. *Sans prendre aucun parti*, *et sans offenser personne*, *par l'Auteur des Memoires d'vn homme de qualité*, i. e. per ANTON. FRANC. TREVOST D' EXILLES. Vid. *Catal. Biblioth. Bunav. Tom. I. Vol. 1. p. 487.* et *La France littér. p. 267.* itemque *die Leipz. gelehrte Zeitungen a. 1733. p. 578.* Nonnulla tamen in *Vol. XVII. Vol. XVIII.* et *Vol. XIX.* deberi CAROLO HVGVES LE FEBVRE DE SAINT MARC, testatur *La France litter. p. 175. edit. Berolin.* Singulis hebdomadis plagula huius Diarii *Paris.* ab *anno* 1733. *in 12.* est edita; at cum Volum. XX. esse desiit institutum, quod Belgis tantopere placuit, vt *eodem* statim *anno* et sequentibus omnia recudenda curarent *Hagae Com.* Voluminibus X. *in 12.*

Nec illaudatum praetermitti debet, quod auctoribus Abbate PETRO GVYOT DES FONTAINES et GRANET *Paris. a.* 1735. sq. prodiit, Diarium, *Observations sur les Ecrits modernes* inscriptum. Tomos illud XXXI. *in 12.* conficit, quorum vltimus *an.* 1743, ni fallor, prelo exiit. Vid. NEMEITZII *Vernünftige Gedancken* caet. *Parte VI. p.* 267. vbi et memorat, Opus hoc, Epistolarum exaratum methodo, cum reliquis Fontanii libris, iussu publico, esse Parisiis a. 1743. suppressum, idemque nonnullis laborare naeuis: primo quippe desiderari et librorum descriptorum, et rerum praecipuarum Indicem; deinde abuti Auctorem censoria virgula; tum dicendi genus plerumque ac nimis esse aculeatum. In FORMEY *Conseils pour former une Bibliotheque p. 32. edit. tertiae, a.* 1755. emissae, *Tomi XXXIV.* numerantur.

Nouum interea temporis BOISTELIVS molitus est apud alium bibliopolam Parisiensem Diarium, teste *Tomo XXIV. des Observ. sur les Ecrits modernes*, *p. 164.* Imposuit schedis suis titulum: *Reflexions sur les Ouvrages de Litterature.* Tomus

Tomus primus *ibid. a.* 1738. *in 12*: duodecimus, qui poſtremus eſt, *an.* 1740. excuſus. Poſt primi tamen editionem Boiſtelio ſucceſſit GRANETVS, cui, quod ad ſeptem priores Tomos attinet, ſymbolas ſuas exhibuit ALEX. FRANC. DES BOIS. Vid. *La France littér. par* FORMEY, p. 115. Quilibet Tomus quindecim continet plagulas, vna ſingulis Lunae diebus foras data. Profitetur Granetus, ſe nullius in verba iuraſſe, aequitatem tantummodo ſanamque mentem ſequi, et ea plerumque diiudicare velle, quae nouitatis habeant gratiam, praecipueque eruditorum attentionem excitarint. Stetiſſe illum promiſſis, ac ſine partium ſtudio humaniſſimi iuſtiſſimique cenſoris eſſe officio functum, nec laudare aliquid, niſi dignum ſit laudari; ea e contrario veritate duce, ac ratione comite, notare, quae damnanda ipſi videantur, indicant *die Leipziger gelehrte Zeitungen a.* 1740. *p. 41. ſq.* Conf. *Catalogus Bibl. Bunav. l. c.*

Continuatio Diarii Fontaniani, *Obſervations ſur les Ecrits modernes* inſcripti, et auctoritate ſuperiorum exſtincti, mox *Auenione* ſequuta eſt. En! nouum Opus: *Iugemens ſur quelques Ouvrages nouveaux, par* BVRLON DE LA. BVSBAQVERIE, *à Avignon* 1744. *in 12.* ſub quo nomine latere ipſum DES FONTAINES dubio caret. *Tomos X.* noui, quibus acceſſiſſe plures, vix credendum, ſub finem anni 1745. Auctore ſocietati humanae erepto. Satyrica enim quis non dixerit, quae exſtant in *Controlleur du Parnaſſe, Tom. III. p. 144?* Verba ſunt haec: *Les Jugemens ſeront continués par le nommé* Gobert, *ci-devant laquais du défunt, et ſon ſécretaire au moment de ſa mort, à qui il a laiſſé pour recompenſe ſes feuilles Sibyllines, comme Elie laiſſa ſon eſprit et ſon manteau à ſon diſciple Eliſée, et qui ne tardera point auſſi ſans doute à prophétiſer lui même.* Ille idem *Controlleur du Par-*

nasse lucem vidit *Bernae a.* 1745. *in* 12. *mai.* Epistolarum modo, et quidem, vt in titulo legitur, *pour servir de preservatif contre les faux Jugemens de Mr. l' Abbé* des Fontaines, *caché sous le nom de Mr.* Burlon de la Busbaquerie, *et de quélques autres Journalistes ineptes et infideles.* Tomus III, quem vltimum scio, *Amstael. a.* 1748. prodiit. Adiectus Auctor LE SAGE DE L'HYDROPHONIE Pseudonymorum Catalogum auget. Successit non ita multo post aliud Diarium, nominatum *Lettres sur quelques Ecrits de ce tems*, quae Epistolae *Paris. a.* 1749. coeptae sunt, quamquam *Londinum* in titulo legatur. Constant generatim ex *Voluminibus XIII. in* 12. *mai.* Tomique priores quatuor *anno* 1752. recusi sunt. Apud alium deinde bibliopolam auctor, ELIAS CATHAR. FRERON, *anno* 1754. prodire iussit *L'Année littéraire*, adscripto *Amstelodami* loco. Singulis annis pollicitus est quadraginta *Cahiers*, seu nostra lingua *Lagen*, Voluminibus VIII. *ead. forma.* Anno autem primo septem tantum Volumina dedit, quouis plagulas decem et quinque, vel sex, continente. Anno contra 1755. et sequentibus semper Volumina octo sunt diuulgata, quae Parisiis quatuor et viginti librarum pretio vendi solent. Schedae illae iucundae lectu, in quibus non nisi Gallico sermone exarata, maxime poetica, certis itidem Epistolis recensentur ac diiudicantur, anno 1757. adhuc viguerunt: an porro edantur, in his turbis bellicis explorare non licuit. Vidi Tomos complures summi cuiusdam Maecenatis beneficio. Locum pariter hic sibi vindicant *Observations sur la Litterature moderne et autres Ouvrages. Hagae Comitum*, seu rectius *Parisiis*, *a.* 1749. *sq. in* 12. Tomi exstant XI. quorum auctor fuit IOSEPH. de la PORTE, teste FORMEY, *in France littér. p.* 265. Ibidem tamen *p.* 296. huic adiungitur FRANC. IOACH. DVPORT DV TERTRE.

Verba

Verba ſunt: *Il a travaillé aux feuilles periodiques avec MM. Fréron et de la Porte.* Examinantur hic ſcripta Gallorum recentiſſima, quorum ingens quotannis ſylua conſpicitur, quidque boni, quid praui, in iisdem exſtet, oratione ſuaui ac perfacile currente indicatur. Iudicia vero cenſoris haud aequa ſemper et ſolida eſſe, monetur in *den Leipziger gel. Zeitungen a.* 1750. *p. 891. ſq.*

Auſpiciis Domini de COVRCELLE, eruditorum quorundam ſocietas *ibidem anno* 1754. menſe Aprili adgreſſa eſt *Le Journal Etranger in 8.* Scilicet quicquid in ſcientia vel arte aliqua exteri, quicunque ſint, diuerſis linguis, ſola excepta Gallica, praeſtiterint, quod gloriae emolumentoque, imo et voluptati, eſſe poſſit aetatis noſtrae hominibus, id vel adcurata verſione, vel ſufficienti deſcriptione, additis obſeruationibus, talibus etiam, quae de ipſis Scriptoribus, eorumque fatis, agant, peruulgaturos ſe Auctores eſſe polliciti ſunt. De inſtituto hoc vberius differunt in ſchedula ſeparatim edita, ex qua non nihil decerpam. *Les deux moyens,* dicunt, *d'y réuſſir, l'analyſe et la traduction, ſeront employés avec diſcernement; le premier, lorsque la longueur, le ſujet, ou le ſtile de l'ouvrage, exigeront qu'on le reſſerre dans vn abregé, ou qu'on rapproche ſes parties les plus eſſentielles par le retranchement de tout le ſuperflu; le ſecond, dans le cas, où la brièveté, la force, & l'élégance, ne permettront aucune ſuppreſſion. Tels ſont des morceaux d'Eloquence & de Poëſie, des réflexions politiques, morales, ou métaphyſiques.*

Partout où le ſtile de l'original méritera d'être conſervé, ſurtout dans la Poëſie, on ſe fera une loi de rapporter pluſieurs extraits du texte les plus propres à faire connoître le génie de la langue, et à mettre les

lecteurs qui la sçauront, à portée d'apprécier le mérite de l'expression.

On ajoutera, soit à l'analyse, soit à la traduction, le nom de l'Auteur, ses titres, et les autres détails relatifs à sa réputation littéraire, ou aux récompenses qu'elle lui auroit méritées; les jugemens que ses compatriotes auront portés de son ouvrage, et les observations générales absolument nécessaires, soit pour éclaircir la matiere, soit pour relever, avec la politesse, la décence, et tous les égards imaginables, les erreurs essentielles de fait ou de raisonnement. On n'oubliera pas de parler du cours que le livre aura eu, ni des traductions qui en auront été faites. On marquera également le nombre, la date, le lieu, et la qualité des éditions, ainsi que l'adresse des Libraires. Indicant deinde, etiam locum hic fore Opusculis dramaticis, schedis fugitiuis, at notatu dignis tantum, edictis Principum, siue integris, siue in compendium redactis, si quidem in Historia, vel publico Iure, alicuius momenti sint. Paullo tamen post mutarunt quodammodo consilii rationes, qua de re vid. *die Leipziger gel. Zeitung. a.* 1755. *p.* 1. et *p.* 185. Haec ipsa Noua litteraria, ab anno 1754. vsque ad praesens tempus, diligenter agunt de Opere isthoc, cuius primus moderator fuit FRANC. VINCENTIVS TOVSSAINT, Aduocatus Parisiensis, libro, nomine *les Moeurs* insignito, aliisque clarissimus, cui successit a mense Ianuar. vsque ad mensem Sept. an. 1755. PREVOST D' EXILLES, atque huic postea FRERONIVS, vterque supra laudatus. Vid. *La France littér. p.* 268. et *p.* 186. Verum et hic, nimiis implicitus negotiis, m. Oct. a. 1756. alii lampada tradidit, cui DELEYRE nomen est. Quolibet mense.

Pars

Pars quindecim circiter plagularum prodit, passimque accedunt figurae in aere expressae. Omnes per annum integrum Parisiis vendi solent viginti, et quod exercedit, libris Gallicis. Cogitauit de recudendo Diario hoc *Steph. de Bourdeaux*, bibliopola Berolinensis, ideoque *a.* 1754. schedulam Gallice conscriptam luci exposuit. Sed res, quantum resciui, non est ad exitum perducta.

Anno tandem 1758. *Parisiis* coepta fuere, Germanorum more, Noua litteraria, sic inscripta: *Annales typographiques, ou Notice du progrès des connoissances humaines.* Quotannis septuaginta circiter plagulae *in 4.* promissae sunt, vti docent *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1759. *p.* 209. quo et loco plura de instituti ratione dicuntur. Caeterum iam olim de nouo Gallorum Diario spem fecerat BERNARDVS in *Nouvell. de la Rep. des Lettres, m. Ian. a. 1705. p. 97.* vbi haec scribit: *Quatre des Auteurs du Journal des Savans ont entrepris de publier vn nouveau Journal, qui sera vn abrégé de tous ceux, qui s'impriment actuellement dans les Pays Etrangers; et de tems en tems ils en donneront vn autre des années précédentes, en commençant par celle, où ils ont été publiés pour la premiere fois.* Consilium itaque hoc fuit, vt excerpta praestantiorum materiarum ex Diariis eruditorum quibuscunque, ad illud vsque tempus compositis, publice exhiberentur, eoque ipso non sumtus circumciderentur modo, sed multum etiam temporis lucrari liceret, quod alias in tot Ephemeridum lectionem esset impendendum. At secunda caruit hicce conatus fortuna.

§. IX.

Gallos in hoc Diariorum genere, de quo praesens agit Sectio, imitati sunt ITALI, primumque

diuulgatum est apud eos *Giornale de' Letterati, dall' anno 1668. fino all' anno 1675. In Roma, per Nic. Aug. Tinassi in 4.* Continatum fuit vsque ad vltimum mensem anni 1681. In Epistola dedicatoria ad Camillum Maximum, R. E. Cardinalem, fidem facit librarius, ad componendas hasce Ephemerides multos eruditos operam suam contulisse. Fuerunt hi, teste NICERONIO, Mich. Angel. Ricci, postea Cardinalis, Ioh. Luci, Saluator et Franc. Serra, Franc. Nazarius, Thom. de Giuli, Ioh. Pastrizi, et Ioh. Iustin. Ciampini, qui primis Opus lineis designarunt. Praecipuae tamen partes in hoc labore fuerunt NAZARII, (philosophiae in Collegio Sapientiae Romano Professoris, de quo vid. *die Leipzig. gel. Zeitung. a.* 1717. *p.* 550.) atque iam dicti SALVATORIS SERRAE. Hic vero, Caroli Pii, Cardinalis, Auditor, ob negotiorum multitudinem mox recessit, et omnia Nazarii reliquit industriae, qui solus igitur vsque ad mensem Martium anni 1675. supremam Diarii curam habuit. Hoc tempore, orto inter eum ac Tinassum, librarium, dissidio, Nazarius *ibidem* publicauit sequentes Ephemerides impensa Bened. Carrarae. Aegre autem ferebat mutationem bibliopolae CIAMPINVS, ideoque is, a priori Societate seiunctus, nouam instituebat ipse, cuius membra memorantur Luc. Ant. Porzio, Franc. Eschinardi, Philipp. Buonarotti, Dominic. Quarteroni, Franc. Brunacci, et Franc. Maria Honorati. Atque hac ratione omnia, quae Tinassus cum mense Martio vsque ad finem anni 1679. exhibuit, Ciampino, eiusdemque Collegis, debentur. Docet haec NICERONIVS, in *Vitis eruditorum, Art. Ciampini, P. IV. p. 363. sq. edit. Halensis Germ.* FABRICIVS e contrario in *Consp. Thes. litter. Italiae p. 4.* Maffei auctoritate confirmat, Ciampinum vsque ad tres priores menses anni 1681. in hac esse palaestra versatum,

ſatum, Nazariumque, vsque ad extremum anni 1679. apud Carraram ſuos labores continuaſſe. Addit vir laudatus, *annum 1668.* Diarii Nazariani eſſe etiam *Bononiae* recuſum cum paucis acceſſionibus. Qui viderint iſthoc *Giornale de' Letterati* pauci erunt in Germania, pauciores qui poſſideant integrum; nunc enim in rariſſimis habetur, etſi dignum ſit omnino, quod plurium teneatur manibus. De ipſis librorum deſcriptionibus nihil dicam, quae magnam partem iuſto ſunt breuiores, nec ſatis ad vſum Lectorum adcommodatae. At, quae immixtae ſunt paſſim ex variis doctrinae ſublimioris partibus, Matheſi, Scientia naturae et Medicina, item quae pertinent ad antiquarum rerum et Numiſmatum elegantiora ſtudia, Obſeruationes non vulgares, ſiue hic primum editae, ſiue ex Transactionibus Anglicanis et aliunde mutuo ſumtae, eius ſunt generis et pretii pleraeque, vt his magno cum ſuo fructu vti lectores ad vnum omnes poſſint. Ita FRIDER. OTTO MENCKENIVS, praematura morte litteris humanioribus ereptus, in *Miſcellan. Lipſ. Novis* ſentit, *Vol. I. Part. 4. p.* 708. Magis vero librorum recenſiones probat CASP. BARTHOLINVS in *Praefat.* libri *de tibiis veterum. Franciſci Nazarii Ephemerides*, inquit, *tantam librorum cuiuscunque ſcientiae et linguae varietatem, tamque diſtinctam notitiam complectuntur, vt ſingularia eorundem, quae ipſe laborioſe ſolus perſtringit, clarius et ſolidius ab ipſis ſeorſim auctoribus haberi nequeant.* Sed forſitan Bartholinus, tunc temporis adoleſcens adhuc, non acri ſatis iudicio inſtructus acceſſit ad huius Diarii lectionem. Exhiberi in eo, ſingulis menſibus, praeter aliquos annos, qui vel plures, vel pauciores, continent Sectiones, plerumque libros, quos Italia protulit, atque eosdem proinde argumenti eſſe non vnius, IVNCKERVS refert in Schediaſmate *de*

Dia-

Diariis eruditorum, *p.* 108. ex quo STRVVIVS olim profecit. Haec de Opere dicta ſunto, quod perluſtrare non contigit. Si quid igitur a nobis fuerit in eius deſcriptione peccatum, errauimus certe cum viris doctis, ac peritiſſimis rei litterariae, quorum hic vſurpauimus ſubſidia.

§. X.

Sequuntur Veneti, qui vnica ſemper plagula *in 4.* ediderunt *il Giornale Veneto de' Letterati*, a menſis Febr. die 15. *anni* 1671. vsque ad diem decimum m: Decembr. *a.* 1680. Sed, quod mireris, tot anni vndeuiginti tantum Ephemerides protulerunt, annus ſcilicet 71. earum *decem*; a. 72. *tres*; a. 73. *totidem*; a. 75. *duas*; et a. 80. *vnicam*, adeoque anni 74. et 76. vsque ad 79. ſteriles plane manſerunt. Auctores fuere PETR. MARIA MORETTI et FRANCISCVS MILETTI. Hic certe nonam confecit plagulam: ille vero nomen ſuum adſcripſit plagulae ſextae, octauae, decimae, vndecimae, decimae tertiae, decimae quartae, decimae ſeptimae, decimae octauae, ac tandem vltimae; nec dubitandum priores quoque eiusdem calamo deberi. Occaſionem componendi haſce Ephemerides dediſſe ipſis, adſerunt, Romanas ac Transmontanas, vt vocant, ſeu Gallicas, et Anglorum *Philoſophical Transactions*. Argumentum autem ſuarum eſſe voluerunt Excerpta ex his, notitiam experimentorum, recitationes ſeu relationes Academicas, et compendia librorum, quorum pars breuius, pars fuſius recenſetur, praemiſſis quandoque elogiis. Maximum tamen ſpatium occupant Obſeruationes phyſicae, anatomicae ac mathematicae, vel ab Italis transmiſſae, vel ex caeteris deſumtae Diariis. Praeter haec fideliter exponitur, quid in Academia hiſtorica et Theologica, Venetiis eo tempore celebri, actum

fuerit.

fuerit. Vid. IVNCKERVS *l. c. p. m. sq.* Aliud deinceps, idque maioris momenti, apud Venetos prodiit Diarium, cui est titulus: *Giornale de' Letterati d'Italia.* Initium factum *anno* 1710. qua de re vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1710. *p.* 317; finis autem Operi, adcurata industria, eruditione ingenioque caeteris Italiae Diariis longe superiori, impositus est *a.* 1740. cum *Tomo XL. in 12.* Auctores eius dicuntur complures, e. g. Bernard. Treuisanus, Anton. Vallisnierius, Ioh. Bapt. Morgagnus, Laur. Patarolus, Scipio Maffeius, caet. Cf. *Memoir. de Trevoux m. Febr.* 1712. *p.* 228. Sed praecipuae partes tribuendae Viris celeberrimis, APOSTOLO ZENO, eiusque fratri, PETRO CATHARINO, quippe qui a. 1718, postquam, Apostolus ad suscipiendum Poetae et Historiographi Caesarei munus Vindobonam migrauerat, caeterique Collegae vel mortui, vel pertaesi laboris erant, adscitis aliis nonnullis dexterrime curam egit Diarii, eandem tamen, ob debilitatas corporis vires, anno 1728. cum Tomi tricesimi et octaui Parte prima abiicere penitus coactus est. Interea temporis vndecim Tomi maximam partem eius sunt ex ingenio profecti. Vid. ipsum *Giornale de' Letterati d'Italia, Tomi XXXIII. Parte prima* in *Praefatione*, et *Parte altera Tomi XXXVIII. artic.* 1. vbi SANTINELLI *Elogium Petri Cathar. Zeni* exstat. Dicti Tomi XXXVIII. Pars altera successit demum a. 1735. reliqui deinde vsque ad annum 1740, forte calamo Apostoli Zeni, quem post reditum ex aula Vindobonensi manum iterum admouere voluisse Operi, refertur in *den Leipzig. gel. Zeitung. a.* 1734. *p.* 609. Non autem librorum descriptiones vnice id ipsum implent. Leguntur in eo simul Epistolae ac Dissertationes breuiores, Obseruationes physicae ac mathematicae, Elogia Vitaeque eruditorum Italorum, Noua item litte-

litteraria, quorum ad Editores notitia peruenit. Praefationem Tomo I. praefixit SCIPIO MAFFEIVS, quae inscribitur *Notizia dell' Istituzione de' Giornali*, ac eiusdem etiam *Rime e Prose, Venet. 1719. in 4. p. 185. sq.* inserta fuit. Tomus XXV. complectitur Indices quadruplices in superiora XXIV. Volumina: *primum* scilicet Scriptorum, de quibus dictum est, alphabetico ordine; *secundum* eorum librorum, quorum sunt parentes, per classes digestorum, pro varietate argumenti; *tertium* Auctorum, quorum est mentio facta; *quartum* denique rerum prae caeteris notabilium. Accessit, nisi memoria fallit, alter quoque huius Indicis Tomus, reliquis Voluminibus destinatus. Conf. FABRICII *Consp. Thes. litt. Ital. p. 8. Anno 1722. sq.* HIERON. LIONI *Venet. in 12.* addidit *Supplementi al Giornale de' Letterati d' Italia*; quod institutum tamen *trium*, quantum sciamus, *Tomorum* cancellis fuit circumscriptum. Neque libros recensuit Auctor, sed eruditas tantum popularium suorum Dissertationes, et alia Opuscula minora, nondum edita, siue antiqua, siue recentiora, dummodo Italica Latinaue exarata sint lingua, vnum congregare in locum, lucique exponere studuit. De MAFFEI Obseruationibus litterariis, ad continuandum *Giornale de' Letterati d' Italia* conscriptis, quum apud Venetos haud prodierint, infra *ʃ. XII.* dicetur. Memorari hic potius debet *il gran Giornale di Europa, Venet. a. 1725. in 4.* quae folia ex prioribus Diariis, facto cum anno 1666. initio, breuiter indicant libros ab eo tempore editos, vt quique prae caeteris placuerunt: non nunquam nouas quoque Dissertationes complectuntur. Vid. FABRICIVS *l. c. p. 9.* vbi auctorem esse ANGEL. CALOGIERAM docet, Monachum Camaldulensem. *Quatuor* harum Ephemeridum *Partes* adducuntur in *Catal. Bibl. Bunav. T. I. Vol. 1. p. 488.*

p. 488. quas nescio an plures exceperint. Successere *anno* 1730. *in* 4. *Novelle della Republica delle Lettere dell' anno* 1729. Emissa est quauis hebdomada plagula, atque exinde natum annis singulis Volumen, quorum inueniuntur *quatuor* in laudata *Bibliotheca Bunav. l. c.* Sed certum omnino, *a.* 1748. Auctores adhuc persequutos esse incepta. Inter hos praecipuus dicitur ipse typographus, IOH. BAPT. ALBRIZZIVS, vir doctus. Methodus communis est fere cum iis, qui Lipsiae Noua litteraria sermone vernaculo annunciarunt: Diaria saltim aliorum non solent excerpi. Praecipua cura est nouorum librorum in Italia excusorum, de quibus plerumque tam copiose differitur, adcurateque, vt multa repetita legantur in *Bibliotheque Italique.* Relationes de Belgicis Gallicisque scriptis maximam partem desumtae ex Diariis exterorum sunt. Aliquando et Vitae eruditorum nuper mortuorum, item Obseruationes criticae, philologicae, physicae, aliarumque disciplinarum, interseruntur. v. KOHLII *Hamburgische Berichte von gelehrten Sachen, a.* 1732. *p.* 693. *sq.* His meretur adiungi *Storia letteraria d'Italia*, cuius architectus praedicatur FRANC. ANTON. ZACCARIA. Non nisi libros nouos Italicos sermonis hic praebere materiam, Tomumque primum *a.* 1748. *in* 8. tertium vero *a.* 1751. exiisse, significant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1752. *p.* 75. et *p.* 907. *sq.* In Bibliotheca tamen FRID. OTT. MENCKENII *P. III. p.* 359. adfertur adhuc *Tomus* huius Diarii *quintus*, a. 1753. editus, cum *Supplementorum Tomis II.* Ex vtroque nouorum Lipsiensium loco, ad quem prouocaui, adparet, tres libros Tomum complecti vnumquemque, ac *primum* illorum agere de scriptis theologicis, iuridicis, politicis, medicis et botanicis, mathematicis item atque philosophicis; *alterum* de geographicis, chronologicis

gicis, et iis, quae ad Hiſtoriam ſacram, ciuilem, litterariam, Antiquitates, Linguas, Poeſin et Rhetoricam ſpectant, addita notitia librorum generis mixti, pariterque eorum, qui vel in Italicum conuerſi ſermonem, vel recuſi fuerunt; *tertium* vero de Bibliothecis et Academiis, honoribus, quibus aucti ſunt docti homines, Obſeruationibus mathematicis, inuentis phyſicis, Vitis celebrium Virorum, nouiſſime mortuorum, caet. Nonnunquam tamen nimio partium ſtudio abreptum fuiſſe Auctorem in peruerſa, exiſtimant acutiores eiusdem Lectores. Tandem *a.* 1753. *ibid. in* 8. prodierunt *Memorie pour ſervir all' Iſtoria letteraria*, cuius Diarii duo quotannis Volumina exhiberi ſolent. Tractantur hic plerumque theologica et hiſtorica, vel quae ad rem Italorum litterariam ſpectant. Multae occurrunt librorum recenſiones, et praeter has Vitae eruditorum, rariora item numiſmata, inſcriptionesque explicantur, inſertis paſſim Obſeruationibus ſingularibus. Germanorum autem quorundam libri, cum primis qui ad Poeſin referendi, non ſatis adcurate ſolideque diiudicantur. Conf. *die Göttingiſchen gelehrten Anzeigen a.* 1759. *P. XXII. p.* 203. *ſq.*

§. XI.

Hactenus de Diariis Venetis, quae, melioris ordinis cauſſa, ſerie non interrupta placuit in medium producere. Nunc IOH. CINELLVS primum ſe offert, Patricius Florentinus, et in Academia vrbis Profeſſor medicae artis. Nemo facile, Hiſtoriae litterariae peritior, nominis illum celebritatem conſequutum eſſe ignorabit *Bibliotheca* ſua *volante*, qua, ſermone Italico, ſecundum litterarum elementa recenſet, cuiuscunque ſint linguae vel argumenti, libellos, potiſſimum gentis ſuae, qui vix plagulas ſex conficiunt, adeoque, propter paruitatem, plurimo-

plurimorum mox oculis ſubducuntur. Tales ſunt Diſſertationes, panegyricae, aliaeque Orationes, ſententiae iudiciariae, ſcripta eriſtica, vitae, dramata, poemata varii generis, et ſimilia, quae negligi vulgo ſolent, ſaepe tamen eximiae ſunt vtilitatis. Diuiſit CINELLVS laborem ſuum in *Scanzias*, i. e. pluteos, ſiue ſeries. In ſingulis trecentorum plus minus eiusmodi Opuſculorum tituli, cum forma, anno locoque, quo ſunt edita, adnotantur, additis ſubinde elogiis, et lectu dignis interdum de auctore, vel ſcripto eius, Obſeruationibus. Iudicia vero rariſſime intermiſcentur. Conf. *Acta Erud. Lat. a.* 1689. *p.* 345. *ſq.* vbi ſpecimina non nulla occurrunt. Omnes Scanziae, etſi non quotannis, vt alia Diaria, excuſae ſunt *in 8.* et prima quidem ac ſecunda *Florent. ann.* 1677; tertia et quarta *Neapoli a.* 1682; quinta *Parmae a.* 1686; ſexta *Romae a.* 1689; ſeptima et octaua *Parmae* 1692; nona *Venetiis a.* 1700; decima *ibid.* 1705; undecima *Mutinae a.* 1695; duodecima atque decima tertia *Romae 1697;* decima quarta *Venetiis 1699.* et in *Galleria di Minerva Tomo III. p. 266. ſq;* decima quinta et decima ſexta *ibid. 1706*, in cuius Praefatione, quatuor adhuc pluteos promittit Auctor. Sed eo ipſo anno animam efflauit; ac deinceps latuere diu, quae continuanda Bibliothecae fugitiuae cauſſa Vir diligentiſſimus congeſſerat, donec ea in manus Apoſtoli Zeni, indeque ad DIONYS. ANDR. SANCASSANVM peruenirent, qui *Ferrariae a. 1716. et 1717.* decimam ſeptimam ac duodeuiceſimam Seriem ex ſchedis Cinellianis vulgauit, atque ipſe vndeuiceſimam viceſimamque, eadem compoſitam methodo, ac *Patauii* 1718. typis impreſſam, adiecit. Finem ſic habere videbatur inſtitutum. At perrexit tamen coeptum filum deducere MARIANVS RVELIVS, *anno*que *1733. Roureti in 8.* publicauit Seriem viceſi-

vicesimam primam, quam *ibid.* 1736. sequuta est vicesima secunda, *Romae*que 1739. vicesima tertia, in qua legitur simul Specimen Historiae librorum prohibitorum. Vid. *Leipziger gelehrte Zeitung. a.* 1734. *p.* 323. *a.* 1737. *p.* 131. et *a.* 1740. *p.* 729. Ignoro, pluresne accesserint, an Ruelius dereliquerit postea id negotii. Interim plutei Cinelliani, non vno quippe in loco, nec magna exemplarium copia, excusi, rarissime iunctim conspiciebantur. Quartus deerat plerumque, ideo manu carnificis combustus, quoniam Auctor controuersias inter Bernardinum Ramazzinum, et Ioh. Andr. Moneglia, Medicos, acriori stilo tetigerat, quae dicendi libertas, siue potius imprudentia, eum etiam trimestrem in custodiam coniecit. Tanta igitur Operis raritas commouit typographum, Ioh. Baptist. Albrizzium, vt illud ipsum, auxiliatrices manus porrigente DOMINICO LALLIO, cum continuatione Sancassani, in commodiorem redactum formam, variisque accessionibus et obseruationibus locupletatum, denuo luci exponeret. *Tomus I. Venetiis a.* 1734. *Tomus II.* 1735. *Tomus III.* 1746. ac *Tomus IV.* 1747. *in 4.* prodiit. Cf. *Acta Erudit. Latina a.* 1739. *p.* 381. et *p.* 468. *sq.* BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürdigen Büchern, Volum. VIII. p.* 180. *sq. die Leipziger gelehrte Zeitung. a.* 1734. *p.* 811. sq. et *a.* 1748. *p.* 642. itemque FABRICII *Consp. Thes. litt. Italiae p.* 203. *sq.* Si quis autem caussam requirat, cur tam confuse prioris editionis plutei ex Auctoris prouenerint museo, is certe non mirabitur, simul ac ipsi innotuit, partim fata hominis aduersa; partim typographum, cuius negligentia pluteus decimus interciderat; partim Camilli Landi indignationem, a quo pluteus decimus quintus, ipsius curae commissus, at, perquam excusus mendose, combustus est, paucis seruatis, quae iam ad quosdam

missa

issa fuerant, exemplaribus; partim alia impedienta iustum eorundem ordinem perturbasse. *)
e Satyra, in qua Cinelli et Anton. Magliabechii ta, mores ac studia acerbiori dicendi genere ab nonymo, vtriusque famae infensissimo, perstrinntur, vid. AVG. BEYERI *Memor. hist. crit. libror. irior. p. 45. sq.* Inscripta est: IOH. CINELLI *et* ANON. MAGLIABECHI *Vitae, Fori Vbior. 1684. in 4.*
Parmensibus accepimus *il Giornale de' Letterati, Parmae* ab *a. 1686.* vsque ad finem *a. 1690. in 4.* Sinuli anni diuisi sunt in duodecim Ephemerides, raeter vltimum, qui nouem tantummodo exhiet. Non ignorant eruditi, hocce Diarium calamo deberi Virorum, aliis etiam scriptis clarissimorum, GAVDENTII ROBERTI et BENEDICTI BACCHINI, qui animaduertentes, Diarium Romanum, ac Venetum prius, de quibus supra egimus, cum totius orbis litterati dolore desiisse, suas ipsi symbolas contulerunt, vt inuenta Italorum caeteris doctis, et horum Opera Italis, mutuo et ex peregrinis Ephemeridibus desumto commercio nota efficerentur. Non solum autem libros recensent, qua occasione contradicunt passim auctoribus, sine impetu tamen, sine bile; verum integros etiam sermones, ab Academicis Italis habitos, Obseruationes medicas, physicas, mathematicas, numismaticas, easque elegantes, inserunt, pariterque de Virorum

*) Titulum Operis Cinelliani vsurpauit etiam nescio quis, qui sub litteris I. G. I. D. M. latere voluit. Is *Amstel. a. 1700 in 12.* edidit *Bibliotheque Volante, ou Elite de Pieces fugitives,* quo in libro monumenta litteraria minora fugitiua, anonyma, prohibita, rariora, metrica et prosaica, edita ac nondum edita, collegit conatu sane non vituperando. *Tom I.* Partibus quinque constat. *Tomi II.* Partem saltim primam, *Coloniae 1701.* excusam, memorat REIMMANN. in *Catal. Biblioth. suae, T. II. p. 763.*

rorum eruditorum, qui obierunt, vita et scriptis adiiciunt quaedam, nec alia reticent, quae ad antiquitates nouissime repertas, et Philologiae viridaria spectant. Plurimis igitur se commendauit labor mirifice, solo, quantum sciamus, excepto MICH. BENVENGA, Abbate, cuius Itinerarium (*Viaggio di Levante, Bonon. 1688. in* 12.) stilo non satis conuenienti exaratum esse, monetur in *an.* 1690 *p.* 224. Acerbum hoc videbatur Abbati, ideoque singulari Apologia sese defendere studuit, quae legitur anno eodem, nihil respondentibus Diarii Auctoribus. Conf. IVNCKERVS *de Diariis Eruditor. p.* 212. *sq.* Postquam Bacchinus per aduersariorum odium Parma Mutinam discedere cogebatur, perrexit ibidem hoc saxum voluere, *anno*que 1692. Continuationem edidit. Plura ea de re memorantur in *Actis Eruditor. Lat. a.* 1693. *p.* 45. En! ipsa verba: *Redintegrarunt* (Bacchinus et Robertus) *laborem illum anno superiori* 1692. *nouumque orsi sunt volumen, cuius sectiones septem iam ad nos peruenerunt, non Parmae tamen, sed Mutinae excusae, qua in vrbe absolutum illud iam esse, aut absolutum certe iri propediem, non dubitamus. Deinceps vero, vt ex illustris Magliabechii litteris accepimus, Diarium istud Bononiae continuabitur, postquam in Academiam illam ad Lecturam, quam vocant, seu Professionem S. Scripturae P. Bacchinus vocatus est, proditurum, vt verosimile est, multo locupletius, quandoquidem P. Bacchinus, quod vniuerso Operi per nouam functionem haud fideret parem se futurum, laboris sibi socios Dominicum Guilielmum, Bernardinum Ramazzinum, clarosque forte viros alios adsciscere constituit.* Et successerunt omnino tria adhuc Volumina, *anni* scilicet 1693. 1696. et 1697. *Parmae* tamen, non Bononiae, in quam vrbem nunquam demigrauit Bacchinus, solo Professoris Bononiensis titulo contentus. Vid. IOECHERI *Gelehrten Lexicon,*

con, *Tomo I. p. 685. sq. edit. nouiss.* et FABRICIVS *l. c. p. 6.* Vterque Auctor disertis contendit verbis, quatuor annos dicti Diarii esse Mutinae diuulgatos, eiusque generatim *nouem* prostare *Volumina*. Sed scrupulum hoc iniicit doctissimo Editori *Catalogi Biblioth. Bunauianae, Tomo I. Vol. 1. p. 487.* quoniam in *Bibliothecae selectissimae Schoenbergianae Catalogo Tomo I. p. 403.* adfirmatur, praeter annum 1692. nihil amplius prodiisse. Crederem ego facile huic testimonio, nisi obstaret TENTZELIVS in *den monathlichen Vnterredungen a.* 1697. *p.* 18. quo loco meminit Epistolae Latinae, ab se ad Magliabechium exaratae, *de Sceleto Elephantino Tonnae nuper effosso*, quam Bacchinus Diarii Mutinensis *mense Octobri anni* 1696. recensuerit. Add. IDEM *p.* 70. *in princ.*

§. XII.

Restat, vt caetera Diaria celebriora nominemus, quae in ipsa Italia fuerunt exhibita. Sic *Ferrariae a.* 1688. *et* 1689. *in 4.* auctore IOH. ANTON. PHILONIO prodiisse scribit FABRICIVS *l. c. p. 5. Giornale de' Letterati in Ferrara.* Nihil autem de instituto eius ac virtutibus memorat Vir optimus, sed statim ad aliud huius vrbis properat, eodem titulo insignitum, quod opinione citius desiit, quum vix vna eius et altera Sectio lucem adspexisset. Conf. *Acta Erudit. Latin. a.* 1692. *p.* 47. Longe eruditior priori creditur architectus, PHILIPPVS nimirum DELLA TORRE; *et tempus bene congruit*, ait FABRICIVS, *illo enim anno constat Philippum, Auditoris functum munere, versatum Ferrariae apud Cardinalem Imperialem.* Sed silent hac de re, quos consului, vitae Torrianae Scriptores. Vnde igitur IVNCKERVS *de Diariis Erud. p.* 273. vbi hunc Auctorem nominat, id acceperit, non liquet. Docet idem, vidisse se Ianuarium ac Februarium *anni* 1691. *in 8.* et vtrum-

que menſem duabus ex plagulis conſtare, in quibus libri deſcribantur varii, at non fuſe admodum, nec frequenter etiam cenſurae alicuius veſtigia adpareant. In calce vtriusque menſis inueniri, addit, Indicem librorum aliquot, nouiſſime editorum. Quodammodo huc pertinet ſaltim *il gran Giornale in Forli*, (in *Foro Liuii*) per *annos* 1701. 1702. 1703. *et* 1704. *in fol.* Singulis hebdomadis vnum publicatum eſt folium, cuius prima pagina res inter litteratos geſtas, altera vero quotidianas, ciuiles ac militares, indicat, teſte laudato FABRICIO *l. c. p.* 7. Subſequenti *anno* 1705. *ibidem in* 4. IOSEPH. MALATESTA GARVFFI incepit *il Genio de' Letterati appagato colle notizie più ſcelte e pellegrine de' Libri moderni, e con altre abbondanti ed erudite Curioſità à varie Scienze ed Arti appartenenti.* Abſolutus eſt *Tomus I paginis 304.* ipſo eo *anno 1705; Tomus II. p. 298. anno 1708; Tomus III. pag. 131. anno 1709.* Valde rarum hoc vocat Diarium GOETZIVS in *den Merckwürdigkeiten der königlichen Bibliothec zu Dresden, Tomo III. p.* 175. *ſq.* vbi et ſignificat, laudandam eſſe Auctoris voluntatem, at vixiſſe eundem in loco exiguo, parumque ad inſpiciendos libros optimos opportuno; interim eum complura recenſuiſſe ſcripta, quae paucis Germanorum innotuerint, idque variis comprobat exemplis. Ante viginti, et quod excedit, annos auxit etiam Diariorum Italicorum numerum SCIPIO MAFFEVS. *Veronae in* 12. is edidit *Oſſervazioni letterarie, che poſſono ſervir di continuazione al Giornale de' Letterati d' Italia. Tomus I. a. 1737. Tomus II. ac III. a. 1738. Tomus IV. et V. a.* 1739. *Tomus VI*, quem vltimum eſſe ſcimus, *anno* 1740. prelo exiit. Quum maior eſſet librorum apud Italos vulgatorum copia, quam vt omnes vno in Diario habere locum poſſent, Editor celeberrimus, pro

pro arbitrio suo, selegit aliquos tantum, de quibus paullo copiosius dissereret, variasque adiungeret animaduersiones criticas ac litterarias. Praeter librorum vero recensiones inseruntur passim Obseruationes astronomicae, quaedam elogia doctorum Virorum, et alia, quae ad Antiquitatum studium referri debent. Cf. *Praefatio* Tomo primo praemissa. Laudantur pariter *Novelle letterarie Oltramontane per uso de' Letterati d'Italia*, quas schedas, triennio post, mutato titulo, *Giornale de' Letterati* inscriptas, Pagliarini, bibliopolae Romani, in hac ipsa Pontificis summi sede quouis mense *in 4.* excuderunt, et ab *anno* quidem 1742. Mentionem huius instituti faciunt *die Leipziger gelehrte Zeitung. anni* 1742. *p.* 703. vbi legimus, exspectandam esse in hocce Diario notitiam librorum praecipuorum, qui apud Gallos, Anglos Russosque lucem adspexerint, et Philosophiam, Geometriam, Philologiam, Antiquitatesque potissimum illustrent; eorum vero librorum, qui theologici sint argumenti et religionem tangant, non nisi titulos indicaturos Auctores. Postea in his ipsis Lipsiensium Nouis litterariis *a.* 1748. *p.* 666. addita quaedam sunt, ex quibus totius laboris cognosci ratio apertius potest. Eodem ex loco suspicari licet, quintum Volumen a. 1746. prodiisse; nonum autem anni 1750. recensetur *anno* 1752. *p.* 369. Quum haec scripsissem, peropportune in mentem veniunt *Novelle letterarie, publicate in Firenze.* Incepit haec Noua IOH. LAMIVS, adscitis quibusdam Sociis, *a.* 1740. *in 4.* A mense Iulio anni 1743. solus continuauit eadem vsque ad finem Tomi V. Prospere adhuc, quantum resciui, procedunt. Conf. BRVCKERI *Bilder-Saal heutiger berühmter Gelehrten, Decade IV. art. 5.* et STRODTMANNI *Beyträge zur Historie der Gelahrheit. Vol. I. p. 9.* vbi de controuersiis propterea excitatis varia leguntur.

tur. *Ibidem a.* 1742. *in 8.* auctoribus diuersis sequutum est *Giornale de' Letterati publicato in Firenze.* Quouis trimestri Pars est promissa decem plagularum, ita, vt annus quilibet Tomum singularem, Indice instructum, exhibeat. Initium laboris factum mense Aprili, at a. demum 1750. Tomus VI. absolutus est, docente id *Catalogo Biblioth.* FRID. OTTON. MENCKENII *P. III. p.* 395. Cf. *die Leipziger gelehrte Zeitung. anni* 1743. *p.* 915. Ignoro, an plures deinde accesserint Tomi. Exemplum Florentinorum accendit Siculos, vt similia tentarent. *Panormi* enim *anno* 1756. *Memoire per servir alla Storia letteraria di Sicilia* prelo exierunt. His in schedis libri in Sicilia editi recensentur ac diiudicantur, vel, si tales forte deficiant, Catalogi ac descriptiones MStorum optimorum inseruntur, item relationes de Bibliothecis, de nouis inuentis physicis, medicis, mathematicis, caet. Gratissimum erit exteris institutum, dummodo aetas ipsi prouectior contigerit.

§. XIII.

Ab Italis progredimur ad GERMANOS nostros, qui, horum Gallorumque studiis moti, idem suscepere negotium, et plerumque felici satis conatu. Cogitauerat iam hac de re MORHOFIVS, qui in *Polyhist. Tomo I. libr.* 1. *cap.* 16. *§.* 33. *p.* 177. *edit. nouiss.* ipse ita loquitur: *Iam viginti propemodum anni sunt, cum consilium non nemini suppeditarem, vt singulis saltim mensibus (vt in rebus politicis fieri solet) varias de rebus litterariis ex tota Europa conquisitas relationes publicaret, vsus eorum opera, quibus magnum est cum viris celebribus litterarum commercium: quod non ad libros tantum, sed et ad omnia cogitata et inuenta aliasque historias litterarias extendi vellem.* Pergit idem §. 42: *Anno 1682. in Academia Lipsiensi*

Lipſienſi viri aliquot docti laudabili conſilio negotium hoc ſuſceperunt, vt Acta Eruditorum publicarent, quibus non libros ſolum in omni doctrinae genere, ex omni gente, nouos recenſerent, ſed et inuenta noua phyſica et mathematica vndique conquiſita proponerent. Optime illa res hactenus cum eruditi orbis applauſu ſucceſſit, eſtque eius rei fructus longe maximus. Ego certe Germaniae atque illuſtri huic Academiae de illo conſilio gratulor, quod exteris quoque, quibus noſtra raro ad palatum ſunt, nunc placere incipit, vt iam in Gallicam quoque linguam Acta illa conuertantur. Primi ſunt igitur Lipſienſes, qui in vniuerſa Germania Opus tale vtiliſſimum exorſi ſunt, Diariumque Latina lingua ediderunt, titulo *Actorum Eruditorum* inſignitum. Effloruiſſe id inſtitutum videtur ex radicibus duorum, quae Lipſienſem olim Academiam haud parum nobilitarunt, Collegiorum, *Gelliani* ſcilicet et *Anthologici*, quorum Hiſtoriam, ab illuſtri GEBAVERO praeclare ſcriptam, infra *Cap. X.* non reticebimus. Socii iſtorum Collegiorum certis ſtatisque horis de rebus ad eruditionem ſpectantibus amicos conferre ſermones, maxime vero de libris nouis diſſerere, ex iis optima quaeque adnotare, atque haec in faſciculos, priuatis ipſorum vſibus inſeruituros, colligere ſolebant. Viguerunt haecce Collegia inde a medio ſaeculo XVII. ad annum, quod conſtat, 1673. quo deferueſcere paullatim coepit ardor Sociorum, et conuentus illi bonis litteris tam fructuoſi, incertum, qua de cauſſa, celebrari deſierunt. Neque tamen cum nomine res ipſa exſpirauit. Alterum enim Collegiorum, *Anthologicum*, vires reſumſit a. 1685. et ab illo tempore per annos amplius ſexaginta integrum ſeruauit decus ſuum, nouiſſimeque in aedibus Boerneri, Theologi praeſtantiſſimi, iucundum nacta eſt

hospitium; alterum, a *Gellio* nomen habens, nouam quasi formam accepisse videtur a. 1682. in Collegio ad componenda *Eruditorum Acta* constituto, nihil fere diuerso a priori, nisi quod huius Socii laborum suorum fructus cum aliis communicandos, librorumque descriptiones in publicos redigendas Commentarios duxerint: Gelliani e contrario ab hoc de re litteraria bene merendi conatu fuerint remotiores. Eo ipso igitur *anno* 1682. prodierunt *Lipsiae in 4. Acta Eruditorum*, quorum Pars singulis mensium Calendis exhibita semper est. OTTO MENCKENIVS, Philosophiae moralis ac ciuilis Professor, praecipuam Diarii curam suscepit, litterarum commercium cum viris doctis, exteris potissimum, instituit, ne materia scribendi, hoc est nouorum librorum adparatus, deesset vnquam, operam nauauit, sociorum in aedibus suis conuentus indixit, his, vt cuiusque facultas et studiorum ratio ferebat, pensa dedit, horum labores ordinauit, interdum etiam, quod ipsi a nonnullis permissum est, elimauit; porro in cuiusque Partis editionem sumtus erogauit; absoluto Volumini Praefationem, et nonnunquam, simul Dedicationem, Indicesque Auctorum, ac rerum notabiliorum adiecit. In Directoris nomine quum inesse magis inuidiae, quam gloriae verae, iudicaret Menckenius, non ipse tantum per omnem vitam modeste ab eo ac prudenter abstinuit, sed alios etiam, ne hunc sibi titulum tribuerent, seuere rogauit. Quod vero ad librorum recensiones attinet, hic plus a sociis, quam ab Ottone praestitum fuit, cui quippe continuum cum Viris eruditis ac typographorum gente litterarum commercium seruanti, in reuidendis primum, postea publicandis, Sociorum laboribus occupato, et alia plura curanti, quae abesse non poterant ab eo, quo inter Collegas fungebatur, munere, saepe ab expo-

exponendis librorum argumentis feriandum, quam ipse vellet, diutius fuit. Compensauit tamen hanc moram industria insigni, dictionisque non vulgari elegantia, cuius, quaecunque auctorem habent Menckenium, librorum descriptiones luculenta ostendunt vestigia. Quo in iudicis litterati negotio ita est versatus, vt de scriptis leuioribus leuiter, de grauioribus autem grauiter et copiose diceret, seque adeo, et labores suos omnes, ad Auctorum, quos ante oculos habebat, dignitatem componeret. Inter eos, qui adiutores fuerunt optimo Viro, noti sunt praecipue Mich. Ettmüllerus, Valent. Alberti, Ioh. Olearius, Frid. Benedict. Carpzouius, haud obscurum exteris nomen, quorum plurimos amicitia et litterarum commercio sibi coniunctissimos reddiderat, Polyhistor sane, doctrina et litteras adiuuandi studio, quam scriptis editis, clarior, Ioh. Bohnius, Adam Rechenbergius, Ant. Gunth. Heshusius, Henr. Sam. Eckoldus, Ordinis primum iuridici apud Lipsienses Adsessor, postea Lycei Gerani Inspector, Christoph. Pfautzius, (a quo priores anni non librorum tantum descriptionibus, sed mathematicis etiam, in primis astronomicis, Obseruationibus ita sunt ditati, vt vix praedicari satis hoc nomine praeclara eius et solito maior industria possit,) Ioh. Cyprianus, Thomas Ittigius, aliique longe plures, etiam exteri, et praeter hos, equestris Ordinis Viri, doctrina illustres, v. g. Vitus Ludou. a Seckendorf, de cuius diligentia, ab a. 1683. vsque ad a. 1692. adhibita, vid. DAN. GODOFR. SCHREBERVS in *Vita eius*, *Adpendicis littera*, *D.* Ehrenfr. Waltherus a Tschirnhaus, Henr. Comes a Bunau, caet. Exstat integrum Actorum horum exemplar in Bibliotheca Lipsiensis Academiae Paulina, vbi singulis librorum recensionibus Auctorum nomina adscripta sunt. Conf.

CHRI-

CHRISTOPH. ERN. SICVL in *Prodromo Neo-Annal. Lipſ. ann. 1715.* edito *p. 149.* in *Continuatione I. p. 424.* in *Contin. III. p. 725.* in *Contin. IV. p. 879;* eiusdemque *Leipz. Iahr-Geſchichte anni 1719. p. 47. derſelben annus* 1720. *p. 135.* et *annus* 1721. *p.* 247. *ſq.* quibus locis memorantur omnes eruditi, qui inde ab anno 1682. vsque ad a. 1716. ſymbolas ſuas contulerunt. Ex ſolis Academiae Lipſienſis Doctoribus publicis, qui non in partem laboris venerint, perpauci ſane proferri queunt. Erepto viuis Ottone Menckenio, quod anno 1707. factum, filius eius, IOH. BVRCHARDVS, inſtitutum hoc, parentis excoluit mirifice, et ad ſummam dignitatem euexit. Magno vtique labore, litterarum cum exteris commercio ampliſſimo, ſumtibusque haud exiguis effecit, vt ex omni terrarum parte conquiſita librorum nouorum copia eius in manus perueniret. Ita enim exiſtimabat non ignarus iſtarum rerum Menckenius, vt decus quoddam, laudemque praecipuam, nondum occupatam a caeteris Ephemeridum, quarum turmas et phalanges innumerabiles inde a ſaeculo dimidio dedit Gallia, Britannia, Belgium, et nihil non monſtrorum in ſuum dedecus parturiens Germania, Scriptoribus, ſuis eruditorum Actis acquireret, in eo elaborandum ſibi cumprimis eſſe, ne vulgaria nimis, et in triuiis compitisque obuia, aut quorum facile carere lector notitia poſſet, hic locum inuenirent, nec rudi magis plebeculae et in elegantiori ſtudiorum genere tirunculis, quam exercitati et ad maturitatem perducti ingenii viris, haec viderentur ſcripta: deinde, vt, qui de libris recens editis publice dicerent ſententiam, hi probe gnari huius artis eſſent, opinionemque doctrinae haberent, et Latine ſcirent comte ſcribere: denique vt ab his ipſis longiſſime abeſſet vel vituperandi libido petulans, vel laudandi ſtudium prae-

praepoſterum, eſſentque omnia, quae dicerentur, non minus ad rigorem veritatis, quam mollem, ſi fieri id poſſet, lenitatem compoſita. Haec verba ſunt, a fide non aliena, filii, FRIDERICI OTTONIS MENCKENII, (in *Vita parentis, Diſſertationibus* eius *Academicis* praefixa, *p. 35.*) qui, poſt patris laudatiſſimi obitum, anno 1732. a Calendis Maii auiti paternique Diarii curam ſuſcepit, prouiditque ſedulo, ne a priſtina ſcribendi iudicandique norma Auctores eius temere deflecterent. Singulos idem Tomos Praefatione ornauit perquam eleganti. Sed abiit hoc munere Vir, vita longiori digniſſimus, anno 1754. menſe Martio, eiusque in locum heredes Menckeniani ſubſtituerunt clariſſimum apud Lipſienſes Profeſſorem, CAROL. ANDR. BELIVM. Is igitur, adhibitis more priſtino variis laborum conſortibus, ſtrenue continuat Opus, per octoginta prope annorum ſeriem nunquam interruptum. Totius autem inſtituti haec eſt ratio. In recenſendis libris et opuſculis minoribus, omnium diſciplinarum linguarumque, id agitur primum, vt titulus indicetur, Auctor, locus, annus editionis, forma, et bibliopola, additis etiam a menſe Iulio anni 1689. plagulis, quas ſcripta quaelibet complectuntur. Pro re nata diſſeritur deinceps modo fuſius, modo breuius, de librorum argumentis: plerumque adſcribi ſolent iudicia, item animaduerſiones criticae nonnunquam, ſi Auctor non vbique adſenſum mereri videatur. Eos porro, qui latere voluerunt, detegere ſaepe ſtudent Actorum horum architecti, Virorumque celebriorum, quos mors abripuit, Elogia, ſiue Vitas, ex ſchedis adcuratis deſumtas, adnectunt, quod vero anno demum 1706. introductum eſſe deprehendimus. Paſſim occurrunt quoque Noua litteraria, vel Catalogus librorum ab exteris nuper vulgatorum, nec non noua inuenta

inuenta mathematica, physica, medica, atque alia scitu dignissima, siue ex nobilissimis Anglorum Gallorumque Ephemeridibus electa, siue hic primum exposita. Accedunt, praeter haec, Excerpta ex hominum doctissimorum litteris, ad Editores exaratis, variaeque Obseruationes mathematicae, philosophicae, physicae, anatomicae, chirurgicae, *septem Tomis*, vt legimus, a Venetis separatim *an.* 1740. *sq. in 4.* consilio BERNARDI ZENDRINI, prelo subiectae. Quod quam aegre tulerit FRIDER. OTTO MENCKENIVS, docent ipsa *Eruditorum Acta anni* 1740. *p.* 571. *sq.* vbi etiam, post indicatas editionis huius adulterinae maculas, longe melioris spem facit, ita quidem, vt emtorum consulatur commoditati, et, reuocata certas ad classes tot scriptorum sylua, alio Volumine mathematica, et quaecunque sublimioris sunt Philosophiae, alio medica et ex doctrina naturali petita, alio litteraria et miscellanea quaeque (talium enim Commentationum, praeclaram copiam continet simul Actorum Opus) exhibeantur. Sed non licuit exsequi destinata, forte ob eorum paucitatem, qui de sumtibus recipiendis certiorem reddiderunt, Virum boni publici studiosissimum. A prima Diarii praestantissimi origine vsque ad annum 1732. quinquaginta edita sunt Volumina, quorum vnumquodque duodecim Ephemerides, frequenter figuris aere excusis ornatas, complectitur. Dicto anno 1732. incepta sunt *Noua Acta Eruditorum*, seruatis tamen pristinis legibus, praeterquam quod inde ab anno 1738. Volumina eorum tribus Partibus aucta fuerunt. Quum enim cresceret in dies librorum numerus, de quibus, pro argumenti dignitate, per longam saepe paginarum seriem disserendum erat, nec *Supplementa*, iam aliquoties addita, sufficerent, menses Martius, Iunius atque September in duas Sectiones, prorsus

inter

inter se aequales, sunt diuisi. Conf. *Praefatio anno* 1737. praefixa. Ad Supplementa, quorum est modo iniecta mentio, quod attinet, eorum *Tomus primus*, duodecim, vt reliqui, Partes habens, *a.* 1692. *in 4.* publicatus integer fuit. *Alter* successit 1696; *tertius* 1702; *quartus* 1711; *quintus* 1713; *sextus* 1717; *septimus* 1721; *octauus* 1724; *nonus* 1729; *decimus* 1734. Eiusmodi Supplementis *Noua* etiam *Acta* instructa esse nouimus, exiitque Tomus *primus* a. 1735; *secundus* 1737; *tertius* 1739; *quartus* 1742; *quintus* 1745; *sextus* 1749; *septimus* 1754; *octauus* 1757. Sunt haec spicilegium quasi eorum librorum, qui aut sero, et vbi gratiam nouitatis iam exuerant, peruenerunt in manus Editorum, aut ipsorum antea memoriam effugerunt. Caue igitur suspiceris, nil nisi leuia, et in triuiis collecta, quaeque Actis futura essent dedecori, coniecta in Supplementorum Tomos fuisse. Horum aeque ac ipsorum Actorum Voluminibus singulis ab initio statim, Scriptorum rerumque notabilium Indices accesserunt, iique cum Decennio secundo paullo locupletiores. Magis tamen adcommodati sunt lectorum vsibus Indices generales cuiusque Decennii, quos admodum amplos esse, et, praeter Auctorum, de quorum dictum erat libris, Catalogum, ordine alphabetico confectum, rerum theologicarum, iuridicarum, medicarum, physicarum et mathematicarum, miscellanearum, tandemque Auctorum emendatorum, explicatorum, notatorum, vindicatorum, ingentem monstrare copiam, vel vno cerni oculo potest. Editi sunt hi *Indices generales primi Actorum Decennii et Supplementorum Tomi I. a.* 1693. *in 4.* auctore potissimum IOH. IAC. STVBELIO, ita quidem, vt, qui contenti esse hoc Actorum Decennio vellent, integrum quasi possiderent Opus, nec necesse haberent, etiam reli-

qua,

qua, quae post annum 1691. luci exposita fuerant, comparare: qui vero recentiora maxime desiderarent, sumtum possent minuere, eaque coëmere demum, quae ab anno 1692. prodierant. Subsequuti sunt *Indices generales in Decennium alterum et Supplementorum Tomum secundum ac tertium an. 1704; in Decennium tertium ac Supplementorum Tomum quartum et quintum a. 1714; in Decennium quartum et Supplementorum Tomum sextum et septimum a. 1723; in Decennium quintum, nec non Supplementorum Tomum octauum, nonum et decimum 1733; in Decennium sextum, quod est Nouorum Actorum primum, et ad ea Supplementorum Tomum primum vsque ad quintum 1745.* Caeterum tanto plausu excepta fuerunt ab eruditis haec Acta, vt etiam in Belgio versionem Gallicam aliquis moliretur. Sed absolutus est saltim annus primus, *Hagae Comitum a. 1685. in 12.* hoc titulo foras datus: *Ouvrages des Savans publiez à Leipsik, l'An 1682. Tom. II.* Nec hoc tacendum, varias exterarum Ephemeridum Collectores ex iis in suos vsus conuertisse meliora. Multorum, quorum condecorata sunt laudibus, nomina FRID. OTTO MENCKENIVS adfert in *Vita parentis, p. 31. not. gg*). Non defuerunt tamen, qui scriptis singularibus *Eruditorum Actis* sese opponerent; quod nemo mirabitur, qui, nunquam ius dici aequaliter posse, secum reputauerit. Inter hos, vt vno alteroue id probetur exemplo, occurrunt IOH. HENR. EGGELINGIVS, qui Mysteria sua Cereris et Bacchi Opusculo *Censura censurae Mysteriorum Cereris et Bacchi* inscripto, *Bremaeque 1684. in 4.* edito, defendere conatus est, cui autem IOACH. FELLERVS in *Vindiciis aduersus I. H. Eggelingium Lips. 1685. eadem forma* respondit; PETR. POIRETVS, cuius e calamo, satis infesto, manauit *Monitum necessarium ad Acta Erud. Lips. an. 1686. m. Ianuarii spectans, in quo compilator articuli*

tertii

tertii Actorum de Antonia Burignonia eiusque operibus referens plusquam quadragesies falsi conuincitur, Amstel. 1686. 4. contra quod vero prodiit ampla Anonymi, i. e. SECKENDORFII, *Defensio Relationis de Antonia Burignonia, Actis Erud. Lips. m. Ian. an. 1686. insertae, aduersus Anonymi famosus chartas* caet. *Lips. 1686. 4.* in ipsis Actis *anni 1687. p. 233.* breuiter indicata, non recusa, vt falso lectoribus suis confirmat LE LONG in *Biblioth. historique de la France p. 889;* Antonius a Mara, seu, quod verum eius nomen est, ELIAS SCHNEEGASS, de quo vid. *Acta Erud. a. 1689. p. 651. sq;* CAROLA CATHARINA PATINA, cuius *Epistolae Apologeticae pro parente, Patauii an. 1689.* datae, praecipua capita memorantur *ibid. a. 1691. p. 337. sq;* item IAC. GRONOVIVS, cuius controuersiae talis est ratio. Ediderat IOACH. FELLERVS, adsumto Francisci Dermasii nomine, *Lips. a. 1687. in 4. Epistolam* ad Adam. Rechenbergium *de intolerabili fastu criticorum quorundam, speciatim Iac. Gronouii,* caet. in qua Grotius non solum, sed alii etiam Belgarum critici perstringuntur, et potissimum Gronouius, propter argumentum de morte Iudae, refutatur. Inde motus est Gronouius, vt in altera editione Exercitationum suarum *de nece Iudae,* L. B. *1702. in 4.* in Actorum Collectores, imo totam Academiam et Ciuitatem Lipsiensem, inique admodum et proterue inueheretur. Paucis, sed grauiter recteque, ira eius explosa est in *Actis Erud. a. 1703. p. 15.* Cf. IOH. BVRCH. MENCKENII *Orat. I. de Charlat. eruditorum p. 85. edit. quartae Lipsiensis, a. 1727.* adornatae. Alii maiorem in seligendis libris curam desiderarunt. His vero commendanda *Praefatio, Tomo I. Supplementorum ad Noua Acta Eruditorum* praemissa, vbi sequentia praecipue legi merentur: *Commemorari passim leuia, nec litterato orbe digna satis, non solum non vituperan-*

 dum,

dum, ſed quodammodo laudandum etiam putamus. Quam vellemus, ita comparatum eſſet cum litteris, vt nihil non praeclarum et eximium eruditorum manibus exiret, nec eſſet nobis interdum de re vili et inutili leuiter et abiecte dicendum. Sed peſſime ſcilicet hac ſorte vtitur res litteraria, vt colligentibus regales hederas ſaepiſſime infelix lolium obueniat. Vbi muneris nos arbitramur noſtri eſſe, probra haec et dehoneſtamenta eruditionis ante oculos omnium exponere, et, vt tempeſtiue ab his caueant Lectores, prudenti admonitione efficere. Adde, ſi lubet, *Praefationem,* quae in *Tomo II.* horum *Supplementorum* conſpicitur. Quod perſonato illi VIGNEVL-MARVILLE in Eruditorum Actis diſplicet, non adeo magni quidem eſt momenti, vix improbandum tamen, quantum nobis ſtatuere datum. Poſt laudes enim debitas, quas tribuit labori, in *Melanges d'Hiſtoire et de Litterature, T. I. p. 298. edit. ſecundae* ſic ſcribit: *On en pourroit retrancher plusieurs Préfaces, qui ſe trouvant ſans neceſſité à la tête des queſtions, ne peuvent paſſer que pour des piéces hors d'oeuvre.* Sed quo facilius haec et alia forſitan, vbi plura nitent, poſſunt tolerari, eo certius eſt HEVMANNI iudicium in *Poecil. Tomo III. lib. 4. p. 614. Qui acta,* inquit, *Eruditorum poſſidet, per tot annos Lipſiae edita, quantam is bibliothecam poſſidet, et quam multorum librorum inde petere poteſt notitiam, eamque non titularem ſolum, ſed etiam realem!* His verbis clauſulam imponimus antiquiſſimi apud Germanos Diarii deſcriptioni, ad quam vtiles nobis fuerunt IVNCKERVS *de Ephemerid. eruditor. p. 142. ſq.* et FRID. OTTO MENCKENIVS in notis ampliſſimis, Parentis *Orationi de vita et in litteras meritis Ottonis Menckenii* ſubiunctis. Occupat illa ſpatium poſtremum in *Volum. I. Parte 4. Nouorum Miſcellaneor. Lipſienſ. p. 644. ſq.*

§. XIV.

§. XIV.

Inter eos, qui Germanica lingua libros recensuerunt, primum sibi locum vindicat CHRISTIANVS THOMASIVS, Vir celeberrimus. Edere is coepit cum mense Ianuario *anni 1688. Schertz- vnd ernsthafte, vernünftige vnd einfältige Gedancken über allerhand lustige vnd nützliche Bücher vnd Fragen, in einem Gespräch vorgestellet von der Gesellschaft der Müssigen. Lipsiae*, et cum mense Aprili, *Halae Magdeburg. in 8.* Continuauit laborem singulis mensibus vsque ad finem anni 1689. Qui priori anno prodierunt menses, in duos Tomos fuerunt diuisi, vtroque Indice instructo. Omissa tamen statim post alterum mensem Societatis otiosorum mentio, mensisque December hunc habet titulum: *Ernsthafte Gedancken über etliche ernsthafte Bücher vnd Fragen;* quoniam in eo *Masii de Interesse Principum circa religionem Lutheranam* librum stilo serio sub examen vocauerat Auctor. Posterioris anni Ephemerides sic fuerunt inscriptae: *Freymüthige, iedoch Vernunft- vnd Gesetzmässige Gedancken über allerhand, fürnemlich aber neue Bücher.* Figurae huius anni, aeri incisae, et cuiuis mensi praefixae, repraesentant aliquod aenigma, cuius explicationem ipse Auctor suppeditat in *Adpendice p. 1161. sq.* Figurae autem anni 1688. ad historiam aliquam, aut certam rem spectant, quae in ipsa recensione sermonis materiam praebuerat. Has cogitationes menstruas Thomasius non plane librorum describendorum caussa, sed alio etiam animo, diuulgauit. Scilicet id est molitus vbique, vt praeconceptas, quae a tam longo tempore homines deceperant, opiniones euelleret, Pedantismum, immanem illam belluam, viuis coloribus depingeret, singulosque de vitando eodem hortaretur, item, si qui speciosis librorum titulis circumuenerint eruditos, illorum aperiret insaniam,

et communem scribendi pruritum per risum iocumque contemneret. Ad haec vero peragenda nullam is methodum iudicauit aptiorem, quam Dialogos, in quibus disputantes libere sensa mentis explicant. Et multa sane exposuit hac occasione Auctor, quae haud vbiuis obuia sunt, strenueque persequutus est destinata. Anno tamen 1689. ab hac methodo recessit, ob caussas, in *Praefatione p. 24. sq.* adlatas. *Ibidem p. 28.* de instituto suo sic ipse loquitur: *Mein Vorhaben ist dahin nicht gerichtet, daß ich über Bücher aus allen Facultäten raisonniren wolle, sondern ich bin nur gesonnen, über etliche Schriften, die entweder auf eine indifferente Belustigung des Gemüths, oder auf rechtschaffene Erbauung des Verstandes ihr Absehen gerichtet haben, oder die unter dem Deckmantel einer scheinbaren Gelahrheit und Gottesfurcht Vngelahrheit und scheinheiliges Wesen zu verbergen oder zu vertheidigen gesucht, meine unmaßgeblichen Gedancken dem Leser mitzutheilen, vnd zwar dieselben eintzig vnd alleine nach meinem eigenen Gefallen auszukiesen, vnd mich dißfalls zu keines Menschen Sclaven zu machen.* Facile igitur colligi potest, diuersos hocce Diarium nactos esse iudices, aliosque laudasse, alios culpasse, praecipua eius argumenta. Plerique nimiam sentiendi libertatem, et satyricam scribendi rationem reprehendebant, contra quos autem ipse se defendit Auctor in *Praefatione* memorata *p. 15. sq.* Nonnulli etiam publicas commouerunt lites, inter quos Ioh. Ludov. Praschius, Ictus Ratisbonensis, et Hector Godofredus Masius, Theologus Hafniensis, potiores sunt. Vid. de illo *Diarii Thomasiani annus 1689. m. Aprili p. 295. sq:* de hoc autem, qui acerrimus fuit, *ibidem mensis Maius et Iunius p. 309. sq.* Absurdum est scriptum, quod *Lipsiae a. 1689. in 8.* excu-

sum

ſum eſt hoc titulo: *Bédencken über die Schertz- und ernſthafte alberne und unvernünftige Gedancken einer ſeltſamen neuen Geſellſchaft der Müſſigen. Gedruckt nach der erſten Edition zu Aboë in Finnland.* Ex IOBI LVDOLFI, viri alias litterarum ſtudiis clariſſimi, calamo illud fluxiſſe, hodie nemini facile ignotum erit, qui vel ſolum CHR. IVNCKERI *de vita, ſcriptis ac meritis Ludolfi Commentarium p. 168.* inſpexerit aliquando. Incenderat iram cenſura Thomaſii in *menſe Ianuario anni 1688.* propter Opuſculum Ludolfianum *de bello Turcico feliciter conficiendo.* Cf. hic *Dedicatio* THOMASII *a. 1689.* praemiſſa, eiusque inimicis oblata, *pagina*, ſi numeres, 34. Generatim dicendum eſt, Auctorem, ob haſce ſchedas menſtruas, Lipſienſium quorundam animos primum exaſperaſſe, ita quidem, vt ſe paſſim depexos dari credentes, ad internecionem fere perſequerentur eundem, quod ipſe docet in *Parte III. der ernſthaften aber doch muntern und vernünftigen Gedancken über allerhand iuriſtiſche Händel, p. 4. ſq.* Abrupit autem laborem ſuum finito anno 1689. huiusque conſilii rationes ipſe ſub finem *Tomi vltimi* expoſuit *p. 1145. ſq.* vbi legitur *Beſchluß und Abdanckung des Autoris.* Continuandum quidem inſtitutum ſuſceperat Anonymus hoc titulo: *Freymüthige, iedoch Vernunft- vnd Geſetzmäßige Gedancken über allerhand, fürnehmlich aber neue Bücher, Halae 1690. 8.* Sed poſt menſem Aprilem nihil amplius prodiit ab Auctore, quem eſſe IOH. IACOBVM A RYSSEL, Lipſienſem, iam non dubitatur. Nullius inſtinctu ſe conſcripſiſſe haſce ſchedas in *Praefatione p. 6.* ipſe ſignificat. Non autem quoscunque libros recenſet, ſed illos tantum, qui conducere ad vitam ciuilem poſſint. Hos itaque in compendium redegit, Gallica etiam, paruae molis et inuentu rariora, Germanice conuertit, ſuas deinde adiecit Obſeruationes, quid-

 que

que ipſi albo atroue calculo notandum videbatur, diligenter monuit. Aduerſarium nactus eſt ANDR. PETERMANNVM, Lipſienſem Medicum ac Profeſſorem, qui ficto Iani Ariſtophili nomine duabus plagulis *in 4.* edidit: *Eine gründliche Beantwortung der freymüthigen, aber ungegründeten Gedancken, welche ein unbekannter Cenſor in ſeinem April-Monate von der Vindicatione Philoſophiae Carteſianae ohne gebührenden gnugſamen Bedacht geführt*, caet. Conf. IVNCKERVS *de Ephem. eruditor. p. 57. ſq.* Thomaſiano labori ſubiungi merito debent *die Monathlichen Vnterredungen einiger guten Freunde von allerhand Büchern und andern annehmlichen Geſchichten, allen Liebhabern der Curioſitäten zur Ergötzlichkeit und Nachſinnen herausgegeben von A. B. Lipſ.* 1689. 8. Decem ſunt iuſtae magnitudinis Volumina, quae vsque ad annum 1699. excurrunt. Verum auctorem habent iſthaec Colloquia menſtrua GVIL. ERNESTVM TENTZELIVM, qui ſingulis menſibus Partem eorundem publicauit. Varios amicorum quorundam, in certa quadam vrbe ſtatis diebus conuenientium, ſermones de libris fingit, ad omne diſciplinarum genus pertinentibus. Horum igitur titulum et argumenta commemorat, ſtiloque libero, et non nunquam ſale condito, multas quaeſtiones, notatu dignas, proponit, ac de iisdem quid ſentiat, aperit. Inſeruit quoque integras quasdam relationes, quarum facilis eſt iactura, Epiſtolas eruditorum, inſcriptiones, nummorum explicationes, Vitas virorum celebrium, noua litteraria, et ſimilia, quae et iucunda, et neceſſaria ſunt ſcitu. Praeter tabulam aeneam, ſingulis menſibus praefixam, qua vel nummus, vel alia res, modo ſeria, modo iocoſa, exhibetur, inque ipſo colloquio illuſtratur, cuilibet Tomo accedit triplex Index, quorum vnus libros, Lectoribus indicatos, alter Scriptores, de

quibus

quibus mentem ſuam expoſuit Auctor, vel memorabile quid interſperſit, tertius denique res potiores continet. Multum ſane eruditionis, at in poſteriobus Partibus minori feruore, hoc nobili Diario commonſtrauit Tentzelius; neque enim in ſola librorum recenſione perſtitit, ſed varias etiam, easque rariores, immiſcuit Obſeruationes, quae inſignem in re litteraria vſum praeſtant. Mouerunt hae dotes SIMONOM DE VRIES, vt laudatum Diarium in Belgicam transferre linguam inciperet, ſed poſt Tomum primum, *Vltraiecti anni* 1703. *in* 8. excuſum, abiecit, neſcio quam ob cauſſam, continuandi laboris conſilium. Conf. *Praefat. Fabriciana*, MORHOFII *Polyhiſtori* praefixa, vocibus: *Monathliche Vnterred.* STRVVIVS ſcripſit olim, de Vries ea potiſſimum, quae iucunda ſunt et curioſa, elegiſſe ex Tentzelii Opere, atque Obſeruationibus quibusdam adauxiſſe; quae an recte ſe habeant, nec ne? dicere non auſim, quum nunquam oculis obuenerit meis verſio haec Belgica. Inter aduerſarios Tentzelii referuntur a *Iunckero l. c. p.* 267. *ſq.* IOH. REISKIVS, CASP. HEVNISCHIVS, IOH. CHRISTOPH. HOLTZHAVSEN, ERASMVS FRANCISCI, DANIEL HARTNACCIVS, et alii Anonymi. Durius et iniquius eſſe videtur CHRIST. THOMASII iudicium in *Praefatione Ethicae*, vbi ſic de Auctore: *Seine Vnterredungen bezeugen insgeſamt, daß er zwar ein Mann ſey, der viel Bücher geleſen, und der in hiſtoricis et antiquitate des ihm gehörigen Ruhms nicht zu berauben iſt; aber der hierbey in Philoſophia reali, ſowohl Theoretica als Practica, das allerwenigſte verſtehe, und gelernet habe, ſondern wenn er darauf fällt, nicht anders als ein offenbarer Sophiſte raiſonnire, und ſeine Vnwiſſenheit für iedermanns Augen lege.* Plures floſculos, ſi Diis placet, elegantes praetermitto,

mitto, quia ne Lectorum huius Praefationis oculis forte occulti manerent, statim in titulo libri additur: *nebst einer Vorrede, in welcher unter andern der Verfertiger der curiösen Monathlichen Unterredungen freundlich erinnert und gebeten wird, von Sachen, die er nicht verstehet, nicht zu urtheilen, und den Autorem dermahleins in Ruhe zu lassen.* Maiori adhuc impetu idem adgressus est Tentzelium in *der weitern Erleuterung durch verschiedene Exempel des ohnlängst gethanen Vorschlags wegen der neuen Wissenschaft, anderer Menschen Gemüther erkennen zu lernen, Halae 1692. 8.* Quatuor ibi Capitibus, quae libellum fere totum conficiunt, acriter Tentzelium perstringit, alteroque eorum copiose disserit de mendis quam plurimis, quibus Colloquia menstrua impleta sint. Meo quidem iudicio modum transgressus est Thomasius, magna tamen culpae pars etiam in Tentzelium cadit, qui Virum satyrici ingenii, nec mediocris eo iam tempore auctoritatis, non nisi leuissime tractare debebat. Nec negari praeter haec potest, varia in Colloquiis Tentzelianis obseruari, quae ad ineptias, dictaque parum prudenter emissa, iure ac merito referri debent, vti quidem Thomasius *l. c.* luculenter comprobat. *Anno* 1704. ad continuandum Diarium animum Tentzelius adpulit, sed instituto parumper immutato. Noui laboris titulus est: *Curieuse Bibliothec, oder Fortsetzung der Monathlichen Unterredungen einiger guten Freunde*, caet. *durch Wilh. Ernst Tentzeln, Lips. 1704. 8.* Tomi sunt tres, in Repositoria diuisi, quorum duo priora duodecim loculos, vltimum vero *anni* 1706. non nisi nouem pandit, quoniam Auctor paullo post rebus humanis ereptus fuerat. Reliquos tres loculos, ne lacuna super-

ſupereſſet, adiecit quidam C. T. I. quem fuiſſe IOH. GOTTLIEB KRAVSIVM, tunc iuuenem adhuc, indicant *die Leipziger gelehrten Zeitung. a. 1736. p. 904. ſq.* Verum eodem, quo Tentzelius, adparatu haud fuit inſtructus. In hac ipſa continuatione Tentzelius more dialogi non vtitur, ſed, poſt praemiſſum libri titulum, ad ipſius ſtatim progreditur recenſionem, ita tamen, vt Obſeruationes complures immiſceat paſſim, rem nummariam illuſtret, inſcriptiones atque alia proferat, quandoque cenſorem etiam agat. Neque vero tantum eruditionis, tantumque librorum praeſtantiorum, hic oculis occurrit, vti quidem in Colloquiis menſtruis, cuius inopiae cauſſam Auctor ipſe adduxit in *Repoſitorio III. p. 191.*

Anno huius ſaeculi *ſecundo* prodierunt: *Neue Vnterredungen, darinnen ſowohl ſchertz- als ernſthaft über allerhand gelehrte und ungelehrte Bücher und Fragen freymüthig und unpartheyiſch raiſonniret wird, vorgeſtellet von P. S. Q. Lützen, wo König Guſtav Adolph von Schweden tod geblieben. 8.* Auctor eſt NIC. HIERON. GVNDLINGIVS, celeberrimus olim in Academia Halenſi Ictus, vbi et libellus excuſus fuit. Differit ille non de libris tantum, ſed etiam aliis rebus obuenientibus, ſpeciatim opinionibus ſingularibus, quas tamen ſaepe tangit potius et acute perſtringit, quam adcurate diiudicat. Multa profecto libertate viros exagitat clariſſimos, eorumque vitia et praeconceptas opiniones iuſto forſitan acrius notat, quod ipſum viuido ſcribentis et ſatvrico ingenio conueniebat. De ſacris quoque noſtris haud pie ſatis eundem ſermonicari, conqueritur non nemo in *den Vnſchuldigen Nachrichten a. 1702. p. 91.* Deſiit autem cum tertia Parte, menſe Martio, inſtitutum, quoniam plerisque diſplicebat. Quae RICHEIVS olim in

Collegio MSto ad Introd. Struuianam Cap. I. §. 17. propterea monuerit, haec sunt: *Gundlingius ille, apud Halenses nunc Professor publicus, iamque ex aliis scriptis satis notus, licet elegantioris doctrinae satis habeat, non solis tamen ludimagistris, et veterum nugarum mancipiis, vti forte ipse putat, sed cordatioribus etiam inuisus est ob arrogantiam, et affectatum rerum nouarum studium, cum mordacitate stili coniunctum, in quibus data opera ad mores Christ. Thomasii se effingit.* Inseruerat haec, nomine Auctoris, casu quodam, non adiecto, *Analectis* suis *ad Struuian. Introd.* IOH. CHR. COLERVS, quod ita irritauerat Gundlingium, vt non posset sibi temperare, quin *Parte XXXVI. Gundlingianorum p. 20. sq.* aspere bonum Virum ac vehementer perstringeret. Inter praecipuos Nouorum horum Colloquiorum aduersarios referendus est Anonymus quidam, qui edidit *den neu eröfneten Ianus-Tempel, oder unvermuthlich entstandenen Federkrieg, bey Gelegenheit des gar zu hitzigen Ianuarii, Ranstadt auf dem Wege nach Lützen 1702. in 8.* Praeter notatam nimiam censendi libertatem, excusantur in hoc libello viri illi eruditi, quos parum liberaliter tractauerat Ephemeridum Auctor, simulque, cuius dogmata de Iure naturae impugnauerat idem, Ioh. Gröningius, defenditur. Caeterum dolent satyrici amatores ingenii, segetem hanc Gundlingianam in ipsa herba fuisse suppressam. Sunt enim, qui pro certo adfirmant, Samuelem praecipue Strykium, magnae tunc in Academia Fridericiana auctoritatis Ictum, vltimam paginam ad se transtulisse, statimque, ne pergeret Scriptor, interdictione publica effecisse. Digna sunt, quae hic loci adferantur STOLLII verba in *der Nachricht von den Büchern*

seiner

feiner Bibliothec, Parte V. p. 508. Ita vero ille: *die Vrfache hierzu ift fonderlich im letzten Blate zu fuchen; denn es meinten verfchiedene unter der Perfon Caffanders angeftochen zu feyn, deren Anfehen hinlänglich genug war, wieder einen iungen Scribenten, der noch keinen Character, und damahls blos Thomafium und Buddeum zu Patronen hatte, durchzudringen.* Nihilo tamen minus pulchre vendidit, vt plerumque fieri folet, prohibitas hafce plagulas bibliopola, ideoque, per aliquot annorum fpatium, rarius eaedem obuenerunt in tabernis librariis. Nunc vero recufae leguntur in GVNDLINGII *fatyrifchen Schriften*, quae Collectio foras data eft *Ienae 1738. in 8.* Conf. *ibidem p. 250.* et *p. 251.* fubiunctae notulae, vbi corroborantur dicta ante de Strykio. STOLLIVS *l. c.* memorauit argumenta praecipua, quae in his Colloquiis pertractantur.

Addere hic paucis licebit *Nouveau Journal des Savans dreffé à Berlin par M. C. à Berlin 1696. 8.* Continuatum per duos annos fequentes fuit hoc Diarium, tribuendum STEPH. CHAVVINO, cuidam ex Galliae exulibus, anno aetatis octogefimo quinto Berolini 1725. viuis erepto; quique iam tales Ephemerides eodem titulo *Roterodami a. 1694.* a menfe Ianuario ad Iunium *in 8.* luci exponere coeperat. Recenfet ille varii generis libros, in fola tamen, quae fatis fida eft, argumenti expofitione occupatus, fine interiectis Obferuationibus. In fine cuiuslibet Sectionis, quae binos femper menfes complectitur, adnectuntur aliqua Noua litteraria ex quauis politiorum gentium regione, Germania vero et Gallia cum primis, eaque maximam partem vel edendorum fcriptorum fpem faciunt, vel breuiter iam editorum fumma capita exhibent. Conf. omnino BENTHEMIVS *im Holländifchen Kirchen-*

chen- und Schulen-Staat, *P. II. cap. 4. p. 437.* et BAELIVS *Lettr. choiſ. T. I. p. 245.*

§. XV.

Directore inſtituti, et auxiliatrices manus praebente, Godofr. Guil. Leibnitio, IOH. GEORG. ECCARDVS, tunc temporis eidem a ſecretis, *anno 1700. Hanouerae in 8.* adgreſſus eſt *Monathliche Auszüge aus allerhand neu herausgegebenen nützlichen und artigen Büchern.* Feliciter ſucceſſit labor vsque ad anni 1702. exitum, quo conquieuit plane cum *Tomo tertio*, non eadem vbique cura et eruditione, vti quidem priores, abſoluto. Auctor enim ad alia translatus: Leibnitius etiam Berolinum conceſſerat: ideoque per alios Tomus vltimus fuit compoſitus. Trium ſane Partium vltimarum elaborationem IOACH. MEIERO, Gymnaſii quondam Goettingenſis Profeſſori, adſcribi, lego in *der Geſchicht-Beſchreibung der Stadt Göttingen Parte III. p. 254.* Ipſae contra Ephemerides Eccardianae melioris omnino frugis ac notae ſunt, dolendumque profecto, eas non diutius a Viro tam docto continuatas fuiſſe. Libri quippe recenſentur omnium diſciplinarum, iique vtiliſſimi, paucis tamen ſub examen vocatis. Si quid autem vel de Auctore, eiusque ſcriptis aliis, vel propter argumenti pertractationem, monendum erat, id notis ſeparatis perficitur. Inſeruntur quandoque Obſeruationes numiſmaticae, et alia iucundiora, quae Eccardo transmiſſa fuere. Adduntur in fine ſuprema hominum celebrium fata, et plura Noua litteraria, inter quae non pauca ſunt praeſtantiora. Id modo aegre ferunt, qui libros eiusmodi euoluere ſolent, promiſſos a bibliopola Auctorum, ſcriptorum, rerumque praecipuarum Indices non acceſſiſſe. Conf. STOLLII *Nachr. von den Büch. ſeiner Biblioth. P. V. p. 501. ſq.*

Paullo

Paullo post BVRC. GOTTH. STRVVIVS in lucem protulit *Acta litteraria, ex MStis eruta, Ienae 1703. in 8.* Tot iam ea tempestate quum prostarent Ephemerides, vt plane incongruum putaret, easdem augere, aliam eligere ipsi viam, librosque, nondum editos a quopiam, recensere placuit. In *Fasciculos* redegit omnem adparatum, quorum primus, post Schediasma de Criteriis MStorum, cuius in *Tomo I. huius Bibliothecae p. 766.* iniecta est mentio, exhibet. *Gesta Dagoberti Regis*, ex Codice Bibliothecae Salanae depromta, quibus hinc inde varias ex antiquitate et historia Francica notas adiecit; *Expositionem MSti*, quod vltra centum diuersarum linguarum alphabeta complectitur, et a rustico quodam apud Variscos, Nicol. Schmidio, *den gelehrten Bauer* dicto, compositum est, vbi simul de doctis rusticis agitur; (Conf. *Bibl. huius T. I.* de Bibliotheca Gerana, *p. 446.*) Recensionem quarundam notarum *Thomae Müntzeri ad librum de visionibus*; tandem *Compendium Vitae Vicelini*, quod rerum Index subsequitur. In Fasciculo secundo, *qui Ienae 1705.* excusus est, occurrunt: *Ioh. Alb. Portneri elogia Iac. Puteani; Thomae Campanellae Atheismus triumphatus; Historia certaminis Reuchliniani; Vita Ioh. Loniceri;* et *Frid. Bened. Carpzouii ad Casp. Sagittarium Epistola.* Qui mox accessit, tertius Fasciculus, *Vitam Ioh. Christiani L. B. a Boineburg*, *Excerpta Epistolarum mutuarum Boineburgii et Prüschenckii*, itemque *Conclaue Adriani VI.* comprehendit. In quarto Fasciculo, 1706. edito, reperiuntur haec: *Inuentarium Bibliothecae Sixti IV. per B. Platinam; Ioh. Maioris Synodus auium*, carmen virulentum, ac difficile intellectu, *cum adnotationibus Ioach. Felleri; Conradi*

radi de Monte puellarum (i. e. Magdeburgenſis,) *Oeconomica; Viti Winshemii Epiſt. ad Ioh. Stigelium de capite ſtatuae Mauritii, in arce Berolinenſi auulſo.* Quintus Faſciculus lucem adſpexit 1707. atque continet: *Zach. Prüſchenckii Vitam et Epiſtolas varias ad Helmſtadienſes potiſſimum; Caſp. Scioppii Epiſtolam ad Conrad. Rittershuſium*, de fatis ac doctrina Iordani Bruni, Romae combuſti; *et Carmina varia.* In ſexto Faſciculo, qui *a.* 1709. prodiit, exſtant: *Miſcellanea litteraria ex Epiſtolis eruditorum Virorum congeſta; Caſp. Barthii Epiſtolae ad Daumium; Pauli Fuchſii et Ge. Schubarti binae Epiſtolae ad Ge. Adam. Struuium; Ioh. Ern. Thomanni Epiſtola ad Sagittarium.* Faſciculus ſeptimus, *a.* 1710. typis impreſſus, offert: *Iac. Thomaſii Epiſtolas ad diuerſos; aliorum Epiſtolas ad eundem; Iac. Aug. Thuani Epiſtolam ad Ioh. Meurſium; Rectoris Acad. Vitembergenſis ad Academiam Lipſienſem litteras, de excluſo ex communitate Conrado Schlüſſelburgio.* De reliquis Faſciculis, octauo nempe, nono ac decimo, *a.* 1713. adiunctis, dicere nihil attinet, ne nimis excurrat oratio. Vid. interim de iis, ac prioribus, *Acta Erud. Lat. a. 1703. p. 59: a. 1710. p. 286:* et *a. 1713. p. 141. ſq.* Eodem anno decem hiſce Faſciculis, titulo *Collectaneorum MStorum, ex Codicibus, fragmentis antiquitatis, atque Epiſtolis anecdotis eruditorum excerptorum*, rerumque Indice inſtructis, nouam Auctor praefationem praemiſit, in qua eorum maxime operam laudat, qui diuerſa antiquitatis monumenta collegerunt, ſcituque neceſſaria ex MStis eruerunt; quorum in numero ponit Caniſium, Goldaſtum, Dacherium, Labbeum, Mabillonium, Baluzium, Tollium, et Ant. Matthaeum. Primum hunc Tomum excepit inde ab *a.* 1717. alter, Faſciculos octo continens. Poſtea reliquit

reliquit Auctor institutum, paucitate forte emtorum permotus. Si enim dicere liceat, quod plurimi confirmant, inter res bonae frugis multa etiam irrepsere, quorum tolerabilis fuisset iactura.

Sub initium *anni 1705.* alium suscepit idem STRVVIVS laborem, incitantibus Viris eruditis, vt excerpta daret librorum antiquorum, saeculi potissimum sexti ac decimi. Nata est inde *Bibliotheca antiqua*, singulis mensibus *in 4.* luci exposita. Leuia sibi tribuit Struuius, praestantiora, qui eius ope consiliisque in dirigendo negotio vti, et in omnibus Actorum Lipsiensium Collectores sequi voluerunt, laboris expediendi Sociis facile concedens. Totius instituti ratio ex Praefatione patet; igitur operae facturi pretium sumus, si sequentia inde transscripserimus. *Alii*, ait Editor, *quum probe introducant in Scriptores recentiores, nostrum solummodo erit, de antiquioribus aliqua proponere. Saeculi autem decimi sexti saltim Scriptores primo loco nos occupabunt, vsque dum cum operibus atque temporis progressu ad alia nos extendamus. Illi vero non triti atque obuii sed rariores saltim. Neque tamen illos facile adgrediemur, qui recusi sunt nostra aetate, nisi forsan horum recensionem in ephemeridibus recentioribus vel plane non, vel non integram reperiamus. Methodum a celeberrimis Actorum Lipsiensium Collectoribus didicimus, ita, vt sub initium cuiuslibet mensis noua Bibliothecae antiquae sectio publicetur. Post titulum libri exponemus vitam atque fata Scriptoris, ea maxime, quae ad rei litterariae notitiam faciunt, occasionem libri, et si quae alia memoratu digna. Ipsam scripti recensionem secundum libros et capita faciemus, vt integrum librum exhauriamus, atque praeter dispositionem, potiora quoque atque rariora, quae occurrunt,*

runt, exponamus. Praeter editiones diuerſas, quid de libro ex aliorum ſententia iudicandum, vel noſtrum etiam iudicium, addemus. Non haerebimus in vnius ſaltim diſciplinae ſcriptis, ſed quaecunque nobis obuenient. Non interrupto labor ordine, per annos 1705. et 1706, proceſſit, et vtrique Tomo Auctorum ac rerum adiunctus Index fuit. Cum bibliopolae autem obitu Ianuarius, Februarius et Martius anni 1707. qui ſimul prodiere, finem conſtituerunt conatibus, laude omnino digniſſimis. Optandum igitur, vt aliquis noſtra aetate incepta feliciter perſequatur. Satis enim iam onerati fuimus Diariorum, libros recentiores exhibentium, aceruo: at eorum eſt perexiguus adhuc numerus, quae antiquos, eosque meliores, duobus abhinc ſaeculis editos, adcurate cumulateque ſub vno quaſi adſpectu ponant. Opus hocce Struuianum *Ienae a. 1710.* ſequenti fuit inſcriptione, vti mos eſt inter bibliopolas, commendatum: *Theſaurus variae eruditionis, ex Scriptoribus potiſſimum ſaeculi XVI. et XVII. collectus.* In addita Praefatione nominantur, qui ſuas ad haſce dapes contulerunt ſymbolas, ſcilicet Ludolph. a Friedag, Eques Marcanus, qui hiſtorica quaedam et rei nummariae ſpecimina inſeruit; Georg. Serpilius, Ratisbonenſium Antiſtes; Ioh. Phil. Storrius, Sacrorum apud Heilbronnenſes et Gymnaſii ibidem, Inſpector, qui in percenſendis ſcriptis theologicis aliquam collocarunt induſtriam; Sebaſt. Schrammius, verbi diuini apud Iſenacenſes praeco, qui non ſolum occaſionem obtulit ad ſuſcipiendum inſtitutum, ſed etiam in elaborandis materiis, librorumque ſumma exponenda, ſtrenuum ſe geſſit et impigrum adiutorem; Adam Gſchwendius, tunc Lycei Eiſenbergenſis Rector, poſt ſacrorum apud Numburgenſes miniſter, cui librorum, ad philologiam ſpe-

ctantium, recensio debetur; Ioh. Ge. Liebknechtius, Mathematum in Acad. Gissensi Professor, a quo profecta sunt mathematica; Ioh. Andr. Vhlius, Equestri Scholae apud Brandenburgenses deinde praefectus, qui philologica quaedam sibi sumsit; ac denique Frider. Gottlieb Struuius, frater Editoris, qui diu Musas Kilonienses, et praecipue Ordinem Ictorum, suis meritis illustrauit. Illi vero pleraque ex Iure ciuili sunt tribuenda.

§. XVI.

In optimorum Diariorum classe dudum eruditi habuerunt *den ausführlichen Bericht von allerhand neuen Büchern und andern Dingen, so zur heutigen Historie der Gelehrsamkeit gehörig. Zu Fortsetzung der monathlichen Vnterredungen, monathlichen Auszüge und curieusen Bibliothec. Pars I. Lipsiae a. 1708. in 8.* prodiit, XII. et *vltima* vero 1710. Caussam consilii lucenter indicat titulus: nec ignoramus eos, qui manus admouerunt operi. Praecipuus fuit CHRISTOPH. WOLTERECKIVS, primarius postea Praefecturae Guelpherbytanae administrator, Vir aliis etiam laboribus litterariis clarissimus. Socios is adsumserat Ioh. Gottlieb Krausium, et Chr. Schoettgenium, vti docet *Catal. Bibliotb. Ioh. Burch. Menckenii, p. 99. edit. sec.* Multam certe Collectores industriam prae se ferunt, non in recensendis tantum libris adhibitam, sed etiam in subiectis notis, quae doctae sunt vtique, ac iucundae lectu. Accedunt Noua quaedam litteraria, quae non minus laudem merentur. Confirmant id ipsi etiam Auctores Diarii *Memoires de Trevoux* inscripti, *m. Februar. 1712. p. 235.* vbi haec: *Il paroit beaucoup de goût dans les jugemens, qu'ils portent, et beaucoup d'erudition dans leurs remarques.* STOLLIVS in *der Nachr. von den Büchern seiner Bibliothec P. V. p. 512.* ita scribit:

bit: *die Vrheber dieses ausführlichen Berichts führen keine so scharfe Feder, als N. H. Gundling; schreiben aber doch gelehrt, und führen so schöne Sachen an, machen auch so richtige Auszüge, daß ihr Journal unter den nützlichen mit oben an stehet. Vor iedem Stücke lieset man die Titel der recensirten Bücher, zu Ende findet man einen Anhang, nebst dem Inhalt desselben, und dann ein dreyfaches Register. Das erste meldet die Authores nach dem Alphabet, deren Bücher hierinn erzählet worden: das andere die Scribenten, davon ein Vrtheil gefället, oder was merckwürdiges angezogen wird: das dritte aber gehet über die vornehmsten Sachen vnd Geschichte.*

Post hocce Diarium *a. 1709. Halae Magdeb. in 8.* prodire coepit *Neue Bibliothec, oder Nachricht vnd Vrtheile von neuen Büchern, und allerhand zur Gelehrsamkeit dienenden Sachen.* Auctor erat GVIL. TVRCKIVS, I. V. L. homo eruditus quidem, sed moribus pessimis deformatus, de quo plura legi queunt in *Praefatione* bibliopolae ad *eius Specimen Histor. sacrae, ibid. 1712. in 8.* editum, et in STOLLII *Obseruationib. Heumannianum Compend. Hist. litt. illustrantibus p. 872.* Struuius olim scripserat, a Turckio, qui alios etiam socios habuit, breuia saltim tradita, sine obseruationibus, Excerpta, et vltimis demum fasciculis adiecta fuisse Noua litteraria. De quo iudicio grauiter conqueritur Auctor cum in *Parte VII. p. 617.* tum in *Praefatione Tomo II.* praefixa. Et si dicendum, quod res est, merito erroris arguitur Struuius, quippe qui nec Praefationem, nec ipsos Diarii articulos satis attente inspexisse videtur. A Parte XIII. vsque ad Partem XL. Operis curam suscepit NIC. HIERON. GVNDLINGIVS, et non solum dignitatem eius, praeclaris recensionibus, quarum varias ex Theologia et Philologia acceperat a Petro Adolpho Boysen, saluam praestitit,

sed

ſed paſſim integras quoque Commentationes, vel nullo plane, vel ficto nomine adiecto, intermiſcuit. Sunt hae omnes argumenti hiſtorici, doctrina delectuque commendabiles, recuſae poſtea *Halae M.* 1737. *in 8.* et hoc titulo: *Nic. H. Gundlings Sammlung kleiner teutſchen Schriften und Anmerckungen* inſignitae. Qui poſtea ſucceſſerint tanto Viro ad continuandum Diarium, non adeo cogniti ſunt. Varios fuiſſe, vix dubio caret. Inter eos quidam IOH. IAC. SCHMAVSSIVM et CHR. AVG. SALIGIVM praecipue referunt. HEVMANNVM etiam breues quasdam Diſſertationes, more Gundlingii, inſeruisſe, patet ex *Praefat.* eius, ſecundae editioni *Conſp. Reipubl. litter.* praemiſſa, *artic. III.* Cum *Part. LXI.* immutatum fuit non nihil inſtitutum, ita quidem, vt plagulae cuiuslibet Partis duplicarentur, primumque Excerpta darentur librorum ex aliis Diariis nobilioribus, v. g. *Bibliotheque ancienne et moderne, Giornali de' Letterati d'Italia, Journal des Savans, Memoires de Trevoux, Actis Eruditor. Lipſ.* caet. deinde vero reliquum ſpatii nouis impleretur recenſionibus, nomine *der deutſchen Bibliothec* diſtinctis. Eruditorum porro hominum imagines, quae antea ſingulis Partibus, quamquam non pari ſemper elegantia aeri inſculptae, praefixae fuerant, poſt hanc mutationem parcius, et in fronte tantum abſoluti Tomi cuiusdam, acceſſerunt. Annus 1721. finem attulit labori, qui totus conſtat ex *centum Partibus* ſeu *decem Tomis*, Indices quoque neceſſarios continentibus. Cum ipſa Bibliotheca *a.* 1717. prodiit *Nachleſe der Neuen Bibliothec, oder Auszüge aller ſo wohl ausländiſchen, als einheimiſchen, Lateiniſchen, Deutſchen, Frantzöſiſchen, Italiäniſchen, Engliſchen und Holländiſchen gelehrten Journals, und Neuigkeiten von gelehrten Sachen.* Decem ſaltim Partes exſtant. Plures ideo non ſequutae, quoniam, vt paullo ſupra dictum,

argumenta diuersorum Diariorum Bibliothecae ipsi fuerunt inserta. Non vna profecto ratione se commendarunt quinque Tomi priores, multa quippe sentiendi libertate, nec minori librorum delectu, grata item dictionis breuitate, a Turckio et Gundlingio, caeterisque collegis, exhibiti. Passim tamen vnum alterumue modestiae cancellos transire, partiumque te neri studio, praesertim in rebus theologicis, nemo facile negauerit. Sic, ne desit exemplum, Gundlingius Halenses, quibuscum habuerat controuersiam, vellicaturus Theologos, finxit callide librum, nunquam editum, eiusque summam retulit in *Parte XXV. p. 420. sq.* Conf. IO. GE. PERTSCHII, discipuli quondam Gundlingiani, *Versuch einer Kirchen-Historie, P. I. p. 326. in notis.* Qui postea successere Tomi, ii plane non aequant priores, paucique oculis occurrunt articuli, qui redoleant industriam et ingenium, antehac plurimis ex foliis progerminans. Conf. de hoc Diario *Vita Gundlingii*, ab HEMPELIO *sermonibus eius Academicis in* HEVMANNI *Compend. Histor. Litter.* adiecta, *p.* 7132. *sq.* Non defuisse aduersarios publicos, vel duobus probabo exemplis. Sic sine loco annoque, haud dubie *Vitemb. a.* 1716. *in 8.* vna plagula prodiere ANTENORS *gründliche Remarquen über das ungegründete Judicium des Herrn Autoris der sogenannten Neuen Bibliothec bey Recensirung Herrn Gottfr. Wagners Allocutionum et Disputationum:* item IOH. GE. LEIB *Abfertigung des Vnfugs der Neuen Bibliothec, wegen Caroli V. Regier-Kunst*, caet. *Lips. a.* 1716. *in 8.* plag. 2. De Car. Arndii lite repete iam dicta *Tomo I. cap. 1. §. 16. p. 58.*

Ad continuandum Diarium Woltereckii, opinione citius finitum, *Lipsiae a.* 1710. *in 8.* lucem adspexit *der neue Bücher-Saal der gelehrten Welt, oder ausführliche Nachricht von allerhand neuen Büchern,*

und

und andern zur heutigen Historie der Gelehrsamkeit gehörigen Sachen. Directores fuerunt IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS et IOH. GE. WALCHIVS: adiutores vero vterque habuit plurimos, quos inter noui Ge. Chr. Gebäuerum. Vid. cum primis *Volumen III. p.* 647. *sq.* vbi adcurate legi potest, quid Krausio, quid Walchio sit attribuendum. Totum Opus conquieuit a. 1717. et *Volumina quinque* complectitur. Vnumquodque diuisum in XII. Sectiones, quas Auctores *Oeffnungen* vocarunt; adeoque Sectio LX. postrema est. Singulae Sectiones ornatae sunt Viri docti ac celebris effigie, passimque in Volumine I. figurae aeneae conspiciuntur. Recte scribit REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae, Tom. II. p.* 718. librorum summaria nec extensa nimis esse, nec contracta: Crises plerasque moderatas et verecundas: et notas opportunas vt plurimum, et selectas, et rebus illustrandis idoneas. Librorum, ex omnium disciplinarum penu, recensionibus subiiciuntur vel Obseruationes mathematicae, antiquariae, numismaticae, genealogicae; vel Epistolae eruditorum; vel Vitae hominum in Republica litteraria clarissimorum. Plerumque Noua etiam, ex eadem adlata, et ea quidem scitu digna, memorantur. Vtiliora reddunt Volumina Indices quadruplices, primum librorum, deinde Auctorum, de quibus singularia sunt obseruata, tum locorum, ex Sacro Codice productorum, explanatorumque, postremo rerum, prae caeteris memorabilium.

§. XVII.

Praeter Acta Eruditorum Latina, quorum historiae supra datus est locus, exstant pariter die *deutschen Acta Eruditorum, Lipsiae a.* 1712. *in* 8. coepta, atque ab illis penitus disiuncta. Quare ipsi Actorum Latinorum Collectores in *Praefat. anni* 1713.

monendum duxere: *Quum aliqui in ea esse opinione deprehendantur, quasi ea Eruditorum Acta, quae hactenus vernaculo sermone imprimi apud nos coepta sunt, cum his nostris prorsus et omnino conueniant, certe eosdem agnoscant excerptorum Auctores, publice hoc loco indicandum duximus, diuersa vtique a nostris esse Acta ista; facile interim patimur, subinde ea scripta vernaculis inseri, a quibus recensendis, non vna de caussa, iam pridem abstinemus.* Idem *Praefatio, Parti I. Actorum Germanicorum* praefixa, docet, quod repetitum fuit in *Praefatione Part. XXV.* Princeps praeclari Diarii auctor non Ioh. Burch. Menckenius, vti quidam sibi persuaserunt, sed IVSTVS GOTTHARD. RABENERVS dicendus, quippe qui ab eius statim initio vsque ad a. 1718. solus id adornauit, adscitis tamen, quod facile credendum, sociis quibusdam, e. g. Godofr. Tilgnero, infeliciter mortuo, Christ. Schoettgenio, Ioh. Ge. Walchio. Deinde adiunxit sibi CHRISTIAN. GOTTLIEB. IOECHERVM, eidemque, ad alia vocatus, a. 1720. curam laboris omnem reliquit. Laudatus igitur Ioecherus coeptam pertexere telam strenue studuit, auxilio suffultus collegarum, inter plures, doctissimorum, Christ. Godofr. Hoffmanni, postea Icti Viadrini, Ge. Chr. Gebaueri, Iac. Aug. Franckensteinii, et praecipue ab a. 1724. Iac. Gehringii, in oppido Königsbruccensi Sacerdotis primarii. HEVMANNVS in *Consp. Reip. litt. cap. VI. §. 5. p. m. 320.* et REIMMANNVS *l. c. p. 720.* addunt Ioh. Erh. Kappium, a quo Acta etiam Latina multum olim ornamenti acceperunt. Idem Reimmannus virtutes Diarii, de quo iam agitur, tam vere solideque exposuit, vt gratum fore Lectorum plerisque arbitrer, si verba eius ipsa perceperint. Sunt autem haec: *Non vnius commatis sunt, quibus hoc corpus Ephemerodologicum constat,*

constat, membra, quia non vnum Auctorem agnoscunt. Pleraque tamen lucernam olent, et vngues arrosos sapiunt, et caput digito laborioso scalptum testantur. Genus dicendi est vegetum, et roseo decore splendescens. Summaria librorum non ex praefationibus et indicibus constipata, sed ex argumentis ipsis eorundem studiose conquisita. Nec iudicia de iisdem blandiloqua, aut aspera et mordacia, sed moderata pleraque, et inter assentationem et austeritatem media. Accedunt noua litteraria, de eruditorum laboribus, honoribus, fatis, morte caet. Imagines etiam eorundem aeri incisae. Tales nimirum singulis praefixae Partibus, quarum exstant ducentae et quadraginta, Voluminibus XX. circumscriptae. Nec desunt copiosi librorum ac rerum Indices. Conquieuit institutum nobile an. 1739. at saltim si Operis titulum spectaueris. Mox enim a. 1740. continuatum fuit, ope eiusdem bibliopolae, et eadem methodo, vt olim, hac tamen inscriptione noua: *Zuverläßige Nachrichten von dem gegenwärtigen Zustande, Veränderung und Wachsthum der Wissenschaften.* In Praefatione Partis I. monetur, multitudinem Voluminum, ad quae excreuerint Germanica Eruditorum Acta, praecipuam esse mutationis caussam; non paucis enim oneri fuisse, tot comparare sibi volumina, si Diarium hoc integrum adpeterent. Quibus subiiciuntur sequentia: *Jedoch es haben weder die Verfasser, noch der Verleger, den Vorsatz fahren lassen, denen Liebhabern gelehrter Geschichte mit einer denen Actis ähnlichen Monath-Schrift ferner zu statten zu kommen: und wir werden von der Beschaffenheit dieser neuen Nachrichten vollkommen Rechenschaft geben, wenn wir versichern, daß in denenselben die Einrichtung, die Absicht, der Vortrag und die Verfasser mit der Einrichtung, Absicht, Vortrag und den Verfassern der*

der Actorum Eruditorum gäntzlich einerley sind. Potiores igitur partes et hic sibi vindicat Ioecherus, qui de recensendis quidem omnium disciplinarum libris sollicitus fuit, at summam tamen curam ad id contulit, vt praestantissimi saltim, ex Theologorum, Philosophorum et Historicorum officinis editi, talium studiorum cultoribus innotescerent. Hac mente respexit maxime ad Opera rara et pretiosa, quae in exteris regionibus, v. g. apud Anglos, prodierunt. Ea enim plerumque a paucissimis eruditorum Germanorum vel conspiciuntur, vel leguntur: quorum rationibus vt consuleret Ioecherus, argumenta eorundem adcurate cumulateque commemorantur, additis iudiciis, monitis, illustrationibus vel correctionibus, sine bile tamen, sine indecenti genere scripturae. Quum vero copiose admodum recenseri soleant libri, nullo intelligi negotio potest, vix quatuor, vel quinque, articulos vnam continere Sectionem. A Parte CCVI. omissae fuerunt doctorum Virorum imagines, quo ipso decoris non nihil corpori pulchro ademtum est. Post Volumen denique XVIII, quod ducentesima Pars sextaque et decima terminat, nihil amplius, ob Ioecheri mortem, accessit.

§. XVIII.

Qui supra laudatus merito fuit, CHR. THOMASIVS, vt rei litterariae studiosis porro prodesset, conspicuam librorum, in eius Bibliotheca obuiorum, suppellectilem lingua Germanica describendam curauit; simili fere instituto, quo Struuius antea Bibliothecam antiquam aperuerat. Obseruans enim, complures libros, ante natales Diariorum, editos, partim in obliuione iacere penitus, partim non satis, vt merebantur, cognitos esse nostra aetate, amicorum nonnullos commouit

ad

ad ſubtiliorem eorum contemplationem ac recenſionem ampliſſimam. Initium laboris factum eſt *Halae Magdeb. a.* 1715. *in* 8. hac quidem inſcriptione: *Summariſche Nachrichten von auserleſenen, mehrentheils alten, in der Thomaſiſchen Bibliotheque vorhandenen Büchern.* Sed non niſi *Partes quatuor ſupra viginti* prodierunt, vltima *a.* 1718. excuſa. Conficiunt hae *Tomos II.* egregiis Indicibus inſtructos, itemque, poſt Thomaſii obitum, hoc nouo titulo, vt reliqua forte exemplaria diſtraherentur: *Nucleus Bibliothecae Thomaſianae, beſtehend in einem kurtzen Begriff derer vornehmſten und auserleſenſten Bücher, die ſich in der unvergleichlichen, und nun zur öffentlichen Auction kommenden Bibliothec des Herrn Chriſt. Thomaſii befinden. Nebſt einer Vorrede, in welcher der Hauptgrund der groſſen Verdienſte dieſes berühmten Mannes bey der gelehrten Welt unpartheyiſch erwogen wird. Halae Magdeb. a. 1729.* Inter auctores Operis refertur *in den Leipzig. gel. Zeitung. a.* 1749. *p.* 397. IOH. ZACHAR. PLATNERVS, Medicus deinceps celeberrimus, et in *Lexic. Eruditor. Ioecheriano Tomo IV. p. 54.* CHRIST. AVG. SALIGIVS. Audiui olim a beato Socero, VAL. ERN. LOESCHERO, varia etiam adſcribi Hahnio cuidam, (ni fallor, SIMONI FRIDERICO HAHNIO, Hiſtorico illuſtri, qui tunc temporis in Academia Fridericiana commoratus adhuc eſt,) nec non filiae Thomaſii, natu minori. Reſpexit vero Bibliothecae poſſeſſor ad libros maxime, ſolidam Iurisprudentiam illuſtrantes, quo non ſine cauſſa pertinere credidit, quicquid in Philoſophia, Antiquitatibus Iudaicis, Romanis, Germanicis, et aliorum populorum, in Hiſtoria ciuili, eccleſiaſtica, litteraria et ſpeciatim philoſophica, praeſtiterunt homines eruditi. Quantopere librorum eiusmodi recenſiones excurrant, vel exinde

licet perſpicere, quod earum ſexaginta tantum, et ſex ſeptemue, in Tomo vtroque exſtant. Exempli cauſſa nomino BVLAEI *Hiſtor. Vniuerſit. Pariſienſis;* HINCMARI Remenſis, *Opera;* et LAVNOII *Tract. de regia in matrim. poteſtate.* Inſperſae ſunt idemtidem Auctorum animaduerſiones, quae tamen ne acerbi quid et iniqui ſecum ferrent, Thomaſius publice declarauit, ſe, poſtulante ſic neceſſitate, limam eſſe acriorem adhibiturum. Haec de Diario commendabili, quod vellem per complures annos tenuiſſet curſum.

Pergamus ad IOH. GOTTLIEB KRAVSII *Vmſtändliche Bücher-Hiſtorie, oder Nachrichten und Vrtheile von allerhand alten und neuen Schriften, zu genauerer Vnterſuchung der Bücher-Wiſſenſchaft aus vielen Autoribus zuſammen getragen, und ans Licht geſtellet. Lipſ. 1715. 8.* Rogatus Auctor, vt continuaret librum, in quo iudicia eruditorum de ſcriptis variis corraſa fuerant, (dicitur *der Vnpartheyiſche Bibliothecarius*) maluit alia ratione ſatisfacere bibliopolae deſiderio, ideoque integram librorum hiſtoriam auſpicatus eſt. Agere autem ſtuduit de occaſione ſcribendi, de Auctoris indole, de fatis librorum, de iudiciis ab aliis prolatis, de variis eorundem editionibus, ac verſionibus, de controuerſiis, vnius alteriusue ſcripti cauſſa excitatis, caet. Noluit quidem Krauſius huncce laborem in Ephemeridum haberi numero; at licebit mihi cum aliis eidem hic locum attribuere. *Partem I.* ſequuta eſt *a. 1716. altera,* non minori diligentia et eruditione adornata. Sed mox interruptus eſt, ſingulari quodam caſu, conatus. Quum enim *Artic. V. p. 284. ſq.* Anonymi quandam commentationem Gallicam propter horrendum de *tribus Impoſtoribus* librum inſeruiſſet, dura lege, vt alia taceam incom-

commoda, infra ſuo loco memoranda, Partis ſecundae exemplaria Fiſco addicebantur. Quo fulmine theologico deterritus Auctor innocens, rem inchoatam perſequi dubitauit. Plura ſcire cupiens adeat *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1715. *p.* 424. *ſq.* et *a.* 1716. *p.* 191. Conf. STOLLII *Nachr. von den Büchern ſeiner Biblioth. Vol. I. p.* 462. *ſq.*

§. XIX.

Annus 1718. bina, eodem fere tempore, *Halae Magd.* Diaria protulit. Scilicet curante IOH. CHRISTOPH. FRANCKIO, Viro in Iurisprudentia et elegantioribus litteris non parum exercitato, primum lucem adſpexit *die vermiſchte Bibliothec, oder zulängliche Nachrichten und unpartheyiſche Gutachten von allerhand, mehrentheils neuen, Büchern, und andern gelehrten Materien, in 8.* Inſtitutum conuenire videtur cum priori Halenſium Diario, *die neue Bibliothec* inſcripto. Auctores varii ſuas contulerunt ſymbolas, ita tamen vt res ſacras Theologus, iuridicas Ictus, medicas Medicus, philoſophicas et litterarias horum ſtudiorum ſatis gnarus recenſeret. Multa deberi, praeter Franckium, Ioh. Iac. Schmauſſio, olim confirmauit mihi Heumannus. Ioh. Henric. Schultzium etiam, et Georg. Henr. Zinckium, ad hanc acceſſiſſe Societatem, patet ex reuer. GOETTENII *Gelehrten Europa, Vol. I. p.* 434. et clar. WEIDLICHII *Geſchichte ietztlebender Rechtsgelehrten P. II. p.* 697. Egregie vero vnumquemque ſuis perfunctum eſſe partibus, haud poteſt difficulter intelligi. Praeſtiterunt, quod promiſerant in Praefatione. En! ipſa verba: *die Verfaſſer werden ſich die Mühe geben, erſtlich den Inhalt eines Wercks überhaupt, und die Ordnung deſſen anzuzeigen, ſodann einen wohlgefaſten und nützlichen Auszug machen, hierauf beurtheilen, wie der Autor*

Autor die Sache ausgeführet, worinnen er was neues, und besonderes habe, ob seine Meynung von den andern Scribenten abweiche, oder mit ihnen übereinkomme, wie seine Principia, Schlüsse, Gedancken und der Stilus beschaffen, auch nach Gelegenheit, aus wohlmeynenden Absehen nicht verschweigen, ob und wie die Abhandlung der Materie vermehret und verbessert werden könne. Intermiscentur etiam Obseruationes singulares de argumentis rarioribus, defensiones quorundam, propter libros eorum acriter diiudicatos, Auctorumque ad has responsiones, caet. Partes XII. Tomum conficiunt, quem Indices absoluunt: anno autem 1720. cum Parte XXI. finis impositus est Operi.

Alterum Diarium hoc insignitum titulo prodiit: *Abgesonderte Bibliothec, oder zulängliche Nachrichten und vnpartheyische Gutachten* caet. et non nisi ex Partibus XIII. *in* 8. constat. Potest sane Adpendix dici prioris, quum eandem seruet methodum, et coeptum est ideo saltim, vt separatim exhiberentur libri quidam, qui, certas ob caussas, praetermissi fuerant in Bibliotheca miscellanea. Iidem, qui hancce composuerant, Auctores videntur rem suscepisse. De Schulzio saltim id est certe praedicandum, itemque de Zinckio. STOLLIVS in *den Nachrichten von den Büchern seiner Bibliothec, Vol. II. p. 152. sq.* tam fuse vtroque de Diario egit, vt et libros omnes, qui recensentur in iisdem, adscripserit. Nouum paullo post *Lipsiae* natum est, iam non adeo frequenter obuium. Inscribitur: *Historie der Gelehrsamkeit unserer Zeiten, darinn Nachricht von neuen Büchern, Leben gelehrter Leute, und andern dergleichen Merckwürdigkeiten ertheilet werden.* Auctores, quos detegere licuit, sunt IOH. CHRISTIAN. CLODIVS, Professor olim Linguar. Orientalium,

talium, et laudati iam KRAVSIVS atque GEBAVERVS. *Pars I.* excusa est *anno 1721. in 8. XII.* eademque *vltima, a. 1725.* Recensentur libri theologici, iuridici, physici, historici, philologici, caet. ita quidem, vt plausu communi exceptus fuerit labor eruditus, et longiori aetate omnino dignus:

De meliori pariter commendanda sunt *die Fränckische Acta Erudita et Curiosa, die Geschichte der Gelehrten in Francken, auch andere in diesem Creys vorgefallene Curiosa und Merckwürdigkeiten in sich haltend. Norimberg. a. 1726. 8.* Originem traxit hoc Diarium a *Nouis litterariis Circuli Franconici, ibid. 1725. in 8.* Germanice publicatis, studio ERN. FRID. IVSTI HEIMRICHII, Medici in aula Coburgensi. Quibus cum Parte secunda mox exstinctis, idem Auctor molitus est *Acta Franconica*, adiutoribus quam plurimis, v. g. Feuerlino, (cui tamen non nisi pauca debentur, quamquam, iussu superiorum, à Parte octaua primariam negotii dirigendi curam sustinuit,) Gust. Ge. Zeltnero, quem adiicit HEVMANNVS in *Bibl. Acad. p. 27. sub finem.* Koelero, Deinlino, Christio, caet. Ipso ex titulo iam luculenter perspicitur consilii ratio. Omnia igitur, quae huc spectant, diligenter recensentur, siue scripta maioris ponderis sint, siue minora: adduntur passim Obseruationes variorum nouae et nondum editae; hominum illustrium, vel doctrina celebrium, vitae; Noua litteraria; et alia multa, quae non sunt vulgaria. Plures autem quam XXIV. *Partes* non prodiere. Singulae Viri cuiusdam, in Franconia conspicui, prae se ferunt effigiem. Vltima Pars, seu, vt Auctores malunt, *Collectio, a. 1732.* prelo est liberata. Omnes duo commode Volumina, tribus Indicibus locupletata, complectuntur. Conf *Leipz. gel. Zeit. a. 1726. p. 316.* Finis huius Diarii occasionem illico suppeditauit, vt de nouo cogitaretur. Quippe

Quippe IAC. GVIL. FEVERLINVS, GE. FRIDER. DEINLINVS, et IOH. DAV. KOELERVS, omnes eo tempore Professores Altorfini, paullo ante laudati, coniunctis viribus continuare studuerunt institutum Heimrichianum. Ne tamen, si in solo Franconiae tractu haererent, nimis angustis continerentur finibus, et, deficiente nonnunquam scribendi materia, vel omnia corradere cogerentur, cuiuscunque farinae, vel Opera praestantissima, extra Franconiam exhibita, silentio praetermittere: longius progressi sunt, et Sueuiam quoque, Rheni superioris Circulum, Bauariam, Austriam, Bohemiam, terrasque his confines, quae omnes prouinciae vulgo *Imperium* dicuntur, apertum esse, in quo circumspicerent, campum voluerunt. En! ipsum Opusculi titulum: *Nützliche und auserlesene Arbeiten der Gelehrten im Reich, d. i. in Francken, Schwaben, OberRhein, Bayern, Oesterreich, Boehmen, und angräntzenden Orten. Nürnb. 1733. 8.* Neque vero nouos tantum libros recensent Auctores, sed antiquos etiam, eosque rariores, non occultata, quid cuique sit pretii statuendum, sententia; item Vitas eruditorum, et Obseruationes singulares, ex Historia ciuili ac litteraria, nec non ex Mathesi petitas, vna cum Nouis litterariis adiiciunt. Recensione finita plerumque litterae A. B. vel C. oculis occurrunt, quarum prima Feuerlinum, altera Deinlinum, tertia Koelerum indicare videtur. Reliquos, qui non nihil contulerant, explorare haud contigit. *Pars septima* huius Diarii a. 1736. excusa est, cui postea plures non successerunt. Conf. *Leipz. gel. Zeit. a. 1733. p. 403. sq.*

Altum etiam, inter Ephemeridum auctores, obtinuit gradum SIGISM. IAC. BAVMGARTENIVS, Fridericianae Academiae ornamentum, a. 1757. grauiter lugente Republica litteraria exstinctum. Celeberrimus ille nostri aeui Polyhistor, Thomasii forsi-

forſitan et aliorum incitatus exemplo, *Halae Magd. anno 1748. in 8.* edere coepit *Nachrichten von einer Halliſchen Bibliothec.* Maxima pars librorum, qui vel ab ipſo Baumgartenio, vel ab amicis, et eius diſciplinae alumnis, vnoquoque menſe modo breuiter, modo pluribus verbis, recenſentur, ad rem ſacram pertinet, varii tamen ſunt etiam hiſtorici ac litterarii argumenti. Praeter haec princeps conſilii ſuſcepti ratio eo tendit, vt Opera cum ſuperioribus ſaeculis, tum extra Germaniam, edita, et vtramque ob cauſſam ſaepenumero rarius obuia, perfecte pleneque innoteſcant iis, qui excluſi ſunt ab inſtructiſſimarum Bibliothecarum vſu. Talium igitur Operum fata, editiones diuerſae, rerum, quas continent, capita praecipua, et quae ſunt cunque de Auctoribus digna ſcitu, non mediocri diligentia et iudicio memorantur. Neque vero nouos libros neglectos penitus videmus. Si quis etiam virus malitiae nequitiaeque in religionem euomuit, illius vis minus efficax redditur paſſim, refutationibus apte compoſitis. Sex partes explent ſingulare Volumen, binis Indicibus inſtructum. Pars XLVIII. finem conſtituit Volumini VIII. et ſimul Operi vniuerſo, cuius tamen in locum *anno 1752.* ſurrogatum eſt, laborioſiſſimi Baumgartenii auſpiciis, aliud eiusdem naturae, inſcriptum: *Nachrichten von merckwürdigen Büchern.* Probata perrexit methodo: copioſius hic in qualibet Parte dictum eſt ſaltim vel de integri Sacri Codicis, vel de librorum diuinorum ſingularium, exemplaribus, quae variis locis linguisque prodierunt. De aliis quibusdam, conſilium editoris indicantibus, legatur *Praefatio Volumini I.* praemiſſa. Mors Baumgartenii interuertit conatum, adeoque Voluminis XI. Partes reliquae vsque ad ſextam et ſexageſimam, quae poſtrema eſt, ſtudio reuerendi SEMLERI debentur: Volumen

autem

autem XII. ditiſſimos Indices huius ac prioris Diarii Lectoribus ſuppeditat. Inter adiutores, quos habuit defunctus in vtroque adornando, ipſe laudat Maſchium, Sacerdotem, Gotth. Traugott Zachariam, Ordini philoſophico Adiunctum, et Bened. Gottl. Clauswitzium, Theologum olim Halenſem. Vid. *Nachricht von merckwürdigen Büchern, Vol. III. p. 369. Vol. VII. p. 470.* nec non *Nachricht von einer Halliſchen Bibliothec, Vol. VI. p. 91.*

§. XX.

Accedimus nunc ad eas Germanorum Ephemerides, in quibus non niſi Diſſertationes, Programmata, et alia ſcripta minora recenſentur. Primum, ni fallor, locum hic ſibi vindicat *Fama Academica, intimans Diſputationes, in Academiis Germanicis, ac quibusdam exteris, habitas, Lipſiae ab a.* 1707. *vsque ad a. 1709. in 4.* Sectiones XIV. ſiue *Tubae* exſtant. Nec videre tamen Opuſculum, nec eius auctorem explorare licuit. Inde manaſſe poſtea videtur *die gelehrte Fama, welche den gegenwärtigen Zuſtand der gelehrten Welt, und ſonderlich derer deutſchen Vniuerſitæten entdecket.* Architecti Operis, *Lipſ. a.* 1711. *in 8.* coepti, fuerunt ADAM. FRID. PETZOLDVS, Medicus, FRID. AVG. VSLEBERVS, I. V. L. et IOH. IAC. KLOSIVS, in agro Lipſienſi quondam Sacerdos, cui plurima tribuit IOECHERVS *im Gelehrten Lexico*, v. *Kloſſ.* Conf. SICVL in *Neo-Annal. Lipſ. Contin. I. ad ann.* 1716. *p.* 443. Maxima certe huius Diarii pars minora indicat omnium diſciplinarum ſcripta, quorum argumentum breuiter exponi ſolet ſiue ipſis Auctorum verbis, ſiue Germanico ſermone. Iudicia tamen rarius leguntur. Interſperſa ſunt varia Noua litteraria cum Vitis doctorum, qui naturae ſatisfacere debuerunt. Mediocri quidem hic labor exceptus eſt plauſu: interim vtilitate

litate non destituitur. Conf. HOFFMANNI *Gedancken über die Journale caet. Tomo I. p. 288. sq.* et IAC. GVIL. FEVERLINI *Sendschreiben, darinn von der gelehrten Fama unpartheyisch geurtheilet wird, Leipz. 1713. in 8.* Anno 1718. cum Parte LXVIII. ac *Tomo VI.* desiit, quolibet eorundem, praeter vltimum, Partes XII Iconibus hominum eruditorum ornatas exhibente. Accedunt Auctorum rerumque praecipuarum Indices, quos pleniores tamen optat REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae, Tomo II. p. 719.* vbi plura de hoc Diario memorat, in solo Partium numero, ac Petzoldi nomine errans, Philosophumque cum Medico, minus in Republica litteraria noto, permutans.

Statim, dictoque adhuc *anno 1718*, successit *Halae Magd. Bibliotheca Academica, qua Disputationes, Orationes et Programmata, hoc anno vel primum edita, vel recusa, recensentur, in 4.* Praefatio docet instituti rationem. Quum enim, qui in scribendis rei librariae commentariis eo tempore occupati fuerant, eiusmodi schedas Academicas vel neglexissent plane, vel talia indicantes vix operae pretium fecissent, maiori studio Auctores noui huius Diarii, quos inter fuerunt IOH. CHRIST. FRANCKIVS, et IOH. HENR. SCHVLZIVS, rem tanti vsus adgressi sunt, eo quidem consilio, vt minora scripta, siue in Academiis, siue in Gymnasiis, excusa, singulis mensibus, si fieri commode posset, aliis adcurate innotescerent. Steterunt promissis egregie, et eruditis saepenumero monitis intermixtis suam de opella producta sententiam dixerunt. Conf. *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1718. p. 669. sq.* Dolendum vero, laborem hunc opinione citius desiisse; anno quippe 1718. cum *Sectione XII.* absoluto, sequens *Sectionem* tantum I. protulit cum Epilogo et Indicibus. Conf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1720. p. 413.* in fine.

Anno 1727. Lipsiae in 4. edi coepta sunt *Noua litteraria, quae Disputationes, aliasque commentatiunculas theologicas, iuridicas, medicas et philosophicas, in praecipuis Germaniae Academiis et Gymnasiis nouissime euulgatas, recensent, et earum occasionem, finem et vsum, notis hinc inde annexis, ostendunt.* WEIDLICHIVS in *der Geschichte ietztlebender Rechts-Gelehrten, P. I. p. 156.* auctorem perhibet IOH. GE. CRAMERVM, Ictum clarissimum, *tres* vero Opusculi, commendati ab aliis, quod nondum oculis meis occurrit, *Partes* typis esse impressas tantum, opinatur. In *Catalogo* contra *librorum*, a IOH. HENR. BVRCKHARDO, Medico Guelpherbytano, relictorum, *P. I. p. 164. in fine, duodecim Continuationes* indicantur.

Aliquot annis post denuo exordiri eiusmodi telam studuerunt Lipsiensium nonnulli, quos inter noui exstitisse IOH. ERH. KAPPIVM, IOH. HENR. MYLIVM, mox praematura morte exstinctum, HENR. GOTTL. FRANCKIVM, hodie Iuris Publici Professorem Lipsiensem, et GOTTLOB AVG. IENICHEN, iam Ictum Gissensem multae famae. Ab his aliisque profecta sunt *Acta Academica, praesertim Academiarum, Societatum litterariarum, Gymnasiorum et Scholarum statum illustrantia.* Singulis mensibus, ab *anni 1733.* initio, edita fuit Sectio quatuor plagularum *in 4.* duodecim Sectionibus Volumen conficientibus, quod tribus auctum Indicibus est, primo locorum ex Codice Sacro, in quos singulares scriptae sunt Dissertationes: altero Professorum, et Auctorum reliquorum, quorum Dissertationes ac Schediasmata memorantur: tertio rerum in primis notatu dignarum. In *Praefatione,* Volumini I. praefixa, sic loquuntur, inter alia, Collegae, KAPPIO interprete: *Complectentur haec Acta, tem-*

tempore ſuccedente, ſtatum omnium Academiarum, praecipue Germaniae, ita, vt nomina docentium, eorum praelectiones, diſputationes, programmata, etc. ad ea ſint referenda. Exhibebimus ergo praeter Catalogos Profeſſorum et praelectionum, vel recenſiones diſputationum, orationum, programmatum, omnium ordinum, quos vulgo Facultates vocamus, vel tantum horum laborum inſcriptiones, nec intactas plane relinquemus ſocietates litterarias, noſtra aetate florentes, earumque ſtatum recentiſſimum ſubinde deſcribemus, longis recenſionibus ſpeciminum earundem conditoribus Diariorum eruditorum relictis, nec Scholas et Gymnaſia plane praetermiſſuri. Sed in tanta rerum copia, qua nos obrutum iri ſentimus, omnia breuiſſimis perſequemur, genere dicendi, quoad eius fieri poteſt, puro et perſpicuo vſuri. Cauſſas amoris et odii procul a nobis eſſe iubemus, hinc nec inuidenda elogia, nec acriores cenſurae in Actis noſtris locum habebunt, ſed ſi quando iudicandum eſt, praecipue etiam de placitis, a religione Euangelico-Lutherana diſcedentibus, modeſte, et circumſpecto iudicio, pronuntiare contendemus. Hac methodo perrexerunt Auctores vsque ad annum 1738. quo conſtituerunt, ne partium teneri ſtudio viderentur, omnes Commentationum recenſiones in breuiorem redigere epitomen, et earum quoque mentionem iniicere, quae, iam olim diuulgatae, ob argumenti praeſtantiam nouiſſime typis repetitae fuerunt. Taceo alias, at leuiores, mutationes. Hic ipſe interim *annus 1738.* quo *Volumen VI.* prodiit, toti labori attulit finem, impenſas plures denegante forſitan typographo.

Pertinent huc etiam *die gründlichen Auszüge aus den neueſten theologiſch-philoſophiſch- vnd philologiſchen*

gischen Disputationibus, die auf denen hohen Schulen in Deutschland gehalten worden. Initium huius Diarii *in 8.* itidem *a. 1733. Lipsiae* factum. Auctor est ABRAHAM. KRIEGELIVS, qui multa cura in labore suscepto versatus est. Non vulgariter enim exponit argumenta Dissertationum, Programmatum et Commentationum theologicarum, philosophicarum atque philologicarum, sed potius definitiones earundem, probationes, illustrationes caet. solide memorat, additis passim obseruationibus et iudiciis modestis. Habet simul talium scriptorum, (quae nouissima sunt plerumque, non nunquam tamen nec antiquis, quae recusa fuerunt, neglectis,) delectum, ne inter nitentia culta infelix lolium sterilesque auenae dominentur. Quolibet spatio bimestri exacto, prodiit Pars aliquot plagularum, adeoque integer annus *sex Partes*, cum Indicibus, exhibet. Continuauit Vir doctus operam suam vsque ad annum 1745. quo Volumen XIII. excusum est.

Post huncce annum Diarii, quod adhuc anno 1759. viguisse scio, aliis reliquit curam: ipse vero nouum inchoauit, hac inscriptione a priori distinctum: *Vollständige Nachrichten von dem ordentlichen Inhalte derer kleinen und auserlesenen academischen Schriften, welche vornehmlich in die Gottesgelahrheit, Weltweisheit, und schönen Wissenschaften einschlagen, und in neulicher Zeit an das Licht gekommen.* Primum Volumen, *anno* 1746. *Lipsiae in 8.* editum, itemque alterum, tot complectitur Partes, quot olim placuerant: ab anno autem 1748. additae sunt sex ob crescenrem in dies minorum scriptorum adparatum, adeoque Partes duodecim prodierunt. Atque hac ratione prosequutus clarissimus Auctor est institutum laudabile, ac superiori, si caput rei spectes, prorsus consentaneum. Conf. *Praefatio an.*

1749.

1749. cui Kriegelianum nomen adpositum est. Anno itidem 1759. aliquot Partes in librariorum Catalogis indicatas reperi. Ex vtroque Diario quum plurimum emolumenti redundet in sacrarum rerum studiosos, nonnulli Lipsienses, simili opera, iis etiam consulere voluerunt, qui Iurisprudentiae, arti medicae, Historiae, Philosophiae naturali ac disciplinis mathematicis animum praecipue addixerunt. Primum igitur *ibidem anno* 1736.*in* 4. vidimus

Gründliche Auszüge aus den neuesten iuristisch-medicinisch- historisch- physicalisch- und mathematischen Disputationibus, welche auf den hohen Schulen, sonderlich in Deutschland, gehalten worden. Kriegelii potissimum Auctores tenuere morem, ita, vt et, praeter Dissertationes praestantissimas, in cathedram productas, libellos alios, qui vulgo Disquisitiones, Commentationes, caet. dicuntur, in chorum reciperent, nec antiquiora, siue raro comparanda, siue non ita pridem recusa, exulare hic paterentur. Subiunctae sunt copiosae Obseruationes, saepe quidem exiles, at nonnunquam tamen lectu dignissimae. Ordo mensium haud adcurate seruatus: ipsa vero scripta tam dextre sunt in epitomen redacta, vt nucleus facile in oculos incurrat. Absoluto Volumine I. typographus, satis plurimorum facturus desideriis, recensiones iuridicas et historicas separauit a medicis, physicis ac mathematicis, quas posteriores noui Diarii titulo insignire maluit. Itaque prodierunt ab *anno* 1737. *gründliche Auszüge aus iuristisch-, und historischen Disputationibus* vsque ad annum 1743. quo *Voluminis IV. Pars quarta* vltima, quantum sciam, fuit. Priora autem tria Volumina, aeque ac primum omnium, ex sex Partibus, Indicibusque binis, constant. Eadem est conditio *der Auszüge aus medicinisch- physicalisch- und mathe-*

 matischen

matifchen Difputationibus. Volumen primum, a. 1737. itidem *in 4.* excufum, fequebatur mox *alterum tertium*que: *quarti* non nifi *Partes III.* me videre memini, *anno* 1741. editas.

§. XXI.

Nec defunt in Germania fchedae, quae fingularium Academiarum, itemque Scholarum, ftatum litterarium indicant; quod inftitutum quantum commodi adferat, praecipue exteris, euidenter perfpicitur. Non omnia corradam hic, momenti cuiuscunque, fed, habito potius delectu, de iis dicam tantum, quae prae ceteris notari merentur. Primus igitur in medium procedat IOH. DAVID KOELERVS, olim Profeffor Altorfinus, poftea Gottingenfis, qui compofuit *Faftos Vniuerfitatis Altorfinae*, in Rectoratu annuo Euch. Gottlieb Rinckii, et aliorum. *Quinque Sectiones* editae funt *Altorfii in 8.* prior *anno* 1719. vltima 1723. In Praefatione praemiffa Vir celeberrimus confilii fui his verbis pag. 7. exponit rationem: *Cum nec noui exempli, nec nullius in publicum commodi fit, commemorare labores Academicos, aggredior etiam faftos Academiae Altorfinae iuxta annorum feriem, per fucceffiones Rectoratus Academici diftinctam, confignare, in quibus non folum totius anni res Academicae continebuntur perfcriptae, hoc eft lectiones publicae et priuatae, difputationes, orationes, folemnes honorum collatianes, et quaecunque ad operas Academicas fpectare videbuntur; verum etiam vitae celebrium huius Academiae Profefforum, adiectis caelatis facierum effigiebus, cum indice fcriptorum, ab iis euulgatorum, exhibebuntur. - - - - Singulis decennalibus voluminibus adiicientur indices nominum et rerum locupletes, vt hac etiam in*

re

re studio lectoris beneuoli subueniatur. Quod vero ad Indices attinet, ii quidem non accesserunt, labore hoc iusto citius finito. Quumque sub eius initium memorati saltim essent scriptorum Academicorum tituli, sine breui argumentorum expositione, quod multis displicere audierat Koelerus; in sequentibus tribus Sectionibus monito huic locus est relictus, eoque ipso longe vtilius redditum institutum. Conf. *Praefatio*, quae *Sectionem III.* antecedit. Praeter imagines eruditorum Altorfinorum, singulis Sectionibus praefixas, passim aliae figurae, aeri incisae, occurrunt, imo integra quoque variorum Programmata, et carmina SCHWARZII, cuius iucunda semper Musis Noricis memoria erit.

Eodem fere, quo Koelerus in Fastis Altorfinis occupatus erat, tempore molitus est IOH. CHRISTOPH. COLERVS *Acta litteraria Academiae Vitembergensis*, quorum *Tomus I. Vitemb. a.* 1719. *in 8.* prelo exiit. Praecipua ipsi cura fuit, vt scripta Academica publica, Programmata, Indictiones, Catalogi Lectionum, Orationes, et huius generis alia diligenter adseruarentur integra, et a iactura, quae his alias libellis facile imminet, vindicarentur. Proximum concedere locum voluit Elogiis Professorum, qui vitam cum morte commutarunt: Disputationes etiam, solemnes praesertim et inaugurales, aliasque haud vulgaris argumenti, redigere in compendium, ac libros maioris molis, eosque Vitembergae excusos, breuiter memorare statuit. At post Partem secundam, Colero interim sacrum suscipiente munus, isthaec duodecim plagularum opella finem habuit, renouata demum, ac velut a mortuis excitata, *ibidem a.* 1724. hoc titulo: *Acta Academiae Vitembergensis in Rectoratu semestri Ge. Frid. Schroeeri, caet. a. 1722. et 1723.* Auctor perhibetur SAM. FRID. BVCHERVS, Antiquitatum tunc temporis Professor,

qui bibliopolae nomine praefatus est, et quid exspectandum in hac sit continuatione, exposuit. En! ipsa eius verba: *Duo horum Actorum (quae in se continebunt 1) conspectum Dissertationum, 2) Programmata, 3) Orationes, 4) scripta polemica, 5) singulares Anatomicorum, Physicorum, Medicorum, Mathematicorum, obseruationes, 6) nouas Philosophorum et Philologorum passim opiniones ac methodos, 7) perbreuem librorum, Vitembergae editorum, recensionem,) Volumina quotannis in lucem emittere constitutum est; quorum prius res a die XVIII. Octobr. posterius a die I. Maii hic gestas recensebunt, ita tamen, vt vnumquodque Semestre pagellarum numero alterum semper aequet. Quodsi vero hoc vel illud Semestre, deficiente materia, iustum pagellarum numerum accedere nequeat, tractatus alios selectissimos, perraros, vtilissimos, subnectemus.* Prodiit hac ratione *Semestre primum; alterum*, in Rectoratu Chr. Henr. de Berger, *a.* 1724. tandem vero *tertium*, plura quippe haud successerunt, in Rectoratu Ioh. Henr. de Heucher, a. 1725; quolibet eorundem plagulas quatuor circiter ac decem continente. Multa etiam hic, more institutoque Coleri, Programmata leguntur integra, cum Orationibus et Carminibus quibusdam: recensiones autem, theologicae in primis ac medicae, fuse admodum conscriptae sunt ab ipsis plerumque Dissertationum Auctoribus.

Historiam porro Ienensis Academiae recentissimam, Altorfinorum ac Vitembergensium exemplo, inceperat olim IOH. ANTON. STRVBBERGIVS. Prostat sane *Diarium* eius *Salanum anni 1720. in quo, praeter Acta litteraria Academiae Ienensis stricte sic dicta, nempe disputationes, orationes, programmata, mandata,*

mandata, vt et lectionum catalogos, et reliqua huc spectantia, *commemorantur atque traduntur 1) obseruationes singulares varii generis*, *2) sciagraphia librorum, typis nondum exscriptorum*, *3) varia noua litteraria*, *4) miscellanea quaedam historiam Academiae Ienensis antiquiorem illustrantia.* Singulis Auctor trimestribus Acta haec Ienensia, in duas diuisa Sectiones, nulla quaternionum habita ratione, luci exponere constituerat. Sed mox, eo a Musis discedente Salanis, desierunt cum *Trimestri II, Ienae an.* 1721. *in* 8. excuso. Laudandum interim est studium, quoniam scriptorum Academicorum argumenta non adcurate tantum recensuit, adiectis passim Obseruationibus suis, Strubbergius, sed alia quoque protulit bonae frugis. Plura vide de isthoc, qui totus, ni fallor, ex plagulis triginta constat, labore in KRAVSII *Nouis litter. a.* 1721. *p.* 31. *sq.* Postea IOH. ANDR. FABRICIVS, adiutoribus Dan. Godofr. Wernero, Ioh. Christoph. Koechero, tandemque Mart. etiam Schmeizelio ac Theod. Christoph. Vrsino, composuit *Monathliche Nachrichten von gelehrten Leuten und Schriften, besonders dem gegenwärtigen Zustande der Uniuersität Iena.* Exhibitus est *ibidem a.* 1726. *Tom. I. in 8.* qui Sectiones XII. cum Indice complectitur. *Anno* 1727. singulis binis mensibus Sectio edita, sicque generatim sex prodiere: *Anno* 1728. interruptus est conatus: *Anno* 1729. tres a Koechero additae Sectiones, quae postremae sunt, teste ipso FABRICIO *im Abriß einer allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit Tom. I. p. 909.* Certa vero ex parte huc pertinet modo liber; multa enim alibi etiam excusa recensentur primo, ac tunc demum de Academia, de scriptis Ienensium, de Vitis eruditorum, nouisque litterariis, agitur. Conf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1726. *p.* 379. Ioh. Frid.

Christium pariter ad Ephemerides anni 1716. non nulla contulisse, patet ex *Catalog. Biblioth. Christiae, P. II. p.* 441. Nec praetermittam hoc loco *die Thüringischen Nachrichten von gelehrten Sachen, sonderlich der Universität Iena, ibidem a.* 1734. 1735. *et* 1736. *in 8.* cuius Diarii historiam breuem inuenio in HEVMANNI *Bibliotheca Academica p.* 96. vbi *Auctor est,* inquit, *Ioh. Andr. Fabricius, recensens, subinde que censura seueriori excipiens nouissimos libros, Dissertationes, Orationes, siue Ienae, siue alibi Thuringiae editas. Fuerunt tamen et alii, qui symbolas adiicerent suas. Initio singulis hebdomadibus dimidia plagula, deinceps singulae plagulae, tertio anno singulis mensibus binae plagulae emittebantur. Cum autem laborem hunc plus odii sequeretur, quam fauoris, auctor vltra triennium illud non est progressus.* Alios quoque se nactum esse socios, ipse FABRICIVS *l. c. p.* 912. profitetur. Successere *anno* 1740. *Noua Ienensium litteraria,* siue *neue Ienaische Nachrichten* caet. Quouis mense Pars trium plagularum excusa, et hac quidem methodo, vt scripta Latina sermone Latino, Germanica patrio indicentur. Inserta nonunquam, quae antea non fuerant edita. Incepit laborem PETR. KVNZIVS, finiuit IOH. CHRISTOPH. MYLIVS. Vltimam Partem in mense Febr. *anni* 1742. collocat FABRICIVS *l. c.* Conf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1740. *p.* 646. *sq.*

Plausum communem excitarunt *Annales Academiae Iuliae, ex editis et manuscriptis monumentis compositi. Helmst.* 1722. 8. In Semestria diuisus liber: quorum quatuor priora, cum adiunctis Actis Societatis Conantium, de qua suo loco dicam, tribuenda sunt CORNELIO DIET. KOCHIO, Theologo ac Philosopho Helmstadiensi. Quatuor his Partibus rerum ac nominum Index accessit. Postea, ob labores Auctoris grauiores, eiusque subinde ex vita discessum, ad pertexendam telam persuaderi se

passus

paſſus eſt GOTTLIEB SAM. TREVERVS, tunc Iuliae ornamentum. Hic igitur a. 1725. vno Faſciculo iuncta exhibuit Semeſtria quintum, ſextum, ſeptimum et octauum, annoque 1726. Semeſtre vndecimum Indice pariter inſtruxit, tamquam Volumen II. Anno 1727. accepimus Semeſtre duodecimum, ac decimum tertium; ſequenti anno decimum quartum Semeſtre, quintumque ac decimum, quod Volumen III. abſoluit, idque vltimum. Nec hoc ſuo deſtitutum eſt Indice. Noli vero hic Annales quaerere, ab incunabulis Academiae inchoatos: exponuntur tantummodo, quae geſta ſunt a Muſis Helmſtadienſibus iis annis, quibus Ephemerides hae conſcribebantur. Ipſe KOCHIVS in *Praefatione*, Semeſtri I. praemiſſa, *propoſitum eſt*, ait, *ſcriptori, quoad per fata licebit, ſingulis annalium voluminibus monumenta ingeniorum, quaecunque per ſex menſes academia Iulia peperit, ordine temporis diſpoſita commemorare, exceptis carminibus conſuetis; nec commemorare ſolum, vel indicare, quo ſermone, titulo, loco, anno, qua officina, quaque forma, in lucem quodque prodierit, ſed etiam argumenta percenſere in tantum, in quantum quidem ad iuſtum ſat eſt; manu vero exarata, modo breuiora et ſingularia, inferre integra, vt et indicem praelectionum, et ſi quid praeterea iudicabit hoc eodem modo deſcribendum.* Hanc et ſequutus formulam eſt TREVERVS, qui operam ſe daturum recepit, *vt cuiusuis ſcripti idea plenius et exacte delineetur, eaque exteris adpareat, qualis reapſe ab auctore ſuo in quouis monumento litterario fuit exhibita. Quapropter etiam*, pergit, *verbis auctoris, quantum potero, et excerptionis compendium permittet, inſiſtam, vt quemuis ſuum maneat pretium, ſuus decor. De caetero obſeruationes, quas ſingulatim edere*

inte-

integrum non est, hinc et inde inspergam, siue a me fuerint adnotatae, siue ab aliis in academia nostra suppeditentur. - - Faxit Deus, vt rarius mortuorum elogia inferendi necessitas, mihi iniungatur. Vid. *Praefatio Semestri* IX. praefixa. Et debent omnino hi Annales, non vna de caussa, pluris aestimari, quam alia multa huius generis scripta. Vt enim Epistolas mutuas taceam, quibus argumenta varia illustrantur, v. g. numismatica, critica, medica, caet: frequentes etiam *Obseruationes*, nondum editae, emicant passim veluti stellae primae magnitudinis. Qua in re praecipua sunt merita Treueri, cuius ex ingenio profluxerunt Obseruationes *von Ehren-Rechten; de origine spiritus vini destillati; de Legibus Palatinis medii aeui in Germania; de origine abusus nominis politici, in odium tracti; de reliquiis Papismi in compotationibus, quae in Academiis pro accessu, vt vocant, requiri solent, vulgo Accesf-Schmäusen; de Academiae politicae instituto, a principibus summis tentato, in vsus Academicos conuertendo; de Academiis moralibus Pontificiorum; Specimen adnotationum ad Wicquefortii librum: le parfait Ambassadeur; ac de pomo, seu globo Imperii, in numis non nullis duplicato;* quae postrema disquisitio paullo post, cum *Historia globi crucigeri*, separatim et auctior *Brunsuigae in 8.* prelo exiit. Praeter haec gratae multis erunt, quae ornant singulas Partes, Professorum Helmstadiensium, tunc temporis illustrium, imagines, non vulgari artificum studio expressae. Conf. *Acta Erud. Lat. a.* 1724. *p.* 48.

Anno 1723. *in 8.* prodierunt sermone Germanico *Acta Lipsiensium Academica, oder Leipziger Vniuersitäts-Geschichte, welche den gegenwärtigen Zustand der Academischen Gelehrsamkeit auf der Vniuersität Leip-*

zig

zig sorgfältig eröffnen: nebst einem Anhange von allerhand Neuigkeiten, und dem ietztlebenden Leipzig. Partibus quinque ac decem haec Acta proposita sunt, quarum septem priores *Tomum I.* reliquae octo *Tomum II.* conficiunt. Vtrumque tres Indices vtiliorem reddunt euoluenti. Dissertationes Lipsiensium et Programmata recensentur hic perquam copiose, multis saepe Obseruationibus subiunctis. Iudicia vero satyrica non nunquam sunt atque aculeata; qua de caussa Auctoribus, inter quos MICH. RANFFTIVS, teste IOH. ANDR. FABRICIO *im Abriß einer allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit, Tomo I. p. 857*, praecipuus fuit, continuatione, iussu superiorum, est interdictum. Vid. *Leipz. gel. Zeit. an. 1726. p. 79.* Successit deinde *a. 1726.* itidem *in 8.* lingua Latina *Lipsia litterata, relationes* continens *Dissert. in Acad. Lips. euulgatarum;* at Partem I. haud excepere plures. Longior contigit aetas ABR. KRIEGELII *nütz. Nachr. von den Bemühungen der Gelehrten in Leipzig, ibidem ab anno 1739.* vsque ad *a. 1753. in 8.* Sunt XV. exiguae staturae Volumina, quorum de ratione agitur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1740. p. 72.*

Hassiacarum Academiarum statum litterarium, per aliquot tempus, delineatum videmus in *der kurtzen Historie der vormahligen und gegenwärtigen Gelehrtheit derer Hessen, von unpartheyischer Feder entworffen.* Quatuor Trimestria, quolibet nouem plagulas exhibente, emissa, nullo loco nominato, anno 1725. *in* 8. totidemque *a. 1726. et* 1727. quae tria Volumina Auctorum ac rerum Indice locupletata sunt. Sterilis fuit annus 1728. insequenti vero 1729. Trimestre I. ac II. prodiit: plura non exstare audiui. Est saltim Vol. I. et II. in manibus meis: integrum opus occurrit rarius, quantum obseruare licuit. Incipit illud ab anno 1724. neque tamen antiquiora tempora plane relinquuntur intacta.

tacta. Praeter breuem enim Academiarum Marburgensis, Giſſensis ac Rintelienſis hiſtoriam, Vitae Profeſſorum, olim in iis florentium, exponuntur; deinde Vitae nuper mortuorum addi ſolent, cum recenſione ſcriptorum, in his Academiis non ſolum, ſed Caſſellis quoque, et aliis Haſſiae locis, nouiſſime typis impreſſorum. De veris egregii Diarii architectis diſputatur. In *den Leipz. gel. Zeit. a. 1726. p. 222.* Marburgi editum dicitur ſtudio DÜLCKENII Candidati Medicinae, ANDR. DESERRET, Philoſophiae et Eloqu. Gallicae Profeſſoris, et IOH. ADOLPHI HARTMANNI, Eloqu. et Hiſtor. Profeſſoris, priores vero mox fatis conceſſiſſe. Cuius tamen indicii fides imminuitur in *Trimeſtri I. anni 1726. p. 32.* Parum intereſt noſtra, perſcrutari auctores, qui latere maluerunt: ſufficit nobis, eorum inſtitutum ita eſſe comparatum, vt largos exinde fructus ſibi promittere queant rei litterariae ſtudioſi. Interim, quod ad Hartmannum attinet, anno 1744. rebus humanis ereptum, diſerte ipſi laudati Operis cura adſcribitur in DVNGKELII *Nachrichten von verſtorbenen Gelehrten, Vol. I. Parte 2. p. 225.*

Qui *Roſtochii a.* 1722. *et* 1723. *in 8.* lucem viderunt *Annales litterarii Mecklenburgenſes, in annos* 1721. *et* 1722. Germanico ſermone, ii poſt alteram ſtatim Partem, ſeu, vt Auctores ſcribunt, *Vorſtellung*, finiti ſunt. Sectio prior *Perſonalia*, i. e. Vitas eruditorum, mutationes munerum publicorum, honores Academicos, nonnullis delatos, diesque ſolemnes: Sectio poſterior *Realia*, ſiue ſcripta Roſtochii recentiſſime publicata, repraeſentat. Debetur labor PHIL. FRID. HANIO et ERN. IOH. FRID. MANTZELIO, a Partis vero II. *pagina 161.* GE. DETHARDINGIO, Medico tum in hac Academia Profeſſori. Eodem potiſſimum auctore ſucceſſerunt *Recenſiones Actorum Eruditorum, aliorumque memo-*

memorabilium, in alma Rostochiensi. Sed etiam hae, post Collectionem II. in prima herba exaruerunt. Sumtibus enim pepercit bibliopola. Agitur de Dissertationibus ac libris, ibidem a. 1723. excusis; de Obseruationibus, Epistolis, controuersiis hominum doctorum; de honoribus ac morte quorundam caet. Integra etiam Programmata recusa fuerunt. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1725. p. 890. sq.* et HEVMANNI *Bibliotb. Academ. p. 182.*

Locum et hic sibi vindicant IVSTI ISRAEL. BEYERI *Alte und neue Geschichte der Hallischen Gelehrten sowohl insgemein, als besonders der Friedrichs-Vniuersität allda. Halae* 1739. 8. Enarrantur Vitae quorundam eruditorum, et scripta nouissima satis diligenter: at destituit Auctor inchoatum post Partem sextam, *a.* 1741. prelo liberatam.

Scholarum Germaniae celebrium faciem recentissimam, resque in iis gestas, ante oculos posuit Vir doctus ac diligens, IOH. GOTTLIEB BIEDERMANNVS, hodie Gymnasii Freybergensis Rector. Primum *anno* 1741. *Ijenaci in 8.* ab eodem exhibebantur *Acta scholastica, worinnen, nebst einem gründlichen Auszuge derer auserlesensten Programmatum, der gegenwärtige Zustand derer berühmtesten Schulen, und der dahin gehörigen Gelehrsamkeit, entdecket wird.* Quodlibet Volumen, quorum sunt VIII, sex Partes continet: praeter postrema Volumina tria, quae duodecim habent Partes, singulis mensibus editas. Accesserunt Indices necessarii. Quum alium postea, qui sumtus ferre vellet, inuenisset Auctor librarium, *Noua Acta scholastica* composuit, quorum Pars I. *Lipsiae a.* 1748. *eadem forma* excusa est. Huius continuationis *duo*, quantum sciam, *Volumina* prodiere, quolibet Partes duodecim, cum Indicibus, continente. Mutatio bibliopolae alium denuo laboris titulum peperit. Sequebatur igitur

Halae

Halae Magd. a. 1752. *in 8. Altes und neues von Schul-Sachen*, Volumen VIII. *ibid. a.* 1755. abſolutum eſſe cognoui. Biedermannus in his omnibus Ephemeridibus eandem ſeruauit methodum, et partim Programmata antiqua pariter ac recentiſſima, partim Vitas hominum doctorum, qui ſcholis ſe addixerant totos, percenſuit, partim etiam varia Noua ſcholaſtica memorauit, quo ipſo non paucis rem fecit gratiſſimam. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1741. *p.* 253. nec non *die Ratblef- und Strodtmanniſchen Geſchichte ietztlebender Gelehrten*, *Parte X. p.* 435.

§. XXII.

Ab aliis Diaria profecta ſunt, quae vulgari nomine dicuntur *Nouellae litterariae*. In his locum habent, quaecunque inter eruditos vbique gentium acciderunt nuperrime, ſcripta item ſiue maioris molis, ſiue minora, quae plerumque non niſi paucis indicari verbis ſolent. Proluſiſſe videntur, quae, per aliquot annos, vt fungi ſubito natae ſunt in Germania et longe lateque diffuſae, eiusmodi ſchedis *Ephemerides litterariae, Hamburgi a.* 1686. *in 4.* Latine, ac ſub idem tempus Gallice etiam ſeparatim. Quauis hebdomada plagulam dare conſtituerant Auctores, inter quos IOH. GARMERS et DAVID VON DER BECKE, docti Hamburgenſium Medici, praecipui fuiſſe creduntur a MICH. RICHEY. Sed poſt ſextam hebdomadam in ipſis ſtatim incunabulis exſtinctus fuit conatus. Recenſentur hic noua litteraria ex diuerſis orbis partibus Hamburgum perlata, et ipſis quidem plerumque Scriptorum verbis. Vid. IVNCKER. *de Ephemerid. eruditor. p. 166.* Quidam minus recte tribuunt opellam GABR. D'ARTIS, ob religionem exuli Gallo, a quo profectum eſt *Journal de Hambourg*, cuius Tomi IV. *in 8.* proſtant. *Primus* a die 3. Sept. ad 24. Dec. 1694. *alter*

alter a die 1. Apr. ad 24. Iunii 1695. *tertius* a d. 1. Iulii ad Decembrem eiusdem anni, *quartus* a d. 13. Ianuar. ad 27. Apr. a. 1696. excurrit. Leguntur autem hic non historiae solum litterariae, sed ciuilis etiam ac miscellae nouissimae, argumenta varia. Conf. MOLLERI *Cimbria litterata*, *Tom. II. p. 45.* Post successerunt *Noua litteraria maris Balthici et Septemtrionis*, edita *Lubecae a. 1698. in 4.* Primi horum Nouorum litterariorum auctores fuere ACHILLES DANIEL LEOPOLDVS, I. V. D. et IAC. a MELLEN, Ecclesiastes Lubecensis, qui socios diuersos nacti sunt, a IOH. HENR. VON SEELEN in *der Nachricht von der Lübeckischen Buchdruckerey*, *p. 146.* nominatos. Institutum erat, vt quid in re litteraria ageretur per Ducatum Mecklenburgicum, in Pomerania, Prussia, Liuonia, Suecia, Dania et Holsatia, duabus per menses singulos plagulis, commemorarent. Praecipuum est fere index earum rerum, quae gesta tunc temporis in Academiis Kiloniensi, Rostochiensi, Dorpatensi. Quumque olim status litterarius in terris Septemtrionalibus difficulter innotesceret Germanis aeque ac aliis populis, negari profecto nequit, multa exinde disci, quae alibi non inueniantur. Longe tamen vtilior esset labor, si delectum rerum adhibuissent Auctores. Saepius enim nugas immiscent, quae non debebant eruditi lectoris oculo proponi. Continuata interim sunt studio CASP. HENR. STARCKII, a mense Sept. an. 1705. vsque ad mensem Augustum anni 1708. et generatim *Volumina XI.* complectuntur. Ab anno autem 1704. singuli menses, plagulis quatuor constantes, *Hamburgi* typis sunt impressi.

Sequuti eandem viam apud Hamburgenses fuerunt PETR. AMBROS. LEHMANNVS, Regi Poloniarum a secretis legationum, et GODOFRED. STRASBERGIVS, Scholae, quae Hamburgi a Iohanne,

Euangelista, nomen habet, Collega, cum aliis forte, *anno*que *1703. in 4.* coeperunt *Noua litteraria Germaniae*, quibus supplere studuerunt, quae Collectores prioris Diarii, ob regulas sibi praescriptas, non tetigerant. Itaque Lubecensibus prouincias versus Septemtrionem sitas relinquentes, exposuerunt, quae per caeteram Germaniam in re litteraria acta sunt. Eo consilio Nouis hisce inserendum curarunt, quicquid ad ipsos ex diuersis Academiis, v. g. Lipsiensi, Vitembergensi, Ienensi, Halensi, Francofurtana, item aliis ex locis, perlatum fuerat; atque sic de scriptis honoribusque Academicis, morte Virorum celebrium, aliis laboribus litterariis, caet. dicunt, breuem quoque scripti cuiusdam, vel Dissertationis, recensionem adnectentes. Non ipsi tamen singula suis exprimunt verbis, sed ea saepius digerunt, quae cum iis fuerant communicata. Addunt quandoque Obseruatioes medicas, integras eruditorum Epistolas, numismata et naturalia, primo alteroque anno aeri incisa passim, et si alicuius Scriptoris mentio iniiciatur, vitam eiusdem atque scripta caetera memorant. Delectus tamen hic itidem desideratur in instituto, cui alias laus sua denegari nequit. Varia certe interseruntur, quae nouorum litterariorum auido molesta sunt admodum: quis enim curet facile nomina Magistrorum Lipsiensium ac Vitembergensium, proxime renunciatorum? quid, quaeso, eruditi interest, cognitos habere Sacerdotes omnes, in hoc vel illo districtu degentes, item Consules ac Senatores ciuitatum municipalium, aliosque homines, honestos quidem, at obscuros in Republica litteraria? Euolue, si exempla requiras, *anni 1704. paginas 192. 451. 286. 156. sq.* pariterque *p. 319.* vbi cuiusdam Ioach. Warneke vita legitur, in qua nihil notatu dignum. Intelligimus tantum exinde, eum patrem ha-

habuiſſe matremque; ob res domi anguſtas Academiam quandam adire non potuiſſe; poſtea, interiecto interuallo aliquo, Secretarium Cellenſem fuiſſe; vxores tres matrimonio ſibi iunxiſſe; ex altera liberos duodecim ſuſcepiſſe; tandem vero ſenem nonagenario aliquot annis maiorem de vita deceſſiſſe. Eiusmodi res pulchrae ac memorabiles ſaepius occurrunt, id ſaltim poſteritati aperte indicantes, quod Auctores iudicii nonnunquam inopia laborarint. Sed forſitan haec talia, vt ſchedae eorum plures emtores nanciſcerentur, fuerunt adiecta. Alias non male iudicauit BERNARDVS *in Nouv. de la Rep. des Lettr. m. Iunio 1703. p. 687.* vbi dicit: *Nous avons vû les trois premiers Mois de ce Journal, qui contiennent des choſes fort curieuſes, et très inſtructives.* Quouis menſe prodierunt plagulae quinque, vel ſex, imo et quatuor. Anno abſoluto acceſſerunt perſonarum rerumque Indices, haud leuiter confecti. In Tomo V. ſiue cum anno 1707. coeperunt Collectores etiam extra patriae fines excurrere, quicquid in Italia, Gallia, Magna Britannia, Belgio, (ex quo iam in Tomo IV. varia protulerant,) Heluetia, aliisque locis exteris, inter litteratos geſtum ſit, ſimul recenſentes, qua de mutatione ipſi fuſius dicunt in *Praefatione.* Itaque Diarium inſcripſerunt *Noua litteraria Germaniae, aliorumque Europae regnorum.* A Tomo VI. vero, qui annum 1708. continet, auxerunt adparatum ſuum Nouis litterariis maris Balthici et Septemtrionis, quae, vti ſupra dictum eſt, tunc temporis in exitu erant. At et ipſum hoc Diarium Hamburgenſe idem mox fatum ſubiit, quippe abruptum eſt cum menſe Decembri anni 1709. ac *Tomo VII.* Conf. de hiſce Diariis KOHLII *Praefationes,* praemiſſae *den Hamburgiſchen Berichten annorum 1741. et 1742.*

Anno 1715. IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS, ſuaſu potiſſimum

tiſſimum hortatuque, imo et ſumtibus, Ioh. Burch. Menckenii, inchoauit lingua Germanica *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen, oder geſammlete Nachrichten von allem, was ein Jahr über in der gelehrten Welt Ruhm- und merckwürdiges vorgefallen. Lipſiae in 8.* Paullo ante Auctor in animum induxerat, Noua, quae rei litterariae commodo per vniuerſam prope Europam variis linguis publicarentur, aut quae forte amicorum indagari ope poſſent, vnum cogere in locum, ac ſeptimo quouis die cum eruditis communicare. Id autem quum aliis obrutus negotiis differret aliquamdiu, eadem fere prouincia a non nemine in Belgio occupabatur, quem imitati ſunt Francofurtenſes, itemque Lipſienſis quidam, eo ipſo anno 1715. *in 4.* exhibens *wöchentliche Poſt-Zeitungen von gelehrten Neuigkeiten.* Hi tamen aliorum conatus tantum abeſt, vt reuocarint ab inſtituto, vt ad perficiendum potius Krauſium incenderint. Prodiere igitur per annum 1715. et 1716. plagulae dimidiatae duae et quinquaginta, in quibus tum ex Ephemeridibus eruditorum omnibus, tum ex litteris amicorum, praeſertim ad Menckenium, ex plurimis Europae regionibus perſcriptis, excerpta memorantur noua litteraria, ad Vitas et opera eruditorum, reliquumque Hiſtoriae litterariae adparatum ſpectantia. Inſeruntur multorum, quae iam tum variis linguis proſtabant, Diariorum ſumma capita, notatis diligenter iudiciis, ſi talia de ſcriptis aliisque doctorum hominum conatibus lata ibidem fuerant. Taceo plura iucunda lectu. Tam paucarum vere plagularum anguſtia quum cuncta non caperet, ſubnectere placuit Supplementa XII. in quae ſerius cognita reiicerentur. Factum ita per duos annos priores: anno deinde 1717. ſequentibusque omnibus quauis hebdomada Partes II. ſunt editae, adeoque centum quotannis ac quatuor, vel quinque,

quinque, Supplementis plane praetermiſſis. Sub initium anni 1734. abeunte Krauſio a munere ſcribendi haec *Noua*, Vitembergae etiam per aliquot annos ab eodem collecta, eius in locum ſucceſſit FRID. GVIL. STVBNERVS, qui tamen, ob mortem praematuram, non niſi duo Volumina confecit. Itaque Frid. Otto Menckenius, ad quem negotii paterni cura deuoluta erat, lampada tradidit WOLFG. BALTHAS. A STEINWEHR, hoc tempore celeberrimo in Academia Viadrina Profeſſori. Poſt eius a Muſis Lipſienſibus diſceſſum anno, quantum recordor, 1740. vacuum occupauit locum IOH. IOACH. SCHWABIVS: exacto tamen triennio, vt inſtitutum Reipublicae litterariae magis redderetur proficuum, ſex eruditi Viri Lipſienſes, coniunctis viribus, *Noua* iſthaec continuanda ſuſceperunt. Vid. *Annus* 1742. *p.* 831. Mors Menckenii a. 1754. nouae cauſſa mutationis fuit. Heredes enim eiusdem hac de re pactionem fecerunt cum CAR. ANDR. BELIO, Prof. Lipſ. clariſſimo, cuius auſpiciis ad hunc vsque diem, ſine intermiſſione, antiqui tela Operis producitur. Singulis annis Volumen prodiit, ab anno 1717. duas diuiſum in Partes, tribusque inſtructum Indicibus, primo Diariorum, et aliorum huius fere generis librorum, quorum iniecta eſt mentio; altero Auctorum omnium; tertio Scriptorum anonymorum. In Praefationibus breuiter ſemper ſtrictimque repetuntur, quae fuſius per annum integrum memorata ſunt; atque adeo cognoſci exinde nullo poteſt negotio, quae ſingulis litterarum generibus factae ſint quotannis acceſſiones, et quae ſtudia acrius nunc remiſſiusue excolantur, quam olim. Quumque in his ſchedis litterariis vel parcius, vel plane non, locum habere poſſet eorum, qui in nobilioribus exterorum eruditorum Diariis recenſentur, librorum expoſi-

Kkk 3 tio,

tio, addebatur, vt multorum ſatis deſiderio fieret, ab exeunte m. Iunio a. 1734. quauis hebdomada Supplementum vnius plagulae. Titulus noui Operis eſt hic: *Nöthiger Beytrag zu den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen, oder umſtändliche Auszüge aus denen gelehrten Monaths-Schriften, welche in den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen nicht Platz hatten.* Abſoluta ſunt Vol. VIII. *in 8.* quorum poſtremum prae; ſe fert an. 1743. Primum elaboratum fuit a STVBNERO: caetera tribuuntur GE. FR. RICHTERO, STEINWEHR, et GE. FRID. BAERMANNO. Indices varii vſum egregium praeſtant. Nec praetermitti debet *das Vniverſal-Regiſter der Leipziger gelehrten Zeitungen, ingleichen der Beyträge* caet. Vol. I. *a.* 1740. *in 8.* Vol. III. *a.* 1743. excuſum. Plura non vidi. In *Catalogo* tamen *Bibl. Bunav. Tomi I. Vol. I. p. 491.* indicantur eorundem ſeptem, quod falſum ideo eſſe videtur, quoniam in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1741. *p.* 896. Volumen tertium vltimum dicitur. Caeterum cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1716. *p.* 333. *ſq.*

Sub huius conatus initium quum plures exterorum, linguae Germanicae ignari, quibus operis ſuſcepti ratio aut ex Eruditorum Actis, aut aliunde innotuerat, vt Latine quoque legi haec Noua poſſent, optare viderentur: KRAVSIVS cum ipſo *anno* 1718. *ibidem in 8.* ſingulis menſibus bina edidit folia, alterum ad Calendas, alterum ad Idus, eaque hoc inſigniuit titulo: *Noua litteraria, in Supplementum Actorum eruditorum diuulgata, obſeruationibusque hiſtoricis, phyſicis et mathematicis diſtincta.* In *primo* ſtatim *Volumine* Auctor ita praeloquitur inter alia: *Non autem animus eſt mihi, aut reddere exteris, quae ipſorum ex diariis ad notitiam peruenerunt meam, aut noſtris crambem recoctam apponere; quin potius ſedulo cauebo, ne eadem, quae collecta ex omnibus patrio ſermone legenda exhibui, repetantur, vt adeo non his modo,*

modo, sed omnibus, quae publicantur, ephemeridibus litterariis Latina haec nostra supplementi loco futura sint. De Germanis vero meis prae caeteris ero sollicitus, cum videam, quam plurima eorum exteros latere, de nonnullis saepe minus recte ipsis constare, quod tum linguae nostrae difficultate, tum locorum distantia, tum aliis impedimentis a penitiori rerum nostrarum cognitione prohibentur. Additur tandem: *nec obseruationes nouas, physicas, mathematicas, criticas, philologicas, et si quas istis similes alias schedarum istarum beneficio ad exteros perferri optauerint viri docti, maxime, quae breuitate et selectu se commendabunt, sum exclusurus.* Hac ratione Auctor non sine laude progressus est vsque ad annum 1723. quo *Volumen VI.* idque vltimum, quolibet Indice personarum ac rerum instructo, typis est impressum. Cum Volumine III. autem ipsis tantum Calendis vna plagula distributa, Prioribus etiam Voluminibus passim insertae conspiciuntur figurae, aeri incisae. Conf. *die deutschen gelehrten Zeitung. a. 1722. p. 432.*

Lipsiensium industriam aemulati sunt Hamburgenses, eo potissimum consilio, vt praeter alia, scripta in Saxonia inferiori speciatim edita indicarent, quum Lipsienses occupati maxime in recensendis peregrinis essent, Itaque *a.* 1729. *Hamburgi in 8.* prodierunt duobus per hebdomadam foliis, cura CHPH. FRID. LEISNERI, *Niedersächsische neue Zeitungen von gelehrten Sachen*, siue, vt ab anno 1731. dicebantur, ne Menckenium in iure adquisito interpellare temere, adeoque res inuadere alienas videretur Auctor, *Niedersächsische Nachrichten von gelehrten neuen Sachen.* Hoc ipso tamen anno 1731. destitit conatu Leisnerus, et IOH. PETRO KOHLIO, Professori aliquando Petroburgensi, omne nego-

tium reliquit; at mox anno insequenti resumsit telam languore, vt ait, et negligentia Kohlii motus, cui varia ideo exprobrat in Praefatione *anni* 1732. quae legi vtique meretur tota. Adiutores tunc temporis nactus Leisnerus est Ioh. Matthesonium, cui Anglica multa et Musica: C. P. Kriegerum, Iuris Practicum, cui iuridica praecipue: Christ. Ioach. Lossau, cui medica: Ioh. Henr. a Spreckelsen, cui botanica deberi profitetur. Meminit etiam aliorum Virorum doctissimorum, interque hos Professoris cuiusdam Hamburgensis, qui suas beneuole symbolas contulerint. Sub finem autem mensis Martii a. 1734. iterum deseruit institutum Leisnerus, trecentis, vti in *Praefatione*, anno 1733. praefixa, monet, caussis coactus. Praecipua forsitan fuit odium quorundam, quod veritatis ipsi studium, stilusque non nunquam aculeatus peperit. Successit eidem CHRISTIAN. MELCH. HOLTZBECHERVS I. V. D. a quo profecta est continuatio annorum 1734. 1735. et 1736. Hoc postremo finito colophonem addere simul placuit Operi Voluminum VIII. Multa sunt in his lectu omnino digna, nec obuia vbiuis: multa quoque acriter diiudicata, pro conditione scriptorum, quibus in iisdem locus est datus.

Interim clarissimus KOHLIVS, obseruans sagacissime, non sine commodo quodam conscribi Ephemerides litterarias, *ibidem anno* 1732. ipse exorsus est tales, insignitas hoc titulo: *Hamburgische Berichte von neuen gelehrten Sachen* caet. Singulis annis Volumen *in 8.* editum: anno tamen 1757. peracto deferbuit Auctoris ardor, adeoque *Volumen XXVI.* claudit theatrum, in quo permulti fuerunt inducti nihil ingenii, nihil auctoritatis apud Reipublicae litterariae ciues habentes. Postrema certe Volumina insigni rerum memorabilium laborare

inopia

inopia videntur. Quod iudicium si quis forte iniquum dixerit, is legat benignius, quaeso, in REIMMANNI *Catal. Bibl. suae*, *Tomo II. p.* 731. En! locum integrum: *Res in Republica litteraria Saxoniae inferioris maxime et superioris gestae ea ratione referuntur, vt dubitare queas, an prodesse magis, an delectare Auctor voluerit. Genus dicendi liquidum est, et ingeniosum, et dulce. Oeconomia Schediasmatum ad Systematum indolem accommodata. Phaenomena ex proprio litterarum commercio nata. Iudicia circumspecta, modesta, rara. Nec spissis Voluminibus tantum in his Ephemeridibus Hamburgensibus est locus, sed et schedis minoribus, quae facile pereunt, si quidem commemoratione dignum quid contineant.* Statim Kohlii in locum succeſſere alii quidam Viri doctiſſimi, quos inter praecipuum eſſe CHRISTIAN. ZIEGRA percepi, hique *anno* 1758. inchoarunt *Hamburgische Nachrichten aus dem Reiche der Gelehrsamkeit, in 8.* Volumini I. praemiſſa Praefatio lectu iucunda, in qua de vitiis eiusmodi schedarum, quae apud nos frequentiores sunt, ac facile poſſent nominari, data opera diſſeritur. Pergunt adhuc strenue Auctores. Nota sunt porro alia, quae hanc augent classem, Hamburgensium Diaria, scilicet *Beyträge zur Aufnahme der gelehrten Historie und der Wissenschaften*, quae schedae *a.* 1740. *in 8.* auctoribus ALARDO et WODARCHIO coeptae, cum *Volum. IV.* sub *anni* 1743. finem desierunt: et *die freyen Vrtheile und Nachrichten zum Aufnehmen der Wissenschaften und der Historie überhaupt.* Natalis huius Diarii, quod studio parentis sui, BARTH. HENR. ZINCKII, ad *Volumina XVI.* excreuit, incidit in *annum sequentem*, et *a.* 1759. exitum habuit. Eius vero nunc locum occupant *die freymüthige Briefe über die neuesten Wercke aus den Wissenschaften in und ausser Deutschland.* Quouis mense promiſſa est Pars sex vel septem pla-

gularum *in 8.* reique initium factum scio a mense Ianuario *anni* 1760.

Prodierunt quoque ab *anno* 1736. ad hunc vsque diem *in 4. Franckfurthische gelehrte Zeitungen, darinnen die merckwürdigsten Neuigkeiten der gelehrten Welt, sowohl in Ansehung der ietztlebenden Gelehrten, als auch aller zur Gelehrsamkeit gehörigen Wissenschaften, Künste und Sprachen, umständlich berichtet, und insonderheit der gegenwärtige Zustand aller in und ausser Deutschland blühenden hohen Schulen und Gesellschaften, mit unpartheyischer Feder entworffen.* Originem debent Noua illa litteraria SAM. TOBIAE HOCKERO, Notario Caesareo, cuius de conatu parum honorifice iudicatur in *den Leipz. gel. Zeitung. a.* 1736. *p.* 590. *sq.*

Magno certe plausu eruditae ciuitatis consortes exceperunt *die Göttingischen Zeitungen von gelehrten Sachen.* Initium fecit laudatus iam supra STEINWEHRIVS *a.* 1739. Post eius discessum curam laboris GOTTLIEB SAM. TREVERVS suscepit, cui an. 1743. morte exstincto praematura successerunt WILLICHIVS, OEDERVS, SIMONETTIVS, qui et deinceps se coniunxit cum BOEHMERO, HALLERO et KAHLIO, Viris amplissimis. *Anno* 1753. *sq.* hac noua inscriptione: *Göttingische Anzeigen von gelehrten Sachen, unter der Aufsicht der Königl. Gesellschaft der Wissenschaften,* schedae vtilissimae continuatae sunt, et ab hoc tempore in iis adornandis occupatus praecipue fuit IOH. DAVID MICHAELIS V. C. industria suffultus illustris SCHEIDII, et aliorum quorundam. Viginti iam Tomos, qui in duas quotannis Partes diuidi solent, excedunt. Stilus recensentium est elegans, dilucidus et grauis: delectus rerum egregius: iudicia libertatem sentiendi redolent, at aequam eandem et modestam: nec implentur horrea messe aliena, vt vnus alterue eorum,

qui

qui idem agunt, impudentissime facere solet. Optanda est igitur laboris diuturnitas.

Auctore IOH. CAR. DAEHNERTO *Gryphiswaldiae anno* 1743. *in 8.* accepimus *Pommersche Nachrichten von gelehrten Sachen.* Quo litterario negotio, propter impedimenta grauissima, *a. 1748.* finito, *ibidem a. 1750.* iussu superiorum iterum suscepit illud vir doctissimus, hac noua inscriptione notatum: *Critische Nachrichten.* Sed anno 1754, absoluto *Volumine V. in 4,* eius quoque rei deposuit curam. Recensuit Auctor libros varios egregie, hosque potissimum, qui ad litteras humaniores referuntur. Neque tamen iusto semper tempore schedae hae emittebantur. Coniuncta fuit cum Relationibus criticis *die Pommersche Bibliothec, eadem forma,* quod institutum per menses continuatum Historiae patriae, tam ciuili, quam litterariae, et iis pariter, quae digna notatu videbantur de Pomeraniae eruditis, dicatum fuit. Hanc solam Bibliothecam, additis Nouis litterariis exterorum, post a. 1754. exitum prouehere longius constituit Auctor: nescio autem, qui fuerint consilii laudabilis euentus.

Annus 1749. protulit *die Ienaischen gelehrten Zeitungen in* 8. *mai.* Architecti praecipui sunt celeberrimi Viri GE. ERHARD. HAMBERGERVS BASIL. CHR. BERNH. WIEDEBVRGIVS, CAROL. GOTTHELF MVLLERVS, ZENCKELIVS, HIRTIVS, BLAVFVSIVS, IO. GOTTFR. MVLLERVS, iam biblioth. academicae praefectus, et alii. Nonnulli iam decessere. In Parte I. quae loco Praefationis est, exponitur consilii ratio. Constitutum quippe fuit a Societate, primum dare locum scriptis Ienensium eruditorum, si quidem alicuius sint momenti; alterum selectis iis, quae in Germania, extra Academiam Salanam, prodierunt, ita tamen,

vt

vt vbique indicetur tantum, quid noui, quid boni prae aliis, in iisdem inueniatur, infertis, oblata occafione, vindiciis contra iniquas aliorum, qui Ephemerides litterarias edunt, cenfuras. Memorantur etiam exterorum ingeniorum monumenta, vel ab aliis praetermiffa, vel non fatis adcurate infpecta. Hominum vero ieiunorum et inanium, fcribendique pruritu agitatorum, fchedulas leuidenfes, maxime fi alibi ad caelum elatae laudibus fuerint, acri nonnunquam aceto perfundunt Auctores, partim vt in fefe defcendant, et quam fit ipfis curta fupellex agnofcant miferi: partim ne plures exemplo fuo, tamquam pefte grauiffima, inficiant. Nec parcunt Viris, de re litteraria bene meritis, fi vel tumidi fuperbia criftas tollere, ideoque inclinare ad nugas, vel fcriptis, aeterna tegendis obliuione, parta olim decora diminuere coeperint. Vide v. g. lepidam fatyram in *Parte I. anni 1750. p. 4.* item *p. 740.* Duo priora Volumina, fumtibus Cunonis eleganter excufa, habeo in manibus: reliqua horum Nouorum non poffideo. Sunt eorundem *Vol. IX.* generatim, *anno*que 1757. labor omnis defiit.

Addo adhuc *die Roſtockiſchen gelehrten Nachrichten.* Noua haec, (quae *Wismariae a. 1751.* antecedebant *die Mecklenburgiſchen gelehrten Zeitungen*, auctore VALENT. IAC. MÖLLERO, Med. D. et Vrbis Phyfico, de quo vid. *die Roſtockiſchen gelehrten Nachrichten, anno 1757. p. 504.*) *Roſtochii a. 1752. in* 8. primum edita, maxime debentur praecellentiffimo Profeffori, ANG. IOH. DANIELI AEPINO. Inftitutum praecipuum eft, vt fcripta Mecklenburgica, nouiffime in lucem producta, recenfeantur. Neque tamen alia negliguntur, quae in variis Ephemeridibus forfitan fruftra quaefiueris. Stilo Auctores vfi funt iucundo et plerumque eleganti. Iudicant etiam libere, quamquam modeftiae fines non trans-

transeunt. Deducunt filum adhuc: videntur autem Volumina priora, varietate rerum ac praestantia, esse anteponenda posterioribus.

Gallica lingua I. IGNATII RODERIQVII calamus *Coloniae Agripp. 1743. in 8.* publicauit *Correspondance des Savans, ou Nouvelles litteraires des diverses Parties de l'Europe.* Singulis Mercurii Sabbathique diebus plagulam dedit Auctor, quae, finito trimestri, Partem, et, exacto semestri, Tomum iustae formae conficiunt. Praeter duos autem anni huius Tomos nihil amplius vidi. Defuisse credo emtores, et hanc forte ob caussam, quoniam nimis copiose de libris nouis differitur, quod in eiusmodi schedis fieri, mea sententia, non debet.

§. XXIII.

Paucis adhuc de aliis quibusdam Diariis Germanorum vniuersalibus agamus. Leuioris momenti sunt *des Frantzösischen Helicons Monaths-Früchte, oder getreue Vebersetzungen und Auszüge allerhand curieuser und auserlesener Frantzösischer Schriften von Staats- Welt- und Liebes-Händeln, wie auch andern moralischen, geographischen und dergleichen Materien, überreicht von Talandern. Leipzig 1696. in 8.* Auctor ex variis scriptis Germanicis, fabulis praesertim Romanensibus, quas nostra aetate nemo legit, haud ignotus, est AVGVSTVS BOHSIVS. I. V. D. et Professor olim primarius in Academia equestri Lignicensi. Perperam eum cum Ioh. Andr. Bosio, Professore Ienensi celeberrimo, commutauit tectus ille H. P. L. M. in *der gründlichen Nachricht von Frantzösischen, Lateinischen und Deutschen Journalen, p. 70.* Optimus forte, inter reliquos Bohsii illius libros, est modo memoratus, in quo recensionem ac translationem suscepit scriptorum Gallicorum histori-

ſtoricorum, moralium, atque ſimilium. Patet autem ex toto inſtituto, has Ephemerides non tam eruditis ſcriptas eſſe, quam iis, qui otii conſumendi cauſſa lectione ducuntur. Anno 1696. per menſes ſingulos prodierunt, eodemque finito adiectus eſt rerum Index. Abruptae poſtea, reſtitutae demum fuerunt a. 1703. ita tamen, vt non amplius per ſpatium menſtruum, ſed per trimeſtre ſaltim, ederentur, facta diuiſione in *Winter- Früh-lings- Sommer-*et *Herbſt-Quartal.* Sequentibus annis ager ille aridus fructuum nihil tulit.

Maiori iure ad Ephemerides litterarias pertinet *der Deutſche Pavillon der Muſen, oder Verſammlung der Gelehrten, welche in Recenſirung und Beurtheilung der allerneueſten Schriften zum Aufnehmen der Gelehrſamkeit einigen beliebigen Beytrag thun, Lipſ. 1725. 8.* Deſcribere auctores, inter quos praecipuus fuit MICH. RANFFTIVS, eos potiſſimum libros, qui aliis in Diariis Germanorum locum haud inuenerunt, non nunquam eruditi Viri, morte deleti, Vitam, itemque, data occaſione, commentationem argumenti theologici, hiſtorici, vel philoſophici intermiſcere voluerunt. Conf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1725. p. 378. ſq.* At mox, edita Parte VIII, receſſerunt a labore hoc, qui ſeſe commendauit ob iudicia ſolida et moderata, Obſeruationesque haud contemnendas.

Apud Hamburgenſes menſe Ianuario *a. 1728. in 8.* lucem viderunt *Hamburgiſche Auszüge aus neuen Büchern und Nachrichten von allerhand zur Gelahrtheit gehörigen Sachen.* Princeps inſtituti ratio in eo conſiſtit, vt ſcripta, in Saxonia inferiori excuſa, diligenter recenſeantur, additis doctorum hominum vel Vitis, vel cogitatis, quae nondum diuulgata fuerant libellis eriſticis, a moderatione animi non ſeiunctis, omnibusque, rem litterariam quodammodo

modo illuſtrantibus. Non quidem ſingula praeſtita ſunt, quae promiſerat Auctor, IOH. GE. HAMANNVS, quippe mox altero anno cum Parte XVII. conquieuit eiusdem ſtudium: interim tamen nihil obſtat, quo minus hocce Volumen inter melioris notae Diaria referatur. Partem XII. ſequuntur Indices librorum memoratorum rerumque praecipuarum. Quaelibet etiam Pars exhibet Conſulum, Syndicorum, vel ſeniorum tunc temporis Senatorum Hamburgenſium imaginem, perita Fritzſchii manu aere excuſam.

Quae *Tubingae a. 1730. in 8.* originem habuerunt *Relationes von gelehrten Neuigkeiten*, eas ipſe ſibi IOH. IAC. MOSERVS, Ictus notiſſimus, vindicat in *Lexico* ſuo *der ietztlebenden Rechtsgelehrten, p. 184. edit. ſecundae.* Inueniuntur in hiſce ſchedis excerpta Diariorum litterariorum, quae in Germania, Belgio, Anglia, Gallia et Italia adornata tunc temporis fuerant, item ſcriptorum, per partes continuatorum: porro memorabilia de Vita operibusque doctorum hominum, nouiſſime mortuorum: expoſitio actorum inter ſuperſtites, librorumque vel nuper editorum, vel prelo ſubiectorum, vel promiſſorum: Noua denique de conditione praeſenti Vniuerſitatum, Academiarum, Societatum litterariarum, Gymnaſiorum, Bibliothecarum, aliisque ad rem eruditorum ſpectantibus. Haec omnia ſex Capitibus plerumque indicari ſolent, quorum, vltimum Miſcellanea litteraria ponit ob oculos. Totam autem Partem XI. implet, loco forſitan inopinato, commemoratio ſcriptorum variorum Moſerianorum. Claudit riuos Pars XII. anno 1731. diuulgata, cui Index Auctorum et rerum accedit. Quaelibet earundem ex plagulis ſex conſtat. Non eſt deneganda labori huic ſua laus; poterat Moſerus tamen partes, quas ſuſceperat, melius agere, ſi animus

mus fuisset serio, diutius in hac versari officina.

Progrediamur ad bina Diaria Gottingensia. Prius inscriptum est *Abriß von dem neuesten Zustande der Gelehrsamkeit, und einigen wichtigen Streitigkeiten in der politischen Welt.* Pars I. prodiit *Gottingae an.* 1737. Pars XVI, eademque postrema, *a. 1744. in 8.* Patet exinde, paullo tardius hasce se Partes, quae duo Volumina conficiunt, sequutas fuisse. Auctores, quos inter locum primum tenuit LVD. MART. KAHLIVS, tum clarissimus Acad. Prof. iudicant libere de varii generis Operibus, stilo tamen vtuntur quandoque nimis acuminato. Sub finem Partis Noua litteraria, et a quarta Parte scripta in controuersiis illustrium edita, quae *Deductiones* vulgo dicimus, recensentur diligenter, doctisque passim Obseruationibus ornantur. Alterum Diarium exstat Latine compositum, adhibito titulo: *Relationes de libris nouis.* Excusum est, dirigente negotium Societate Scientiarum Regia, *Vol. I. ibid. a.* 1752. *in 8.* et Fasciculos quator continet, singulis plagulas decem octoque suppeditantibus. Editionis cura demandata fuit celeberrimo Viro, IOH. DAV. MICHAELIS, Phil. Prof. ordinario, et Societatis Gottingensis Secretario, qui et Praefationem praemisit. In ea tria sibi proposuit agenda, primo scilicet vt ostendat, quo pacto Societas scribendis Relationibus coaluerit, deinde vt consilii rationes exponat, tandem vero doceat, qui sint de libris nouis sententiam dicturi. Certas Auctores condidere leges, quarum haec summa est: *enarrantor libri maioris momenti, ac qui nouae aliquid veritatis continent, ita quidem, vt si libros ipsos nancisci plurimi nequeunt, sententiis certe atque inuentis auctorum abundent, sintque illis bibliothecae instar relationes Gottingenses; minoribus libris, nisi molis exilitatem argumenti vbertate compen-*

compenſent, locus nullus eſto; libri damnati non commemorantor, niſi nouis ratiociniorum fraudibus veritati infeſti, aut tantum celebritatis ipſo errore nacti fuerint, vt de illis curatius doceri velle lectores videantur; libros cenſendos quisque ſociorum ipſe legito, neque ex aliorum commentariis excerpito, quae de illis ſcribit, eaque, quae grata et iucunda non indoctis lectoribus fore ſperat, quae noua eſſe, aut ſaltim non ſatis nota intelligit, delibato, ac ſi fieri poſſit, curato, vt ſua enarratio ipſius libri inſtar acutioribus eſſe queat, verbis tamen paucis res multas complectitor; licitum ne eſto, aliorum, qui ſocii non ſunt, enarrationibus pro ſuis vti, quodſi autem librum ad ſuam ſcientiam pertinentem enarratione dignum quis iudicet, nec ipſe, ob temporis anguſtiam cenſere poſſit, petito ab alio laboris ſocio ordinario, vt illam ſcriptionem in ſe ſuſcipiat; nec vero incommodum viſum eſt, ab his, qui auditores perpetui Societatis Regiae fuerint, cum Gottinga diſceſſerint, aptique negotio fuerint, peti, vt de libris relationes mittant, qui Gottingae haberi non poſſunt, de eorum tamen ſcriptionibus praeſes iudicato, ſeuerius ab illis ſcripta mitigato, et ſi qua alia emendanda fuerint, emendato, ſententias demendas demito, nec tamen addito, quae auctoribus diſplicere poſſe videbuntur, haecque omnia aut ipſe facito, aut alii laboris ſocio committito. Quodſi ſcriptio theologica fuerit ab aliis miſſa, ad Cancellarium, Ioh. Laur. a Mosheim, *eius cenſura pertineto.* Praeter Societatis Regiae praeſidem illuſtrem, ALBERTVM ab HALLÉR, relationibus conficiendis operam dederunt MOSHEMIVS, FRID. ESAIAS PVFENDORFIVS, CHR. LVDOV. SCHEIDIVS, et IOH. MATTH. GESNERVS, Viri ſummi, quibus acceſſit laudatus MICHAE-

MICHAELIS, et, ni fallor, DAVID. GE. STRVBIVS etiam, ſenex meritis ac dignitate conſpicuus: is certe ſua de nouis libris iudicia promiſerat ſub inſtituti exordium. Alii, qui ſuas contulerunt ſymbolas, nominis mentionem fieri publice noluerunt. Plura petantur ex Praefatione, quam ſupra adduxi. Tribus quibusuis menſibus Faſciculus prodiit, eorumque decimum ac tertium, ſeu Voluminis IV. primum, vidi *annum 1756.* praeferentem. Continuare poſtea voluerunt laborem priſtinum Auctores, vti docent *die Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen a. 1757. p. 473*; ſed ad hunc vsque diem non licuit exſequi deſtinata.

Anno 1747. Berolini conſtruebatur *Berliniſche Bibliothec, worinnen von neu herausgekommenen Schriften, und andern zur Gelahrheit gehörigen Sachen, kurze Auffätze und Nachrichten mitgetheilet werden.* Deſiit opus *a. 1750.* cum Parte quarta et viceſima. Itaque non niſi *Volumina IV. in 8.* proſtant. Exponitur in his ſtatus praecipue litterarius terrarum Boruſſicarum, adiectis ſubinde relationibus cum de libris vel nondum editis, vel rarioribus, qui ſunt in Bibliotheca Regia obuii, tum de Vita hominum eruditorum, item integris commentationibus epiſtolisque antea non excuſis, tandemque memorabilibus variis, quae gentes effecerunt exterae ad propagandos eruditionis fines. De auctoribus laboris audiamus PERARDVM V. C. in *Catalogo Bibliothecae ſuae, Sedini a.* 1756. diuulgato, *p. 351.* Ita vero ille: *Les auteurs de ce Journal, qui a été bien reçu du Public, et dont les Litterateurs ont vû l'interruption avec peine, étoient divers gens de lettres, qui vivoient alors à Berlin. Mr. le Docteur* Jean Charl. Conr. Oelrichs, *Comte Palatin, et Profeſſeur en Droit au College Roiale et Académique de Stettin, en avoit*

avoit la principale direction, il y a fourni les extraits des livres de Droit, un grand nombre d' articles historiques aussi bien que les Nouvelles litteraires. Ses Collegues étoient Mr. Philippe Jacob Ammendorff, *à present Docteur et Professeur en Theologie à Douisbourg; Mr.* Jean Charl. Guillaume Moehsen, *Docteur en Medecine à Berlin; Mr.* Charl. Louis Muzelius, *Pasteur de l' Eglise Reformée Allemande à Prentzlow; Mr.* Samuel Mursinna, *Prorecteur du College du Werder à Berlin; Mr.* Ernefte Auguste Schultze, *Recteur de l' Ecole Reformée de Francfort sur l' Oder; Mr.* Dan. Henri Hering, *Candidat du St. Ministere, et Mr.* Melch. Louis Widekind, *second Pasteur de l' Eglise Reformée Allemande du Werder et de la ville neuve à Berlin, mort le 18. Fevrier 1756. au grand regret de son Eglise, de ses Amis, et de la Republique des Lettres.* Commentationes, quas WIDEKINDVS passim inseruit, memorat STOSCHIVS in *dem neuen gelehrten Europa, Parte XI. p. 677.* Praeter hos Viros laudatos nonnulla suppeditauit etiam doctissimus IOH. HENR. TODIVS, qui tunc temporis Luneburgi commorabatur. Continuationem harum Ephemeridum PERARDVS dicit *die vermischten Abhandlungen und Urtheile über das neueste aus der Gelehrsamkeit. Pars I. Berol. a. 1756. in 8. maj.* prodiit, *VI. ibid. 1757.* cum Indice, qui Volumini I. finem imponit. *Pars VII.* seu prima Voluminis II, *a. 1759.* est diuulgata.

Succedat aliud Diarium, *Lips. a. 1748. in 8.* inchoatum. Nominatum est *die critische Bibliothec,* parentemque partus huius se profitetur IOH. ANDR. FABRICIVS in *dem Abriss einer allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit, Tomo I. p. 870.* Habuit tamen alios quosdam adiutores. In Praefatione regulas, quas praescripserat sibi, communicat cum Lectoribus. Latine repetam, quae ideo Germanice indicauit Vir doctus. Recensebo, ait, libros antiquos, eos-

demque rariores inprimis et singulares: neque vero praetermittam plane nouos: de his aeque ac de illis, adcurate prius memorato argumento, dicam ingenue, quid boni complectantur, quid contra in iis desiderandum sit: varia intermiscebo, quibus emendari queat Historia litteraria: addam quandoque commentationem de rebus ad Philosophiam, Theologiam, Linguasue pertinentibus: examinabo, ductu artis criticae, Diaria nonnulla, et eius generis libros: legetur nunc hic, nunc illic, eruditi hominis Vita: dabo, quae collegi ad illustrandam quarundam disciplinarum historiam: quosdam immerito lacessitos a maleuolorum iniuriis vindicabo, eos vero, quos peruersos, fraudisque ac Pedantismi reos deprehendi, commoda occasione in scenam producam: monstrabo etiam, quid praestari adhuc in hac vel illa disciplina queat: aniles fabulae vt euellantur ex animis, detecta earundem vanitate, adnitar: noua litteraria, quae mihi quidem innotuerunt, subiiciam: euitabo blanditias pariter et cauillationes: denique orationes apte compositae ornataeque, poemata item, chartae publicae, epistolaeque doctorum Virorum nondum editae hic locum habebunt. Hactenus Auctor; qui an omnia destinata sit exsequutus, iudicium penes Lectores esto. Cf. *die Ienaisch. gel. Zeit. a. 1749. p. 101. 106. et 531. sq.* Id interim adfirmare certo licet, multa proferri ab eo, quae non prosunt tantum egregie, sed etiam delectant. Singulis annis sex Partes promittebantur, quae Volumen constituerent Indicibus auctum. At nimis lenta fuit laboris continuatio. Volumen quartum enim *anno* demum *1759.* finitum est.

In eadem Academia *a. 1753.* lucem viderunt *Commentarii Lipsienses litterarii in 8.* nitide, parum tamen emendate, excusi. Debentur consilio FRID. PLATNERI,

NERI, Icti acPhilologi non vulgariter docti, qui collegas habuit Ioh. Fr. Christium, Paul. Bern. Vidalium, Islandum, et alios Viros celebres, mihi nondum cognitos. Triplex autem libelli dos est. Primum enim occurrunt Excerpta e libris nouis; deinde Auctorum Exercitationes, non editae antea, inter quae et conspicitur non nunquam Vita eruditi mortui nuper, et in Saxonia de litteris optime meriti; postremo Noua ex Academia Lipsiensi. Singulis annis promissae fuerant Sectiones VI. qualibet continente octo plagulas. Et hae quidem iustae formae Tomum explent, quem auctorum rerumque Index reddit vtiliorem. Haud ita pridem conspexi demum Tomi II. Sect. 3. Etenim paullo tardius adhuc, forte ob iniqui belli furorem, hoc etiam processit Opus pulchrum, relationibus de iis scriptis, etiam minoribus, destinatum, quos alii vel plane praeterierunt, vel non satis indicauerunt adcurate. Maxima librorum commemoratorum pars ad litteras spectat elegantiores. C. *Götting. gel. Zeit. anno 1753. p. 1302. sq. Ibidem a. 1756. in 8.* prodiit *die Brittische Bibliothec*. Exhibentur in his schedis vtilissimis Excerpta ex libris Anglicis, vel iis saltim, qui apud Anglos excusi fuerunt, adcuratae item translationes Commentationum praestantiorum, Vitaeque hominum doctrina insignium. Comprobatur institutum in *den Götting. gelehrten Anzeigen a. 1757. p. 1199.* Volumen I. sex conficiunt Partes. Iam quinti aliquot Partes prostant.

In Ducatu quoque Mecklenburgico coeptum est nouum Diarium, hac inscriptione ornatum: *Neueste Geschichte der Gelehrsamkeit in Schweden, Rostock und Wismar a. 1756. 8.* Vid. hic itidem *die Gött. gel. Anzeigen dicti anni, P. XX. p. 187.* Auctor, natione Germanus, iam vero Stockholmiae viuens, in Dedicatione, Operi praemissa, sub litteris

A. L. S. latere voluit. Quouis anno Partem duodecim circiter plagularum iussit exspectare, *anno*que 1759. pars edita est quarta, quam propediem sequetur, quinta, Volum. I. vltima. Labor in Sectiones binas dispertitus: altera *noua* ab a. 1750, altera *antiqua* ex Historia Sueciae litteraria, vbi quaedam aliorum debentur industriae, exponit. Vitae etiam eruditorum immiscentur. Merito placet conatus perutilis.

Nec sine multo plausu exceperunt Ephemeridum Lectores *die Bibliothec der schönen Wissenschaften und der freyen Künste.* Haecce Bibliotheca, *Lips. 1757. in 8. mai.* aperta, diues est rerum, quae ad eloquentiam, poesin, artesque pictoriam, chalcographicam, statuariam, architectonicam, musicam atque saltatoriam spectant. De libris itaque talium argumentorum, non tantum nouissimis, sed antiquioribus etiam, siue apud Germanos prodierint, siue apud Anglos, Gallos Italosque, praecipua suppeditant, adduntque, si opus esse videatur, iudicium, ac sub finem Noua scenica, et alia miscella quaedam, Auctores politissimi. Duae Partes annuum Volumen, octo circiter ac viginti plagularum, explent. Quintum *anno 1759.* est absolutum.

§. XXIV.

Iam Diaria Germanorum singularia describere animus est, ea scilicet, quae non vniuersum eruditionis campum ementiuntur, sed libros tantum certae disciplinae, et alia Noua, ad hanc ipsam referenda, indicare solent. Quod institutum, mea quidem sententiā, dici non potest, quam vtile sit eruditorum plerisque. Pauci enim legere cupiunt, quae ad se minus pertinere arbitrantur. Permultis etiam odiosum est molestum-

que,

que, sumtus non modicos in tot impendere Ephemerides, quarum auctores permiscent omnia, qualiscunque sint argumenti, et ex quibus vix vnum caput cum eorum congruat studiis. Horum igitur optime consulitur rationibus, si ab ipsis parari facile queant Diaria vel mere theologica, vel iuridica, vel medica, vel philosophica, vel philologica. Vid. omnino GOTTSCHEDII *Neuer Büchersaal*, in *Praef. Vol. I.* praefixa. Eam vero laudem iure sibi vindicant Germani, quod praesenti aetate primi libellis eiusmodi manus admouerint. Age! disponamus eosdem secundum disciplinarum ordinem, iam pridem receptum.

Theologicas inter Ephemerides familiam ducit *das Alte und Neue aus dem Schatz theologischer Wissenschafften Vitemb.* 1701. *in 8.* Edebantur aliquot plagulae per menses, in duas diuisae Sectiones, quarum altera libros antiquos, Obseruationes rariores de nummis, inscriptionibus, fragmentis atque reliquiis Patrum, epistolas Theologorum nondum editas, Acta Colloquiorum, Historiam rituum ecclesiasticorum et controuersiarum theologicarum, atque alia continet: altera libris nouissime foras datis, caet. dicata est. Debetur Opus, quod ad faciem Ecclesiae nostrae, et eruditionis theologicae, depingendam insigniter expedit, VALENT. ERNESTO LOESCHERO, beato Socero meo, tum Antistiti Iutrobocensi. Primos habuit adiutores Io. Casparum, fratrem, et Christ. Andr. Lossium, a quo tamen pauca sunt profecta. Ob dissidium cum librario Vitembergensi exortum, statim *a.* 1702. *Lipsiae* excusa fuit continuatio, nouo hoc titulo insignita: *Vnschuldige Nachrichten von alten und neuen theologischen Sachen, Büchern, Vrkunden, Controuersien, Veränderungen, Anmerckungen, Vorschlägen,* caet. Diuidebatur initio

labor ſecundum ſeriem dierum ſolis. Poſtea id mutatum, et ab a. 1704. vsque ad a. 1710. quotannis duodecim Partes, ſiue Ordines, cum Adpendice trium Partium, atque Indice; ab anno autem 1711. vsque ad a. 1719. ſex tantum Partes, qualibet octo vel decem plagulas exhibente, cum Adpendice quotannis prodierunt. Acceſſerant interim varii ſocii, nimirum Chriſtoph. Henr. Zeibichius, Hector Adrianus Ianſon, Godofr. Balth. Scharffius, Iuſt. Chriſtoph. Vthenius, Mart. Grünewald, Adam. Zahnius, Ioh. Godofr. Rochau, Mich. Henr. Reinhardus, Criſpinus Weiſſius, Ioh. Chriſt. Kochius, Ioh. Dau. Steuckardus, et Ioh. Chriſtoph. Manzelius, omnes Sacerdotes docti, partimque aliis etiam laboribus theologicis clariſſimi. Anno 1720. Loeſcherus, cauſſis grauiſſimis motus, praecipuam Diarii curam reliquit MICH. HENR. REINHARDO, qui adgreſſus eſt Opus, ita ab ſe inſcriptum: *Fortgeſetzte Sammlung von alten und neuen theologiſchen Sachen, darinnen von Büchern, Vrkunden, Controuerſien, Veränderungen, Anmerckungen, Vorſchlägen*, caet. *durch einige Diener des göttlichen Worts nützliche Nachricht ertheilet wird.* Praeter priores ſocios, quotquot tunc ſupererant, ſuas etiam ſymbolas contulerunt Ioh. Chriſtoph. Olearius, Ioh. Chriſtoph. Schüſslerus, Erdmann. Rudolph. Fiſcherus, Henr. Iac. Strubbergius, Ioh. Chriſtoph. Colerus, Ge. Chriſtoph. Zimmermannus, et Chriſt. Mündenius, qui tamen mox receſſit. Ipſe Loeſcherus ſtrenue perrexit ſuppeditare quam plurima, quorum nunquam inopia laborabat. Edidit quoque Vir, boni publici ſtudioſiſſimus, *die theologiſchen Annales des erſten und zweyten Decennii des XVIII. Saeculi, oder Begriff der Vnſchuldigen Nachrichten und Fortgeſetzten Sammlung von theologiſchen Sachen, von a. 1701. bis 1720. nebſt dazu gehörigen Supplemen-*

plementis, Verthaydigung und Verbesserung obgedachter Iahre der Vnschuldigen Nachrichten, mit einiger christlichen Personen Beyhülfe ausgefertiget. Vol. I. *a.* 1715. Vol. II. *a.* 1725. *in 8. Lipsiae* typis impressum est. In *Praefatione* prioris Voluminis initia, progressus et fata huius Operis enarrantur: in altero Obseruationes singulares de incrementis ac diminutione eruditionis theologicae per annos decem praeterlapsos occurrunt. Cf. *Leipz. gel. Zeitung. a. 1725. p. 825.* Reinhardo, primo anni 1732. die Weisenfelsae, vbi summus in aula Principis Sacerdos fuerat, apoplexia exstincto, et paullo ante animum ab hac occupatione laxante, ipse beatus Loescherus rediit ad pristinum institutum, a quo tamen quum a. 1746. penitus auerteret curas suas, consensu eiusdem sub anni 1749. initium praefectus Diario fuit IOH. ERH. KAPPIVS, Professor Eloqu. in Acad. Lipsiensi, qui mox addidit annos residuos. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1751. p. 79.* Accesserunt ab *anno 1735.* vsque ad *a. 1742. die frühaufgelesenen Früchte der theologischen Sammlung von Alten und Neuen* caet. Quotannis sex particulae prodierunt, eo consilio, vt scripta et acta Ecclesiae recentissima, nondum in *der fortgesetzten Sammlung*, cui adligari solent, memorata, hic locum suum haberent. Legas *Leipz. gel. Zeit. a. 1735. p.* 550. Anno 1751. sequens Diario longaeuo adscriptus est titulus: *Neue Beyträge von alten und neuen theologischen Sachen* caet. Cf. *Leipz. gel. Zeit. a. 1752. p. 708.* Post Kappium IOH. RVDOLPHO KIESLINGIO, Doctori theologo, demandata fuit continuatio, quae ad hunc vsque diem procedit Lipsiae. Ibidem etiam ab IOH. GE. HAGERO in lucem emissum est *Annalium theologicorum*, quorum supra mentionem feci, *Decennium*, seu *Volumen* III. a. 1737; IV. *a.* 1748; ac denique V. *a.* 1754.

quae duo posteriora auctorem habent CAROL. FRID. HESSIVM, Sacerdotem Stolpensem perindustrium. Nec tacendi sunt Indices generales huius Diarii. Volumen *primum* (ab initio eius ad annum 1710.) *ibid.* 1721; Vol. *secundum*, (ab a. 1711. vsque ad a. 1720.) 1728; Vol. *tertium*, (ab a. 1721. vsque ad a. 1730.) 1741; Vol. *quartum*, (ab a. 1731. vsque ad a. 1740.) 1750; Vol. *quintum*, cuius Auctor, IOH. CHRIST. MESSERSCHMIDIVS, in Praefatione varias Diarii mutationes eleganter exposuit, a. 1755. absolutum est, et ad annos 1741. vsque ad a. 1750. pertinet. Fuerunt pariter, qui Opus amplum ac pretiosum redigere studerent in epitomen, ne complures ab eiusdem vsu abstraherentur. Primum id est molitus IOH. CHRISTOPH. AMMON, Sacerdos Franconicus, a quo quippe manauit *Auszug der besten Schriften und auserlesensten Materien in allen Theilen der theologischen Wissenschaften, aus den 40. Bänden der Vnschuldigen Nachrichten.* Pars I. *Rothi a. 1745.* Pars II. *anno* 1746. Pars III. *a. 1748.* Pars IV. tandem *a.* 1752. prodiit *in 8.* Vid de instituto *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1745. *p. 262. sq.* Grauiter autem id ferebat, quo plane inscio res erat suscepta, librarius Lipsiensis, ideoque, instinctu eiusdem, statim sequebatur *Lipsiae a.* 1746. *in 8.* Benedicti Bornii, P. P. (id est BENIAMIN BIELERI, Past. primarii Schweinizensis in Circulo Saxoniae electorali,) *Neu eröffnete Schatzkammer aller theologischen Wissenschaften, aus den Vnschuldigen Nachrichten, Fortgesetzten Sammlungen, Frühaufgelesenen Früchten, und ihren Annalibus.* Pars I. *Praefatione* IOH. ERH. KAPPII, Pars II. *Praef.* CHR. ERN. SIMONETTI ornata est: Pars III. et IV. *ibid. a.* 1747. prelo exiit. Plausu publico non caret labor ille, de quo vberius agitur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1746. p. 318. sq.* Primam Partem ante-

antecedit quoque Hiſtoria Diarii, quae legi meretur. Idem factum eſt in *Praefatione*, *Annalium Vol.* I. praemiſſa, vt ſupra iam indicaui. Si quis ergo habere integrum velit Opus, is poſſideat, neceſſe eſt, ad annum vsque 1759. *Volumina ſeptem ac ſeptuaginta*, adnumerata Ammonis Bielerique Epitome. Caeterum varia vtique, et oppido diuerſa, eruditorum de his Relationibus theologicis iudicia ſunt. Solide diſſerit de iisdem HOFFMANNVS in *den aufrichtigen und unpartheyiſchen Gedancken über die Journale, T. I. p. 519. ſq.* cui addendus omnino REIMMANNVS in *Catal. Bibl. ſuae T. II. p.* 715. Verba eius haec ſunt: *Quia, quod facile diuinare poſſumus, non omnes eiusdem fuerunt ingenii, iudicii, acuminis, ſtudii et progreſſus in ſcientiis theologicis, ea etiam, quae in his Ephemeridibus leguntur, non eiusdem poſſunt eſſe commatis. Videas ſane quosdam ita deguſtare ſcriptorum antiquorum et recentiorum argumenta, vt canes Nilum: quosdam de iis ita iudicare, vt partium ſtudium oppido pelluceat: quosdam, melioribus ſcriptis praetermiſſis, in ſchediasmatis leuidenſibus enarrandis operam conſumere. Ex Commentariis tamen litterariis, qui* κατ᾽ ἔτος *eduntur, hic procul dubio vnus eſt ex praecipuis, qui iudicio plurimorum in ciuitate eruditorum probatus eſt, - - - ſtudioſeque lectitatur ob varia, quae in eo occurrunt, ſcripta rara, praeclara, inedita, inſcriptiones et nummos, rebus theologicis illuſtrandis perutiles: Acta theologica publica et priuata, non cuiuis nota: Origines religioſas, et phraſes biblicas, accurate inueſtigatas: Conſilia et ſpecimina Operum theologicorum edendorum, Hiſtorias controuerſiarum, Obſeruationes nouas caet. Et plane ita rationem*

tionem ducimus, iis, qui a fortuna ita deiecti sunt, vt ad comparandam bibliothecam theologicam necessaria non suppetant, hoc Opus bibliothecae loco esse posse. Cf. IO. FRANC. BVDDEI *Isagoge in vniuersam Theologiam, p. 211.* Varia in istis recensionibus theologicis desiderari posse, nemo negauerit, imo largiuntur id ipsi Collectores; plura tamen instituto condonanda esse videntur, de quo in *Praefatione 1712.* ita pronunciatur: *Wir wollen, so viel möglich, alle theologische Bücher, die uns vorkommen, recensiren, und wo etwas wegen der Evangelischen Wahrheit, der Wohlfarth unserer Kirchen, und des gegebenen Aergernisses halber zu erinnern hauptsächlich nöthig ist, es mit Bescheidenheit anführen, auch die profectus studii theologici nach Möglichkeit mit beobachten. - - Vnd ist es hoffentlich genug, wenn von dem Auctore, dem Titel, der Größe, dem Ort des Drucks, der Absicht und dem General-Plan eines Buches Nachricht ertheilet wird; hiernächst setzen wir etwan kürtzlich, wo zu Vermehrung der theologischen Erudition etwas ist dienlich befunden worden; iedoch nur also, daß wir gleichsam mit Fingern darauf zeigen*, caet. Disputatur passim contra Atheos atque Fanaticos, acriter etiam contra eos, qui suspecti sunt Auctoribus de sententiis puriori doctrinae contrariis, quod ipsum complures peperit libros eristicos. Ita e. g. IOACH. LANGIVS, Theologus Halensis, scripsit *aufrichtige Nachrichten von der Vnrichtigkeit der unschuldigen Nachrichten, zur Vnterscheidung der Orthodoxie und Pseudorthodoxie, nach der Wahrheit und Liebe ertheilet.* Partes sunt X. *in 8.* quarum prima *Lipf. a.* 1707. vltima *a.* 1714. excusa. Respondit eidem GOD. BALTH. SCHARFFIVS, opposuitque *a.* 1708. *in 8. die annoch unschul-*

unschuldigen Nachrichten in ihrer Richtigkeit. Sequebantur porro TOBIAE PFANNERI *Verantwortung seines Bedenckens von Ioh. Ge. Rosenbach, auf die Censur der unschuldigen Nachrichten, Lipsiae 1708. in 8.* IOH. PORSTII *unrichtige und sophistische Censur der so genannten unschuldigen Nachrichten, ibid. 1709. in 8;* IOH. MART. SCHAMELII *Vnrichtigkeit der unschuldigen Nachrichten, ibid. a. 1715. in 8;* HENR. MVHLII *Epistola ad Loescherum de cautionibus in censendis Theologorum scriptis quam maxime obseruandis,* quae locum habet in eius *Schediasmatibus de eo, quod iustum est et factu vitatuue necessarium circa puram doctrinam custodiendam, Kil. 1716. 4.* Taceo plures, de quibus differitur, si recte memini olim lectorum, in WALCHII *Einleit. in die Religions-Streitigkeit. der Luther. Kirche, Parte V.* Haec autem contentio iudicandique asperitas, quae tot aliis stomachum mouerat, remisit admodum in posterioribus huius Diarii annis, et nunc tota euanuit in *den neuen Beyträgen von alten und neuen theologischen Sachen,* quod Opus, vt supra dictum, successit Loescheriano, per integros quinquaginta annos, quamquam tardius quandoque, rerum sacrarum studiosis exhibito. Libri in eodem quum non nisi breuiter strictimque, pro instituti ratione, possent commemorari, aliud Diarium, pleniores continens recensiones, promittebatur in *der fortgesetzten Sammlung, anno 1721. p. 462.* Adgressus id est, ratum habente b. Loeschero conatum, IOH. CHRISTOPH. COLERVS, Vir non leuiter eruditus, atque *Lipsiae a. 1724. in 8.* edere coepit.

Auserlesene theologische Bibliothec, oder gründliche Nachrichten von den neuesten und besten theologischen Büchern und Schriften. Selectorum librorum, ac Disputationum Academicarum, disciplinas theologicas egregie illustrantium, nouissimeque excusarum, fuse

fuſe ac diligenter exponit argumenta, ſubiuncto iudicio aequo modeſtoque. Intermiſcentur nonnunquam Vitae Theologorum, epiſtolae quorundam, obſeruationes de libris ſingulares, imo et integra Opuſcula, de Gallico in Germanicum conuerſa. A Parte XL. addita fuerunt Noua theologico-litteraria, et a Parte XXXVII. alios quosdam adiutores habuit Colerus, quo Vinariae menſe Martio anni 1736. viuis erepto, colophonem labori impoſuit GVIL. ERN. BARTHOLOMAEI. Proſtant igitur *Volumina VII.* Vnumquodque Partes duodecim complectitur, et Indicibus inſtructum eſt. Acceſſerunt *Supplementorum* Partes XVI. in quibus memorantur praecipue ſcripta, anno 1730, quippe iubilaeo Lutheranorum, a piis hominibus diuulgata. Cf. *Acta Erud. Lat. 1725. p. 515. ſq.*

Deſiderabatur poſtea, per aliquot temporis ſpatium, qui Colerianis inſiſteret veſtigiis. Excitabat id FRID. GVIL. KRAFTII, quondam ſacri Ordinis apud Gedanenſes Senioris grauiſſimi, ingenium, vt *Ienae a.* 1742. *in* 8. inchoaret *Nachrichten von den neueſten theologiſchen Büchern und Schriften.* Recenſentur hic ſtilo maſculo elegantique libri theologici recentiores, quo ſimul Hiſtoria eccleſiaſtica et Philologia ſacra ſpectant, item Diſſertationes et Programmata, atque alia paruae molis ſcripta. Expoſitio argumentorum non copioſa quidem, ſufficiens tamen ad intelligendum cuiusuis auctoris inſtitutum. Iudicem rariſſime agit Kraftius, id ſolum efficiens pro viribus, vt Lectores ipſi ex dictorum nexu atque ordine, facili negotio, quale ſit pretium ſtatuendum ſingulis Scriptoribus, obſeruare queant. Sex plagulae Partem implent, quarum decem ad Volumen referuntur, triplici Indice auctum. Sed negligentior fuit librarius, Gollnerus, cum in emendandis typothetarum erratis, tum

tum quod ad ipſos typos chartamque attinet: quae aliaeque cauſſae impulerunt Auctorem, vt, abſoluto Volumine IV. adeoque Parte quadrageſima, renuntiaret ipſi praeſtitam bona fide operam. Pertexuit igitur telam, at ſucceſſu diſpari, GODOFR. BÜCHNERVS vsque ad Partem LX. quae vltima fuit.

Interea temporis Kraftius *Lipſiae a.* 1746. in officina Breitkopfiana continuauit Ephemerides ſuas, hoc titulo inſignitas: *Neue theologiſche Bibliothec, darinnen von den neueſten theologiſchen Büchern und Schriften Nachricht gegeben wird.* Pars I. menſe Auguſto prodiit *in 8.* Iam, quae neceſſaria de nouo hoc labore videbantur, attulerat is in *Praefat. Voluminis IV. der Nachr. von theolog. Büchern.* Vberius deinde conſilii rationes explicat in *Praefat.* dictae Parti I. praefixa. Retinuit easdem, quas olim ſibi conſtituerat, leges: nonnullae vero mutationes, quae hoc Diarium a priori ſecernunt, tantum abeſt vt officiant Lectoribus, vt potius proſint. Plerumque accedunt librorum recenſionibus iudicia, et ea moderata quidem, partiumque a ſtudio, quantum perſpicere licuit, remota. Strenue perrexit Viri diligentiſſimi calamus, nonnunquam ab aliis ſubleuatus modo, donec mors nuper ferias indiceret. Volumen itaque XIII, quod Pars 130. finit, eſt vltimum. *Index vniuerſalis*, isque incredibili ſtudio confectus, in *decem priora Volumina* ſucceſſit *anno* 1758: ipſum autem Diarium Kraftianum, moderatore celeberrimo quodam Theologo Lipſienſi, ſequenti nunc titulo continuatur: *Anhang zu Herrn D. Friedr. Wilh. Krafts neuen theologiſchen Bibliothec*, atque ſic adornatur, vt et nouum Opus comparare queant, qui priori carent. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. anni 1746. p. 766. ſq.* vbi inter alia de Kraftii inſtituto dicitur: *wir befürchten keinen Vorwurf eini-*

einiger Schmeichelsucht, wenn wir frey heraus bekennen, daß wir diese Schrift vor ein Meisterstück in ihrer Art zu halten kein Bedencken tragen, und die beständige Fortsetzung derselben nicht allein unseres eigenen Vergnügens, sondern auch des allgemeinen Nutzens wegen, recht sehnlich wünschen.

Anno etiam 1749. Gollnerus, bibliopola supra memoratus, *Ienae* luci exposuit *den theologischen Bücher-Saal, darinnen von dem Inhalte der neuesten theologischen Bücher und Schriften zuverläßige Nachricht gegeben wird.* Auctores, quorum princeps fuit CHRISTIAN. GVIL. BECKERVS, de iis potissimum libris agere vberius constituerunt, qui propter raritatem et pretium in aliis Ephemeridibus frustra quaeruntur. Probatur eorundem studium in *den Ienaischen gelehrten Zeitung. a.* 1749. *p.* 375. et in *den Leipz. gel. Zeit. eod. anno p.* 365. Sed non nisi Volumina II. *in* 8. accepimus, quouis *Partes duodecim* exhibente.

Libros ad excolendam Theologiam moralem scriptos, antiquos pariter ac recentiores, fuse recensendos sibi sumsit GOD. CHRISTIAN. LENTNERVS in *der neueröffneten Moralisten-Bibliothec, Lips. a.* 1715. *in* 8. Commendat laborem, et plura de hoc ipso differit HOFFMANNVS in *den aufricht. Gedancken über die Journale, Tom. I. p.* 921. *sq.* KRAVSIVS tamen obseruat in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1715. *p.* 500. Auctorem libros Anglorum authenticos non semper ad manus habuisse, sed interpretationes tantum Germanicas, ieiunas plerumque et obscuras; inde multas voces insolentes influxisse in eiusdem schedas. Anno 1717. Vratislauiam abeunte Lentnero, Pars X. clausit riuos.

Locum tandem inter Diaria theologica sibi vindicat quoque PETRI ZORNII *Bibliotheca antiquaria et exegetica, in vniuersam Scripturam sacram.* Prodiit *Frf. et Lips. a.* 1724. *et* 1725. *in* 8. Partibus XII. De

conatu

conatu hoc sic dicitur in *Actis Erud. Lat. a. 1726. p. 44: Zornius optimos quosque et rarissimos ex Hispanis, Italis, Gallis, Belgis, Germanis, Antiquarios paullo fusius recensere, suisque passim animaduersionibus illustrare constituit.* Et id quidem ea mente, vt facilior reddatur diuinorum Codicum interpretatio. Nescio autem, quae caussae obstiterint, quo minus Auctor numerum, quem statuerat sibi, millenarium absoluere potuerit. Haec de Diariis theologicis sufficiant.

§. XXV.

Sequuntur iuridica. Primus, quantum noui, tale quid tentauit GOTTLIEB SLEVOGTIVS, Ictus olim in Academia Ienensi priuatus. Is *ibid. a. 1725. in 8.* suppeditare coepit, non adiecto nomine, *Nachricht von einigen auserlesensten, grösstentheils raren, alten und neuen iuristischen Büchern*; singulisque mensibus promisit continuationem. Sed recte addidit in fine Praefationis: *homo proponit, Deus disponit.* Post Partem enim alteram ardor penitus remisit, quod aegre ferendum, quum esset Sleuogtius non impar eiusmodi negotio. Vtraque Pars plagulas duodecim complectitur: raro autem obuius est libellus. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1726. p. 616.*

Vitembergae deinde *a. 1734. in 8.* edebantur, praecipuo auctore FRID. BENED. CARPZOVIO, Viro rei litterariae admodum perito, iustoque citius bonis litteris et Iurisprudentiae subducto, *Acta Ictorum, oder neueste Nachrichten von gelehrter Iuristen Leben und Schriften, und andere nützliche Beyträge zur heutigen Rechtsgelehrsamkeit.* Memorantur libri notatu digni cum epicrisi; nec praetermittuntur dissertationes et libelli Academici tam exterorum, quam Germanorum; porro Vitae describuntur Ictorum celebrium; nonnunquam etiam casus, vt vulgo dicunt,

practicus, isque singularis et nouus, immiscetur, additis subinde Nouis litterariis iuridicis. Tanto plausu excipiebatur hocce Diarium, vt Partes tres priores mox recudendae essent. Sed praeter opinionem, ob librarii iniquitatem, Carpzouius, cum reliquis quinque sociis, edita Parte tertia abiecit calamum, quo facto alii vsque ad Partem octauam, quae vltima est, continuarunt institutum, non ea tamen dexteritate, qua primi Auctores coeperant.

Interim vulgare illud: vnius corruptio est alterius generatio, et hic locum habebat; quippe tarditas Operis et plura vitia producebant *anno 1737. Lipsiae den iuristischen BücherSaal, oder gründliche Nachricht von den besten iuristischen Büchern, der berühmtesten Rechtsgelehrten Leben, und andern zur Rechtsgelahrheit dienenden Sachen.* Architectum esse GOTTLOB AVG. IENICHEN, Ictum quondam in Academia Gissensi celeberrimum, inter omnes constat. *Duo* prostant huius Diarii *Volumina in 8.* tribus ornata Indicibus, primo locorum ex Codice sacro; altero Legum ex Corpore Iuris Iustinianei adlatarum; tertio scriptorum rerumque notatu dignissimarum. Generatim autem Partes sunt XVI. altera alteri succedente semper, exacto sex hebdomadarum interuallo. Bene meritus est hoc labore de litteraria Iurisprudentiae historia Ienichenius. Maculae nonnullae offendent profecto neminem, vbi plura nitent melioris metalli. Vix tamen partus eius lucem adspexerat, quum Carpzouius, sociis adiutus prioribus, *Vitembergae* reuerteretur ad propositum pristinum, et, in alia officina, *ibidem* excudenda curaret *Noua Acta Ictorum, oder gründliche Auszüge und unpartheyische Vrtheile über die neuesten Iuristischen Bücher und Disputationes, nebst vollständigen Lebensbeschreibungen berühmter Iuristen, und andern nützlichen Beyträgen zur heutigen Rechtsgelehrsamkeit.* Pars I. prodiit

prodiit *a. 1738. in 8.* Pars IX. vero, cui acceſſerunt Indices quatuor locupletiſſimi, iam *anno* 1739. vltimum praeclaro conatui terminum conſtituit.

Eo ipſo etiam anno IENICHENIVS continuauit Diarium ſuum iuridicum, et hac noua inſcriptione *Ienae* exhibuit: *Allerneueſte Nachrichten von iuriſtiſchen Büchern, academiſchen Abhandlungen, Deductionen und Verordnungen großer Herren: Leben der berühmteſten verſtorbenen und noch lebenden Rechtsgelehrten, nebſt andern zu der Rechtsgelehrſamkeit gehörigen Sachen.* Patet exinde ratio inſtituti, priori plane reſpondentis. Perrexit Auctor clariſſimus hac via vsque ad finem a. 1747. quo a Lipſienſibus Muſis ad Giſſenſes tranſiit.

A Parte igitur ſeptima et quadrageſima Operis curam ſuſcepit IO. ANDR. HOFFMANNVS, tunc in Ienenſi Academia priuatam Doctoris vitam agens, de cuius tamen continuatione parum eſt honorificum WEIDLICHII iudicium in *den Geſchichten der ietztlebenden Rechtsgelehrten, P. I. p. 382. ſq.* Hoffmanno a. 1754. Marburgum euocato, ſucceſſit V. C. CAROL. FRID. WALCHIVS, Ictus Ienenſis, a cuius doctrina multum ornamenti accipere poterant iſthae Ephemerides. Sed mox anno 1755. cum *Volumine X*, in quo Pars octogeſima vltima eſt, huic etiam labori faſtigium impoſuit bibliopola. Quoduis Volumen Partes continet octo, ſimulque praecipuarum rerum Auctorumque Indicem.

Eodem Iurisprudentiae cultoribus inſeruiendi ardore ſtimulati eruditi quidam Lipſienſes, quorum anteſignanus erat Vir elegantis ingenii, IOH. AVG. BACHIVS, ſub finem anni 1758. in flore aetatis viuentibus ereptus, *Lipſiae a. 1750. in 8.* exordiebantur *die unpartheyiſche Critick über iuriſtiſche Schriften inn-und auſſerhalb Deutſchland.* In Praefatione ironice depingitur perfectus Ephemeridum ſcri-

ptor, postea vero Auctores, quid praestare velint, significant. Et promisso sane fides exstitit. Scilicet sermo iis est de scriptis iuridicis theoreticis pariter et practicis, potissimum tamen de his, quae Legum illustrationi conducunt. Praeter haec memorant commentationes Academicas, eas sigillatim, quae in Belgio prodierunt, et rarius in Germania nostra conspiciuntur. Immiscent etiam quandoque aliorum Obseruationes nondum editas, et Vitas Ictorum insignium. Adduntur vbique recensionibus iudicia, passim non sine aculeis prolata. Sex Partes explent Volumen, Indice Legum explanatarum, ac rerum praecipuarum instructum. Laudem certe meretur conatus, longe tamen accidisset Lectoribus iucundior, si et iusto semper tempore, vti spes facta erat, continuari vtilissimae schedae potuissent, et BACHIO diuturniorem vitae vsuram concessisset supremum Numen. Volumen enim VI, in cuius Praefatione ille idem praecipuum sese auctorem dicit, vltimum est, eique a. 1759. aliquot plagulis adiuncti sunt Indices vniuersales in totum Opus, cum breui *de Vita scriptisque* BACHII Relatione.

Vacuum nunc locum occupare potest CAROL. FRID. GERSTLACHERVS. Vir iste doctissimus *Stuttgardiae a.* 1758. *in 8.* aperuit *die iuristische Bibliothec, worinn von den neuesten iuristischen, und andern einem Juristen dienlichen Büchern und Schriften, Nachricht gegeben wird.* Quouis Trimestri Pars est promissa decem circiter plagularum. Prima tantum innotuit mihi: plures nondum contigit videre.

De illustris Icti, DAN. NETTELBLADT, *Hällischen Beyträgen zu der iurist. Gel. Historie* infra *Sect. II.* agetur, ad quam has Ephemerides magis pertinere arbitror, quam ad praesentem.

Medi-

Medicorum commodis egregie consuluit RVDOLPH. AVGVSTIN. VOGELIVS, iam Professor Gottingensis clarissimus. Incepit is *Erfordiae a.* 1751. *in 8. die medicinische Bibliothec, darinnen von den neuesten zur Artzneygelahrheit gehörigen Büchern und Schriften ausführliche Nachricht gegeben, und zugleich nützliche Erfahrungen, nebst andern Neuigkeiten, bekannt gemacht werden.* Recensentur hic, vti ex titulo patet, non solum scripta medica nouissima, sed interseruntur quoque aliorum Obseruationes. Prodierunt Partes nouem ac decem, Voluminibus II., quae et Indicem triplicem exhibent. Auctor deinde *Gottingae a.* 1754. quum loci mutatio alium bibliopolam exigeret, perrexit deducere filum, hac noua inscriptione: *Neue medicinische Bibliothec.* Plurima ex priori retinuit instituto. Exterorum tantum Diariis vtitur nonnunquam, praecipue *Gentleman's Magazine*, *Monthly Review* et *Journal des Savans.* In quauis Parte libros ex omnibus artis medicae disciplinis memorat. Parcior autem porro est, quemadmodum antea consueuerat, in excerpendis scriptis, quae suum in Philosophia et Historia naturali locum habent. Eo ipso tempore, quo haec sunt typis imprimenda, vidi Volumen tertium, quorum singula sex Partes, cum Indicibus, complectuntur. Quartum nuper inceptum.

Vogelii conatum sequtus, paullo post eius initium, est alius apud Lipsienses. *Anno* quippe 1752. *in forma octaua maiori ibidem* lucem viderunt *Commentarii de rebus in scientia naturali et medicina gestis.* Ortum suum nobile hoc debet Diarium Medicis nonnullis Lipsiensibus, quos inter primas tenet V. C. CHR. GOTTLIEB LVDWIG; hi enim, societate inita, amplificare scientiae medicae terminos constituerant. Inde euenit, vt hosce colligerent Commentarios, et cum orbe erudito com-

municarent. Arctissimus vero quum sit inter medendi artem et res physicas nexus, facile intelligi potest, quam ob caussam ad has quoque Auctorum procedat industria. Examinantur non maioris tantum molis Opera, sed et Dissertationes, Programmata, atque Schediasmata; conquiruntur simul ex variis Collectionibus ac Diariis Obseruationes, quae ad rem faciunt; de singulis autem ita differitur, vt completa, quoad fieri possit, recentioris Medicinae historia quondam exsistat. In recensendis libris, vario modo compositis, instituti primum ratio traditur, deinde methodus, qua vsus est auctor in pertractando argumento, specimine quodam, si effici commode queat, indicatur, tum noua, prolata forsitan, aut recedens ab aliorum more, veritatis demonstratio, vlteriorque eiusdem confirmatio vbicunque occurrit, fideliter exponitur, postremo subiunguntur iudicia, ex quibus, quid praestiterit Scriptor, luculenter adpareat. Praeter haec Vniuersitatum et Academiarum, Collegiorum item medico-chirurgicorum, in quibus iuniores formantur, flos et incrementum commemoratur; quo et spectant Catalogi Professorum, aliorumque in arte potissimum medica excolenda Virorum celebrium, horti botanici, officinae chemicae, Laboratoria vulgo dicta, theatra anatomica, caet. Nec silentio praetermittitur, si qui eruditorum Medicorum publicam docendi acceperint prouinciam, Societatibus illustribus adscripti fuerint, domicilium mutauerint, de vita decesserint, vel alias experti sint rerum vicissitudines, eas maxime, quae cum Scientiarum cultura cohaerent. Inseruntur etiam, data occasione, Vitae Medicorum ac Physicorum praestantissimorum, quos mors eripuit, eoque sedulo respicitur, vt exinde Historiae medicae aliquid lucis accedat. Tertio quouis mense exa-

exacto Pars duodecim circiter plagularum promissa fuit, idque adhuc, quantum scio, adcurate obseruatur. Quarta semper Pars, Indicibus aucta, Volumen iustae magnitudinis conficit. Iam vidi Volumina VII. Plura docet *Praefatio Parti I.* praefixa, ad quam remitto omnes, quibus dicta hoc loco nondum satisfaciunt. Communi plausu dignum Opus existimant huiusmodi rerum periti; breuiter tamen naeuos eius indicauit VOGELIVS in *der medicin. Bibliothec*, *Parte X. p. 881. sq.*

Philosophis porro ne deessent singularia Diaria, docti quidam Viri operam dederunt. Primum id molitus est IOH. GE. HAGERVS, hodie Rector Scholae Chemnicensis clarissimus. Inchoauit is, non adiecto nomine suo, *Lipsiae a.* 1741. *in 8. den philosophischen Büchersaal, worinnen sowohl von alten, als neuen dahin gehörigen Büchern eine gründliche Nachricht ertheilet wird.* Post Partem vero tertiam hoc saxum voluendum reliquit GE. HENR. ZINCKIO, vti adserit WEIDLICHIVS in *der Geschichte ietzt lebend. Rechtsgelehrten*, *P. II. p. 697.* Libri, qui producuntur, et antiqui sunt, et noui. Iudicia de iisdem honestum veritatis amorem testantur. Stilus non est inelegans. Accedunt recensionibus Vitae non nunquam Philosophorum, et varia Noua, instituto consentanea. Sed labor non fuit diuturnus; *anno* quippe 1744. cum Parte octaua penitus desiit.

Maiori deinde felicitate idem negotium adgressus est Vir nobilissimus, CHRISTIAN. ERNEST. *von* WINDHEIM, tunc in Gottingensi, hodie in Erlangensi Academia Philosophiae Professor. Nota est eius *Philosophische Bibliothec, worinnen Nachrichten von den neuesten Schriften der heutigen Weltweisen und andern Vmständen derselben, wie auch kurze Vntersuchungen, mitgetheilet werden.* Pars I. *Hanouerae a.*

 1749.

1749. *in 8.* prodiit. In Praefatione Auctor exponit vberius, quid exspectare debeant Lectores. Scilicet intelligit hic Philosophiam in significatione propria, ideoque ex libris huius generis, de quibus differet, modesteque iudicabit, notare constituit quaecunque noua sint, vel qua ratione cum nouis cohaereant. Locum concedet simul Historiae philosophicae, et impugnationibus religionis Christianae, cuius caussam aget vtique, si quis, vt perficiceret quod intenderat, Philosophiam ad malitiam conuerterit. Nonnunquam commentationes philosophicas, vel a se ipso elaboratas, vel transmissas ab aliis, immiscebit, imo tales quoque, Germanice redditas, ex Operibus maioribus ac pretiosis, maxime exterorum, adiunget. Nec tacebit quae in Ordine philosophico Academiarum, praecipue apud Germanos, acciderunt memorabilia: quo consilio indicabit nomina et praelectiones docentium, Dissertationes, nouos quorundam honores, vel mortem, et alia. In Adpendice, vbi supersit spatium, varia occurrent, quae sunt ad res, in Philosophorum Ordine generatim gestas, referenda. Facile perspicient Diarii huius Lectores, nec voluntatem, nec vires, defecisse Auctorem doctissimum praestandi ea, quae in se receperat. Cuilibet Volumini adsignatae sunt Partes sex, annoque 1757. absolutum est Volumen IX. Non tamen amplius bibliopola Hanoueranus, sed Norimbergensis Opus excudendum curat.

Idem WINDHEIMIVS *Norimbergae* ab *anno 1751. in 8.* edidit: *Bemühungen der Weltweisen, oder Nachrichten und Auszüge aus ihren Schriften, sonderlich der ausländischen, vom Jahr 1700. bis 1750.* Nondum plura post Vol. VI. scio prodiisse. Quum in Bibliotheca philosophica non nisi de scriptis recentissimis agatur, hic loci commemorantur ea, quae, per quin-

quinquaginta huius ſaeculi annos, in primis ab exterorum ingeniis adornata fuerunt.

Ad philoſophica Diaria ſpectat etiam *Bibliotheca, ſiue Acta et ſcripta magica, Lemgouiae a. 1738. ſq. in 8.* ſermone Germanico diuulgata. EBERH. DAV. HAVBERVM, iam Theologum Hafnienſem, auctorem eſſe, conſtat inter omnes. Recenſuit is, ac diligenter examinauit, complures libros olim editos, quorum argumentum eſt de diaboli potentia in corpora et res humanas. Partes exſtant ſex ac triginta, tribus incluſae Voluminibus. Magno vſui eſſe poterit Hauberi labor, ſi quis plura noſſe cupiat de ſcriptis magicis.

Tranſeamus tandem ad Ephemerides Germanorum philologicas. Huc referri omnino debent *die Beyträge zur critiſchen Hiſtorie der deutſchen Sprache.* Ediderunt Opus Partium XXXII. in forma octaua, quarum quatuor ſemper Volumen conficiunt, auctorum, vocum ſingularium, rerumque praecipuarum Indicibus inſtructum, Collegae quidam Societatis Teutonicae Lipſienſis *anno 1732.* vsque ad annum 1744. in officina Breitkopfiana. Principes inter hos ipſos fuere IOH. CHR. GOTTSCHEDIVS V. C. atque IOH. GE. LOTTERVS, quorum non nihil laboribus additum eſt a Ioh. Henr. Wincklero, Wolfg. Balth. Adolpho de Steinwehr, Ioh. Ioach. Schwabio, Iac. Bruckero, Ge. Venzky, aliisque. Deſcribere ſolent Auctores, et ſatis quidem copioſe, non tantum varios libros modo antiquos, modo nouos, ad hiſtoriam linguae Germanicae pertinentes, ſed intermiſcent quoque Obſeruationes ſingulares, ex quibus non parum emolumenti redundat in rem litterariam, artem criticam, poeſin et eloquentiam Germanicam. Nonnunquam adiicitur Vita hominis, de lingua noſtra bene meriti. Iudicia, recenſionibus ſcriptorum adpoſita, plerumque

adcurata sunt et ad veritatis regulam directa. Commendandum igitur Opus iis, qui linguae patriae sunt paullo studiosiores. Cf. GOTTSCHEDII *Praef.* praefixa Parti practicae *Compendii philosophici a.* 1756. *in 8. mai.* recusi, *pagina*, si numeres, 30. *sq.*

Laudatus GOTTSCHEDIVS vlterius postea progressus est, et vt litterarum humaniorum incrementa cognosci vno quasi adspectu possent, haberentque, qui has amant, separatum Diarium, *Lipsiae a.* 1745. *mense Iulio*, in eadem officina, edere coepit, adscitis quibusdam adiutoribus, eiusmodi rerum peritis, *den neuen BücherSaal der schönen Wissenschaften und freyen Künste.* Referuntur hic loci summa capita scriptorum, quibus locupletata fuit nouissime eloquentia tam soluta, quam ligata, historia item cum antiquitatibus, grammatica, arsque musica et pictoria. Nec Germanica tantum ipsi sunt curae, sed etiam quae Latine, Anglice, Gallice atque Italice exarata prostant. Quandoque integri libelli breuesque commentationes et epistolae, in quibus doctrina et venustas adparet, decora Musis mansuetioribus, admiscentur recensionibus, et haec omnia quidem vel antea non edita, vel ex aliis linguis in Germanicam translata. Sic v. g. ex *Histoire de l' Academie des Inscript. et belles Lettres* Obseruationes complures occurrunt. In iudicando aequitas et humanitas suprema lex sunt. Sub finem quoque plurimarum Partium varia Noua occurrunt, quae multis verborum ambagibus opus non habent. Singulis mensibus Pars fuit exhibita sex plagularum, totidemque Partes modici Voluminis speciem formant. Generatim autem Partes sexaginta *Voluminibus X.* prodierunt *in 8.* Cuiuis eorundem Index librorum descriptorum adiectus fuit. Cf. *die Leipz. Gel. Zeit. anno* 1746. *p.* 703.

Sub-

Subsequutum est mox, eodem potissimum auctore, nouum Diarium, *das Neueste aus der anmuthigen Gelehrsamkeit* inscriptum. Coepit illud mense Ianuario *a. 1751. in 8.* itidem apud Breitkopfium. Institutum priori non dissimile: varia tantum carmina Germanica inseruntur, non nunquam et Gallica, atque alia, quae delectant. Nonnulla forsitan, vbi Gottschediani nominis mentio iniicitur, cauillationis suppeditare materiam possent: (vid. e. g. *anni* 1752. *Pars IX. p.* 684. et *p.* 899.) At haec facile tolerabunt aequi Lectores, qui probe norunt, quae sit natura humanorum ingeniorum. Laudandus nihilo minus est Viri celeberrimi conatus, quo pergit inseruire cultoribus Musarum elegantioribus, nouissima ex eruditione iucunda percipere gestientibus. Partes duodecim explent Volumen, Indicibus tribus instructum. Primus commentationes, carmina, et relationes de factis scitu dignis: alter scripta, de quibus dictum fuerat: tertius rerum praecipua ob oculos ponit. Singulae etiam Partes tabula aeri incisa ornatae sunt, in qua modo aedificia splendidiora, modo antiquitatis monumenta, modo numismata, modo physica quaedam vel mathematica conspiciuntur. Iam Volumen IX. anno 1759. absolutum est.

Nec Musici carent hodie Diariis. Primum tale in mentem venit LAVR. MIZLERO, quippe qui *Lipsiae a.* 1736. *in 8.* luci exposuit *die musicalische Bibliothec, oder gründliche Nachricht, nebst unpartheyischem Urtheile, von musicalischen Schriften und Büchern.* Auctor non recentiores tantum libros, sed antiquos etiam, in scenam producit, quid recti prauique complectantur, studiose notat, Obseruationes nonnunquam intermiscet, operamque dat simul, vt historia Musicae litteraria suppleatur. Adiungit tandem Noua varia, quae inter Musicos acci-

acciderunt. Partes ſex implent Volumen, cum Praefatione atque Indicibus, variis item figuris aeneis. Voluminis IV. Pars prima edita fuit *anno* 1754. Plures an poſtea ſucceſſerint, mihi quidem haud innotuit. Hoc certum, lente admodum laborem procedere.

Incitatus ergo videtur propter hanc cauſſam, vt idem *Berolini a.* 154. tentaret, FRID. GVIL. MARPVRGIVS, cuius e calamo fluxerunt *die hiſtoriſch-critiſchen Beyträge zur Aufnahme der Muſic.* Recenſet ille ſcripta et Vitas Muſicorum, paſſimque commentationes, etiam ex antiquitatibus deriuatas, et modo a ſe ipſo, modo ab aliis elaboratas, ſubiungit. Sex itidem Partes deſtinatae ſunt Volumini ſingulari *in 8.* Quartum prodiit *anno* 1759. Cf. GOTTSCHEDII *Neueſtes aus der anmuthig. Gelehrſamk. a.* 1757. *Parte IX. p.* 743. *ſq.* itemque *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1754. *p.* 547. Vtrumque inſtitutum honorificum eſt Auctoribus, iucundumque iis cum primis, qui artis muſicae ſe profitentur cultores.

Atque haec de Diariis Germanorum ſeparatis, quae iidem, non ſine praeclaro multorum commodo, primi omnium gentium inceperunt.

§. XXVI.

Iam celebriores, quae apud ANGLOS natae ſunt, par eſt memorari Ephemerides. Sed quo rarius tales occurrunt in Germania, eo facilius ſpero veniam culpae, ſi de quibusdam non ſatis adcurate dixero. Eo ipſo tempore, quo Lipſienſes Acta Eruditorum inchoauerant, ſcilicet *anni* 1682. initio, Londini etiam prodiere *Weekly Memorials for the Ingenious* caet. quae ſchedae, libros nouiſſimos et alia litteraria indicantes, ſingulis hebdomadis per *annum* 1682. *in* 4. continuatae ſunt, at, quantum obſeruaui, poſt menſem Ianuarium anni ſequen-

ſequentis deſierunt. Idem videtur fatum fuiſſe Diario Londinenſi *the Works of the Learned* inſcripto, et *a.* 1691. *in 4.* ſuſcepto a IOH. CORNANDO DE LA CROSE, Clerici olim in adornanda Bibliotheca vniuerſali ſocio. Vid. *Praefatio* eiusdem, praemiſſa *à la Suite du Tome XXI. de la Bibl. univerſelle*, vbi parum honorifice de Cornando diſſerit. Poſt menſem Februarium anni 1692. nihil amplius harum Ephemeridum Anglicarum ſe vidiſſe adſerit IOH. ALB. FABRICIVS in *Notit. Diarior. litterariorum, pagina penultima.* Poſtea ſucceſſit *ibidem a.* 1692. *in fol. the Young-Students-Library, containing Extracts and Abridgments of the moſt valuable Books, from 1665. to 1692.* Praecipui, qui ab anno 1665. vsque ad a. 1692. in Anglia diuulgati fuerant, libri ſuccincte hic recenſentur. Eodem *anno* 1692. *Londini* coepit *the compleat Library* caet. Quouis menſe progreſſus eſt labor; cum anni 1694. fine tamen conquieuit Auctor, qui ſub litteris R. W. latere voluit, adeoque nonniſi *Volumina III. in 4.* proſtant.

Longius aetate proceſſit *the Hiſtory of the Works of the Learned.* Ab anno 1699. vsque ad exitum anni 1711. per menſes ſingulos editum fuit hoc Opus *ibidem*, parentesque habuit eruditos quosdam Oxonienſes. Conſtat ex *Voluminibus* XIII. *in 4.* Quae de libris exterorum dicuntur, ea ex aliis deſumta eſſe Diariis, v. g. Actis Eruditorum Lipſienſibus, quae ſaepenumero ad verbum ſint exſcripta, memini me olim audire a b. Menckenio. Cf. *Catal. Bibl. Ioh. Burch.* MENCKENII *p. 98. edit. alter.* et BERNARDI *Nouv. de la Rep. des Lettr. m. Sept.* 1701. *p.* 259. quo loco DES MAIZEAVX in *Epiſtola* ad Bernardum *Le Cayer*, ait, *qu' on publie à Londres tous les mois ſous le titre d'* Hiſtory of the Works of the Learned, *ne mérite rien moins, que d'être mis en ligne de compte. Ce n'eſt, en effet, qu' une traduction, quel-*

que-

quefois assez fautive, des autres Journaux, et lorsqu'on y fait de nouveaux Extraits, il y regne si peu d'honnêteté et de politesse, que les habiles gens se font une peine de les lire.

SAM. PARKERO, secundo, tribuitur *Censura temporum: the good or ill Tendencies of Books, Sermons, Pamphlets* caet. quod Diarium *Londini a.* 1708. *a.* 1709. *et a.* 1710. *Vol. III. in 4.* luci fuit expositum. BERNARDVS *l. c. mense Maio* 1708. *p.* 596. sic de hoc ipso disserit *ex litteris ad eum exaratis: On publie depuis quelques mois une espêce de Journal, sous le Titre de Censura temporum. C'est une critique, en forme de Dialogue, des Livres nouveaux. L' Auteur en dit du bien et du mal, conformément à son goût. Il y a bien des gens, qui n'estiment guères cet Ouvrage.* In *Catalogo* contra *Bibliothecae Menckenianae, p.* 99. *edit. alt.* hoc legitur iudicium: *Autor Parkerus bene hoc Diario in primis de theologicis meruit, sed id ab A. 1708. ad tertium tantum mensem Anni* 1710. *continuauit.*

Ibidem a. 1710. m. Martio exordium ceperunt *Memoirs of Litterature.* Auctor, MICH. DE LA ROCHE, Ephemerides hasce semel primum, deinde bis per hebdomadam, sua impensa, edidit, at mense Septembri anni 1714. ob emtorum paucitatem relinquere institutum coactus est. Ipse hac de re conqueritur in *Praefatione*, Tom. I. *de la Bibliotheque Angloise*, praefixa. Cf. *Acta Erudit. Lat. a.* 1715. *p.* 184. Recensentur maxime libri, extra Angliam typis impressi, intermixtis Epistolis ac Dissertationibus variorum, Anglice redditis, item nonnullis, quas ipse de la Roche elaborauit, Obseruationibus miscellaneis. Volumen I. *a.* 1711. *in folio*: Vol. II. 1712. *in 4.* Vol. III. *a.* 1713. et Vol. IV. *a.* 1714. *eadem forma* excusum est. Plausu postea non caruisse Opus, exinde, opinor, colligi potest, quod

anno

anno 1722. *octo Voluminibus in 8. mai. ibidem* recusum fuit correctius, et Indicibus auctius. Cf. omnino *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1722. *p.* 25. et *a.* 1723. *p.* 58.

Addidit laudatus DE LA ROCHE (de *Bibliotheque Angloise*, et *Memoires litteraires de la Gr. Bretagne*, quae Diaria interea temporis ab a. 1717. inceperat, infra dicetur) *New Memoirs of Litterature* Voluminibus VI. *in 8. mai.* quae *Londini a.* 1725. —— 1727. prelo exierunt. Sex enim menses Volumen singulare complectitur. Auctor vero passim decerpsit ex Diariis exteris, v. g. *Journal des Savans*, *Memoires de Trevoux*, *Actis litterariis Sueciae*, quae non ingrata fore Anglorum ingenio suspicatus est. Et id quidem fecit rogatu librarii. In fine Partis varios libros nouos indicare solet, more aliorum. Postquam de la Roche abierat ab hocce negotio, ii, qui sumtus necessarios suppeditarant, REIDIO illud ipsum demandarunt. Mox igitur cum mense Ianuario *anni* 1728. sequuta est continuatio, hoc nouo titulo:

The present State of the Republick of Letters. Post mensem Augustum autem dicti anni Reidio, ad Chinenses iter suscipienti, successit COLIN. CAMPBELLVS, vti docent *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1729. *p.* 381. Auctores non tantum summa librorum nouorum et Anglicorum, et exterorum capita exponunt; sed scripta etiam minora, et rarius obuia, nonnunquam inserunt, simulque, data occasione, Vitas eruditorum Britannicorum commemorant. Iudicia solida dicuntur et a partium studio aliena. Operae fuerit pretium, legere quae scripta sunt in *Bibliotheque Angloise*, *Tom. XV. p.* 551. En! ipsa verba: *Je ne sai, qui en est, ou qui en sont les Auteurs. Mais independamment de leur nom, qui n'y fait rien, je dois dire, que le dessein est executé d'une manie-*

maniere savante, et dans laquelle il regne un jugement et sûr, et delicat. On y remarque avec raison, dans la Preface, que la Gr. Bretagne est le païs du monde le plus propre pour des etablissemens de cette Nature. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1730. *p.* 849. *sq.* Hic etiam, pariterque in *dem nöthigen Beytrag zu den gel. Zeitungen* pleraque huius Diarii copiose recensentur. Finitum est *anno* 1736. cum Volumine XVIII.

Eadem Vrbs exstruxit *a.* 1735. *the Literary Magazine, or select British Library.* Singulis mensibus prodiit Pars *in 8. mai.* Mox tamen anno sequenti Auctores Ephemerides illas inscripserunt *History of the Works of the Learned.* Dicitur in iis de libris domesticis pariter exterisque, passim etiam immiscentur Vitae doctorum hominum, Dissertationes et Obseruationes criticae. Vid. *Beytrag zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. IV. p.* 659. In *Catalogo Bibliothecae, a* FR. OTT. MENCKENIO relictae, *P. II. p.* 203. nominantur Volumina, seu Partes, quatuor et centum, quarum postremae *anno* 1743. excusae sunt: SCHWABIVS contra in *Additionibus ad Praefat. Fabricianam*, MORHOFII *Polyhistori* praefixam, hoc Diarium adhuc anno 1746. viguisse scribit. Cf. *die Götting. gel. Zeit. anno* 1743. *p.* 194. vbi docetur, vnum Diarium, ex arbitrio diuersorum Auctorum, qui successere sibi inuicem in adornando eodem, variis notatum fuisse nominibus. Primum scilicet nuncupatum esse *Memoirs of Litterature;* deinde *New Memoirs of Litterature;* mox *the present State of the Republick of Letters;* tum *Literary Magazine;* postremo *the History of the Works of the Learned.*

Huc porro spectat *Historia litteraria: or an exact and early Account of the most valuable Books publisshed in the Several Parts of Europe.* Partes sunt tres ac viginti, *Londini* ab *anno* 1730. vsque ad *a.* 1734. *in 8.*

in 8. diuulgatae, quas continent Volumina IV. Exponuntur in his quoque ſchedis tam Anglorum, quam aliarum gentium, labores litterarii, variosque earum Auctores plauſum reportaſſe publicum, adfirmatur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1730. *p. 895.*

Harum omnium Ephemeridum tituli pleniores exſtant in *Catal. Bibl. Bunau. Tomi I. Vol. I. p.* 492. *ſq.* Addo ego *the monthly Review.* Lucem primam adſpexit Opus laude dignum *Londini a.* 1749. iamque cum fine a. 1757. Volumen decimum ſeptimumque *in 8. mai.* abſolutum eſt. Quouis enim menſe Partem plagularum ſex exhibuerunt Auctores, quae, exacto ſemeſtri, Volumen conficiunt, adpendice auctum et Indicibus. Relationes variae ſunt. Octo, duodecim, pluresque interdum libri, tales praecipue, qui in ipſa Anglia excuſi fuere, ſatis copioſe recenſentur, cum iudiciis, pro libertate gentis ſaepe aſperioribus. Res theologicae facile produnt homines Arii dogmata ſequentes: medicae, cumprimis quae ad Anatomiam et Botanicen pertinent, leuiter tractantur: hiſtoricae contra ſine praeconceptis opinionibus ſolent diligenter exponi. Debeo haec *den Götting. gel. Anzeigen, anni* 1758. *P.* 36. *p.* 344. *et P.* 53. *p.* 511. Quae vero dicuntur priori loco, quod hocce nimirum Diarium antiquiſſimum ſit eorum, quae ſigillatim Noua litteraria Britannica indicent, ea mihi quidem non admodum perſpicua videntur. Certiores reddi facile poſſunt de rei veritate, quibus ipſae hae ſchedae Anglicae ſunt ad manus. De aliis Diariis, libros Britonum deſcribentibus, vid. *infra ſſ. XXXI.—XXXIII.*

§. XXVII.

Apud BELGAS, et *Amſtaelodami* quidem primum coepit *le Mercure Savant, a.* 1684. *in 12.* Auctor credeba-

tur a multis Petr. Baelius, qui tamen in hoc Mercurio siue edendo, siue dirigendo, partem se habere vllam negauit. De vero opifice alia docet PETR. DES MAIZEAVX *in Vita Baelii*, praefixa eiusdem *Dictionaire hist. et critique Amsterd. a. 1730. p. 30.* vbi haec memorantur: *C'étoit une entreprise du Sieur* DE BLEGNY, *Chirurgien de Paris, homme fertile en projets. - - Il n'osant plus faire imprimer de Journal en France*, (Ephemerides enim medicas antea diuulgauerat, ob orationem immitem et efferatam, interdictione publica interruptas) *jetta les yeux sur la Hollande, et s'associa avec Mr. Gautier, Medecin de Niort, qui demeuroit à Amsterdam. Il lui envoyoit des Memoires. Du reste, ce nouveau Journal ne contenoit point d' extraits de livres, mais plusieurs petites pieces, qui rouloient presque toutes sur la Medecine. On y trouvoit aussi des chansons avec la Musique, des Poësies et des nouvelles politiques. La médisance y regnoit encore plus, que dans le Journal de Medecine. Un ouvrage si mal conçu et si mal executé, piqua Mr. Bayle, et lui fit reprendre la pensée, qu' il avoit euë, de donner un Journal. Mr. Jurieu l' y exhorta fortement. Il étoit bien aise, d' avoir une plume assurée qui fit le panegyrique des livres qu' il publieroit. Mr. Bayle se rendit à ses sollicitations, et commençá de travailler à son Journal le 21. de Mars 1684. Le 4. d'Avril il convint avec le Sieur Desbordes pour l' impression, et se determina à le donner tous les mois, sous le titre* de Nouvelles de la Republique des Lettres; *à commencer par le mois de Mars. Il ne parut du* Mercure savant *que le mois du Janvier et Fevrier; sur quoi quelques personnes s' imaginerent, que Mr. Bayle en étoit l' Auteur, ce qui l' obligea de désavouer formellement cet Ouvrage.*

Videmus

Videmus exinde, PETRO BAELIO, quum desiisset statim post Sectionem alteram Mercurius, ansam fuisse datam, vt apud eundem bibliopolam cum mense Martio *anni 1684.* suas inciperet Ephemerides, *Nouvelles de la Republique des Lettres* inscriptas; ideoque cum iisdem saepius binae istae Mercurii Sectiones fuerunt diuenditae. Audiamus nunc porro, quae in adducta *Baelii Vita l. c.* dicuntur ad historiam adornati abs eodem Diarii spectantia: *Les Nouvelles du mois de Mars ne parurent que le 2. du mois de Mai, et celles du mois d'Avril le 2. de Juin: mais il travailla avec tant de diligence, que celles de Juillet furent publiées au commencement d'Août, et ainsi des autres, les Nouvelles de chaque mois paroissant les premiers jours du mois suivant. Dans la Préface il rendit compte du plan, qu'il s'étoit fait, et qui ne differoit pas beaucoup de celui des autres Journalistes. Il divisa chaque Journal en deux Parties: la premiere contenoit des Extraits détaillez, et la seconde un Catalogue, de livres nouveaux, accompagné de quelques remarques. Cela lui donnoit lieu de parler d'un plus grand nombre de livres, et de faire connoitre plusieurs Ouvrages, dont il ne croioit pas devoir donner l'Extrait. Il ornoit ses Extraits de mille traits curieux et interessants sur l'Histoire des Auteurs, sur leur Ouvrages, sur leur disputes; et de plusieurs reflexions fines et délicates. Il ne travailloit pas uniquement pour les Savans: il avoit aussi en vue de plaire et de se rendre utile aux gens du monde. En un mot, tout étoit vif et animé dans ses Extraits; il avoit l'art d'égaier toutes ses matieres, et de renfermer en peu de mots l'idée d'un livre, sans fatiguer le Lecteur par un mauvais choix, ou par de froides et*

ennuieuſes reflexions. Il étoit ſage et retenu dans ſes jugemens, ne voulant ni choquer les Auteurs, ni ſe commettre en proſtituant les louanges. On trouva d' abord, qu'il louoit trop, et cela l' obligea à être plus économe de ſes louanges. Il recevoit avec plaiſir les avis, qu'on lui donnoit, et en ſavoit profiter. Cet Ouvrage fut reçu avec applaudiſſement univerſel. Mr. Bayle s'étoit flaté, qu'il ne ſeroit pas défendu en France, cependant il le fut; mais cette défenſe n'empêcha pas qu'il n' y en paſſât tous les mois un grand nombre d' exemplaires. Tout le monde s'empreſſoit à le lire. Varia longior hicce locus continet ſcitu iucunda. Baelius quidem initio nomen ſuum reticuit, at in menſe Martio anni 1685. haec verba librarius adiecit: *par le Sieur B. Profeſſeur en Philoſophie et en Hiſtoire à Rotterdam.* Continuauit haec Excerpta Reipublicae litterariae (ita enim ipſe Latine adpellat Diarium ſuum in *Epiſtola ad Theodor. Ianſon. ab Almeloueen* a. 1686. exarata) vſque ad medium menſem Februarium a. 1687. quo tempore mancas quodammodo exhibere cogebatur Ephemerides has; quippe altero minus recte vtebatur oculo, cui malo febris acceſſerat. Mox interim Particulam, menſi Martio deſtinatam, eſſe prodituram ſpondebat. Sed vi morbi magis in dies oppreſſus omni hoc labore ſe relaxare debebat. Iamque in *Praefatione menſis Martii* de continuatione Ephemeridum haec leguntur verba: *d' habiles gens les ont faites pour lui, et continueront autant de tems, que cela ſera neceſſaire.* Fuit inter hos, praeter IAC. BERNARDVM, de quo vid. *Memoires de Trevoux a. 1712. p. 221.* in primis DAN. DE LA ROQVE, cui ſoli Martius, Aprilis et Maius tribuuntur. Cf. *Clef du Cabinet des Princes m. Iulio anni 1708. p. 9.* quo loco Auctor ſcribit:

Mr.

Mr. de la Roque est fort connu et estimé en Hollande, où il travailla autre fois à la continuation des Nouvelles de la Republique des lettres pendant une maladie de quelques mois, qui obligea la ſavante et feconde plume de Mr. Bayle, de diſcontinuer cet ouvrage penible. Tres menſes, qui ſequuntur, diuerſos nacti ſunt auctores: a menſe vero Septembri *anni 1687.* vsque ad m. Aprilem *anni 1689.* IOH. BARINVS, Sacerdos Gallicus, patria terra extorris, ſolus laboris huius curam habuit. Vid. DES MAIZEAVX *l. c. p. 43.* Atque ſic anni quinque, ſex Tomis comprehenſi, lucem viderunt. Nam Tom. I. quinque menſes a Martio ad Iulium; Tom. II. reliquos quinque anni 1684. menſes continet: ſequentes vero integros annos, qui tamen in duo commode Volumina redigi poſſunt. Vltimum Volumen, quod hac diuiſione facta, vndecimum eſt, quatuor illos menſes exhibet, qui *anno 1689.* prodierunt. Sub finem Tomi rerum Index conſpicitur; primus tamen et alter vnicum accepere. Nunc omnia haec, quae a Baelio ipſo profecta ſunt, recuſa exſtant in eiusdem *Oeuvres diverſes, Hagae Com. a. 1725. ſq. in fol.* editis, et quidem integro *Tomo* I. Praecipue, inter eius reliquos, hunc ingenii partum amauit Auctor. Et ſane dici non poteſt, quanto ingenio, iudicioque et ſtili ſuauitate ſuas Ephemerides confecerit. Fuſe ſatis recenſet libros diuerſae diſciplinae ac linguae, ſi Germanice Belgiceque ſcriptos exceperis, quos quippe nuſpiam in choro deprehendi. Praemiſſa ſaepius eſt breuis Praefatio, qua generatim de libro, eiusue auctore, diſſeritur. Paſſim adiectae ſunt etiam figurae aere excuſae. Theologicas controuerſias rarius tangit, neque enim, ait, de religione hic loci, ſed de ſcientia et eruditione, agendum eſſe. A ſatyris abſtinuit, et multo magis ab

iſtis libellis, qui honorem aliorum et famam laedunt, quod ipſum, inter alia, ſibi diſplicuiſſe in *Mercure ſavant* profitetur. Loco autem talium immiſcuit quandoque relationes, diſſertationes, epiſtolas, explicationes rerum dubiarum, elogia item vitasque Virorum eruditorum. In *Tomo* I. vitia erroresque variorum libere cenſet ac notat, et id quidem facit non ſine ſale, quod vero in Tomis ſequentibus parcius obſeruatur. Cauſſam indicat in *Praefatione Tomi* II, ſcilicet hoc ſal non omnibus fuiſſe iucundum. Addit etiam, nec laudaturum ſe facile quemquam in poſterum, vt eo minus partium abreptus ſtudio videatur. Sicubi errauit ipſe, vltro, vel ab aliis admonitus, emendat parum adcurate dicta. Interim nec in hoc negotio litterario aduerſariorum euitare odium potuit. Ad plurimorum tamen reſpondet inſimulationes, et vel excuſat ſua, vel fortius tuetur. Cf. DES MAIZEAVX *l. c. p. 37. ſq.* et, qui fuſe de hocce Diario egit, IVNCKERVS *de Ephemerid. eruditor. p. 170. ſq.* Add. BASNAGII *Hiſtoire des Ouvrag. des Savans, a. 1706. menſ. Decembr. p. 547.* vbi haec de continuatione laboris Baeliani: *Il commença en 1684. et finit en 1687. Depuis ce tems-la ce n'eſt plus Mr. Bayle.*

Librarius, cuius aere Opus illud menſtruum excuſum fuerat, quum eiusdem finem ferret moleſtius, praeterlapſo integro prope decennio ad peragenda, quae orſus erat Baelius, inuitauit IACOBVM BERNARDVM, Sacerdotem Leidenſem, ac Philoſophiae et Mathematum Profeſſorem, qui et nomen ſuum haud occultauit. In poſterioribus autem Ephemeridibus, a. 1710. inſtauratis, litterae tantum obuiae in titulo: *par* I. B. P. E. P. E. P. E. E. M. A. L. i. e. *Jaques Bernard, Paſteur et Profeſſeur en Philoſ. et en Mathemat. à Leiden.* Deſcendit is ad conditionem oblatam, et a menſe Ianuario *a. 1699.*

vsque

vsque ad *anni 1710.* exitum, priori seruato titulo hanc pertexere telam studuit. Baeliana etiam vestigia vbique persequi conatus est, at non felici satis successu; quippe desideratur passim Baelius, siue stilum, siue excerpendi rationem spectauerimus. Nec ipse id diffitetur Bernardus in *Praefatione*, Volumini I. praefixa. Ita enim ille: *Je n'ai pas assez de présomtion, pour pretendre pouvoir suivre l' inimitable Auteur de ces Nouvelles, que dans un grand éloignement.* Adcuratae sunt quidem recensiones librorum, non vero tam iucundae per interspersas Obseruationes, vt Baelius facere consueuerat. Quae tamen adiecta fuere Noua litteraria ex Anglia potissimum, Gallia et Belgio, ea suam habent laudem, et multa continent notatu dignissima. De Germanis rarius aliquid adfert, quod commercii litterarii inopiam prodere videtur. Semestri quouis absoluto Index rerum adiectus est, adeoque sex menses Volumen singulare triginta plagularum conficiunt. Interiectos etiam annos, quibus conquieuit Diarium, adhuc esse se suppleturum, aliquo modo promiserat Bernardus, cui autem consilio optatus haud euentus contigit. Post annum 1710. iterum interruptum est Opus cum *Volumine XXIV.* Librarius enim, quae ipsi supererant, exemplaria vendiderat alii, quocum res ad pactionem de laboris pretio venire haud poterat. Vid. *Nouv. de la Rep. des Lettr. a. 1718. p. 296.* Tandem vero Bernardus *anno 1716.* binis semper mensibus coniunctis denuo suscepit continuationem vsque ad mensem Aprilem *a. 1718*; quo exeunte viuorum ereptus est numero. Ne igitur deesset aliquid Semestri huic, menses duos reliquos, Maium ac Iunium, cum paucis, quae addenda erant adhuc Parti priori, nondum absolutae, elaborauit IOH. CLERICVS, de quo mox plura. *Leipz. gel. Zeitung*

 a. 1718.

a. 1718. p. 445. cum quo loco conf. quae *ibidem p. 366.* memorantur, item bibliopolae monitum, Parti huic vltimae praemiſſum. Nouae ſic continuationis ſunt Volumina III. in quibus plura de libris iudicia, quam olim, Bernardus ſubiunxit. Integrum autem Diarium conſtat ex *Voluminibus octo et triginta;* vel, ſi annos 1716. et 17. prioribus aliquot plagulis ampliores diuidere quis malit, ex Voluminibus quadraginta. Index in totum Opus generalis, quem vir quidam doctus meditatus eſt aliquando, lucem nunquam vidit. Cf. *Praef.* ad *annum 1716. in fine.*

Iam in ſcenam prodeat *Hiſtoire des Ouvrages des Savans par Mr. B.* Auctor eſt HENR. BASNAGIVS de BAVUAL, Iurium Doctor, non, vt falſo credidit THOMASIVS in *den Monaths-Geſpräcben a. 1688. P. I. p. 861.* frater eius, Iac. Basnagius, Theologus) quem ipſe Baelius induxerat, vt edere pergeret *les Nouvelles de la Republique des Lettres.* Cauſſam vero, cur mutauerit Operis inſcriptionem, in *Praefatione Vol. I.* his eleganter explicat verbis: *Puisque je ſuis entré dans ce détail, l'on voudra ſavoir ſans doute, pourquoi je n'ai pas continué ſous le même titre de Mr. Bayle. Il eſt vrai, que cela eût été plus naturel; mais mes engagemens particuliers pour Rotterdam, l'abondance des meilleurs livres, qui ſe trouvent chez Mr. Leers, et quelques autres raiſons, dont il n'eſt pas neceſſaire de s'expliquer, m'ont fait préferer le changement. Après tout j'ai crû, qu'il étoit bon de traiter le public comme ces perſonnes affligées par la perte d'une perſonne cherie, qu'il ne faut jamais ramener dans les lieux, qui peuvent rappeller le ſouvenir, et reveiller les idées de l'objet, qui cauſe leur triſteſſe. On auroit toûjours cherché dans les Nouvelles de la Republi-*

Republique des Lettres l'illustre Auteur, qui leur a donné la naissance: et le même titre mal soutenu n'auroit servi, qu' à redoubler les regrets, d'avoir perdu un homme inimitable. Itaque eo ipso tempore, quo viri quidam docti, rogatu Desbordes, bibliopolae Amstaelodamensis, ad continuandas Ephemerides Baelianas accesserant, Basnagius quoque, incitante Baelio, suas est exorsus. Factum id *Roterodami* mense Septembri *anni 1687.* Primum singulis mensibus producta est Pars singularis, quarum quatuor Volumen complectitur. At a mense Octobri 1689. tres iunctim menses editi, ita quidem, vt per integrum annum quatuor Partes vnicum Volumen expleant. Proditurum interim denuo esse Opus more pristino, simul ac restitutum fuerit, bello finito, commercium litterarium, spem facit bibliopola *m. Iulio dicti anni.* Neque tamen id postea est praestitum. Plagularum etiam numerus non semper par conspicitur. Initio enim quouis mense plagulas sex: deinde, propter bellum, quod inopiam librorum attulerat, plagulas quatuor: tandem a. 1689, trimestri spatio exacto, Partem sex tantum plagularum diuulgauit Auctor. Imo anno 1697. menses Septembrem et reliquos vsque ad Martium a. 1698. in vnicam coangustauit, sex itidem plagularum, Partem, quoniam aliis tum implicatus erat molestis negotiis et operosis. In Volumine pariter XIX. mensis Iulius et reliqui anni 1703. simul editi, habetque hoc Volumen minus plagularum, quod et a Vol. III. vsque ad Vol. V. perspexi. Annus 1707. plane vacuus est relictus, adeoque desideratur. Vid. *Neuer Bücher-Saal der gelehrten Welt, Vol. I. p. 785.* Omnis labor, qui generatim *Volumina XXIV. in 12.* repraesentat, initio tabulis aeneis ornata, finitus est mense Iunio *anni 1709.* Circa id quippe tempus hydrope vrgebatur Basnagius, hoc morbi

 genere

genere consumtus mox anno sequenti. Quod ad virtutes huius Diarii attinet, more Baelii Auctor doctissimus librorum nouorum atque cuiusuis generis argumenta scite enarrauit, et varia interspersit, quae de Scriptorum Vita et libris aliis, memoratu digna est arbitratus. Quandoque Obseruationibus etiam ad se missis, Elogiisque doctorum Virorum, locum concessit. In iudicando mediam capessere viam studuit, ita quidem, vt nec laudaret effuse, nec reprehenderet asperius. Res theologicas, vbi de iis dicendum erat, neutram ad partem inclinans recensuit plerumque; stilo autem adeo vsus est eleganti et iucundo, vt facile attentum tenere lectorem posset. Fuerunt saltim, qui dolerent, eum sua cogitata a verbis auctorum non satis adcurate distinxisse: at, ipse hanc ob rem, purgauit sese in *Praefatione*, *mensi Octobri a. 1688.* praefixa. Similiter DE LA ROCHE contendit in *New Memoirs m. Ianuar. 1727. art. IX.* Basnagii Noua Anglica plena esse errorum. Menses in articulos certos diuisi, in quibus singulis liber describitur: vltimum articulum vero implent Noua plerumque litteraria, ex variorum Epistolis, ad Auctorem exaratis, delecta. Sub finem Partis occurrit Index rerum breuis, et post Volumen quoduis vberior, secundum ordinem litterarum. Quot elogiis commendatus fuerit iam pridem vtilissimus ille labor, in quem omnes ingenii neruos intenderat Basnagius, non opus est, vt multis comprobetur testimoniis. Instar omnium sit BAELIVS, qui sic loquitur in *Dictionario suo* v. *Henri Basnage*, nota subiuncta: *il s'est aquis et il s'aquiert tous les jours par toute l'Europe une réputation immortelle, en publiant l'Histoire des Ouvrages des Savans. Les démêlez, qu'il eut avec Mr. Jurieu, le détournérent souvent de cet Ouvrage, et produisirent de part et d'autre divers écrits*

écrits fort vifs et fort picquans. Ex BERNARDI *Praefatione*, quae *annum 1699. des Nouv. de la Republ. des Lettres* antecedit, addo haec: *l' Auteur écrit d' une maniere polie et fine, et qui ayant l'art de changer en or et en pierreries tout ce, qui passe ses mains, remplit parfaitement l'attention du Public.* Praestantia etiam Operis exinde elucet, quod non paucae Partes bis, ter, quaterue excusae fuerunt. De pluribus, quos nactus est Auctor, aduersariis agit IVNCKERVS *de Ephem. erudit. p. 209. §. 10. seq.* Conf. STOLLII *Nachricht von den Büchern seiner Bibliothec Vol. II. p. 569. sq.*

§. XXVIII.

Baelianum Diarium, tanto exceptum plausu, librariorum Batauorum excitasse inuidiam, et produxisse aliud, *Bibliotheque universelle et historique* inscriptum, obseruat CAMVSAT *Hist. des Journaux T. II. p. 116. in nota.* De hoc igitur agam paullo fusius.

Principes auctores fuisse certum est IOH. CLERICVM, Philos. et Hist. eccles. inter Remonstrantes Amstaelodamenses Professorem, et IOH. CORNANDVM DE LA CROSE, ex Gallia exsulem, non confundendum cum Matur. Veyssierio de la Croze, qui Berolini olim stabilem fortunae sedem inuenerat. Coeptum est Opus cum *anni 1686.* initio *Amstaelodami.* Vniuersalis vocatum Bibliotheca, quoniam libros, quotquot camparari potuerunt, quacunque lingua recens editos complectitur: historica vero, quod eorundem argumentum, sine vlla censura aut elogio, more historicis familiari, a partium qui sunt studio alieni, recensere volebant. Promiserant Auctores mensibus singulis sex aut septem Excerptorum plagulas, ita quidem, vt quatuor menses Tomus vnus reciperet, factumque id

id primo anno, qui Tomis tribus abſoluitur. Reliqui tamen anni quatuor exhibent Tomos, tribus menſibus iunctim ſemper editis, adfixoque cuilibet Tomo Indice, praeter Tomos XVI. et XVII. XVIII. et XIX. itemque XX. et XXI. qui vnicum ſaltim habent. Tomis XX. et XXI. Adpendix adiecta, tres quoque menſes continens: Tomus autem XXII. cum reliquis in duas eſt Partes diuiſus. Quidnam cuilibet Auctori tribuendum in hac ſit Bibliotheca, optime aperit *Eloge hiſtorique de feu Mr. Jean le Clerc, à Amſterd. 1736. in 12. mai.* ex quo libello huc pertinent, quae in *Actis Erud. Lat. a. 1737. p. 521. ſq.* repetuntur his verbis: *Bibliothecam vniuerſalem et hiſtoricam Clericus initio conſcripſit ſocio Iob. Corn. de la Croſe, id quod latuit diu eruditos, donec Cornandus nomen vtriusque ſub calcem Tomi IV. apponeret. Poſtea vnusquisque illorum dimidiam partem cuiusque Tomi*, (a ſexto vsque ad octauum,) *confecit, donec tandem in Tomo IX. Clericus diſtingueret lucubrationes ſuas a laboribus ſocii.* (Libere nimirum profitetur, a *p. 1.* vsque ad *p.* 291. quae exſtant, ſua eſſe.) *Tomus X. ſolum Clericum, et XI. ſolum Cornandum, auctorem agnoſcunt. Tandem plane ab opere ceſſauit Cornandus, ita, vt, ſi Tomum XIII. excipias, in quo praeter Articulos 8. et 15. nihil elaborauit Clericus, reliqui Tomi a XII. vsque ad XIX, imo maxima ex parte* (rectius dictum fuiſſet: *aliqua ex parte) etiam XX, a Clerico ſolo fuerint elaborati. Quicquid in viceſimo reliquum eſt, et ceteri Tomi vsque ad XXV, labores ſunt Bernardi illius, qui Republica ſua litteraria* (Nouvelles de la Republique des Lettres) *eruditis innotuit.* Ipſe BERNARDVS in *Nouv. de la Rep. des Lettr.* et quidem *Praefatione, anno* 1716. praefixa, diſertis hoc verbis teſtatur. Addo huic

IOH.

IOH. LOCKIVM, Anglum, quem ſub negotii litterarii exordium ſuppeditaſſe Excerpta quaedam, adſerit NIGERON. in *Vitis erudit. P. I. p. 323. edit. Germ.* Cf. *l' Europe Savante, T. I. in Praef. p. 8.* Cauſſam vero, cur Clericus deſeruerit inſtitutum, quod factum eſt a. 1691. indicauit olim peregrinatori cuidam, ſcilicet ſe melius traducere poſſe tempus edendis Operibus aliis; et ſane tunc induſtriam eius exercebat maxime Pentateuchus, praeter Paraphraſin perpetuam, Commentario philologico, variisque Diſſertationibus criticis illuſtrandus. Morte deinceps bibliopolae deſiit hocce Diarium cum menſe Decembri *anni* 1693. Complectitur illud *Volumina XXVI. in* 12. paſſim ornata tabulis, caelo exſcriptis. Poſtremum Indices exhibet auctorum ac rerum generales, demumque *anno* 1718. *apud Wetſtenios* prodiit. Tomi XV. et ſequentes vsque ad XX. contracti ſunt, propter belli tunc furentis calamitates, in pauciores plagulas. Recuſum dicitur Opus *ibidem a.* 1688. *ſq.* iterumque, reuiſum et emendatum, *a.* 1700. quod vero de prioribus tantum Voluminibus credendum eſt forſitan. Viderint haec adcuratius, qui conferre inter ſe poſſunt exemplaria. Etiam Anglice verti coepiſſe laborem Clerici, obſeruat IOH. ALB. FABRICIVS in *Notit. Diariorum litter.* v. *Bibl. univerſelle.* Libros cuiusuis generis ac linguae hic recenſeri ſupra iam dictum: potiorem tamen locum tenent theologici, philoſophici, et qui ad Hiſtoriam referuntur eccleſiaſticam. Plerumque praemittitur breue exordium, antequam libri deſcribantur, quorum paginae in *Tomo IV.* primum ſunt numeratae, exemplo antea incognito: hiſtoria item controuerſiarum, quae hac vel illa natae ſunt occaſione, pleno ſaepius calamo exponitur. Non nunquam inſertae ſunt integrae Auctorum Commentationes litterariae et

criticae

criticae cum primis, antea nondum typis impressae. Tales e. g. sunt CLERICI *Vitae Patrum quorundam et haereticorum*, quae inde collectae, et in Germanicum translatae sermonem, *Halae Magdeb. a.* 1721. *in* 8. editae fuerunt cum *Praefat.* CHRIST. THOMASII. Censura nemini graues esse voluerant Auctores: nihilo tamen minus videmus illos partem aliquam haud raro amplecti, et multa notare in Lutheranis potissimum, qua de re plura exempla adduxit IVNCKERVS *de Ephem. erud. p.* 231. *sq.* Quod est profecto contra fidem, in *Praefat. Tomi I.* datam. Indifferentismi, vt vulgo dicunt, quamquam moderatioris, varia hic specimina occurrunt, lubenterque Clericus in ea inhaerescit materia, vbi perstringere potest feruorem in defendenda religione. Alia etiam de Scriptoribus quibusdam iudicia excitarunt aduersarium non vnum, quos inter nouimus Sam. Pufendorfium, Ioh. Harduinum, et Rich. Simonem, de quibus v. IVNCKER. *l. c. p.* 237. *sq.* Is plura memorat adhuc de hoc Diario, tandemque THOMASIVM in *den Monaths-Gespr. a.* 1688. *P. I. p.* 228. *sq.* totam fere Tomi I. Praefationem redegisse in compendium, subiungit. Audiamus, quae Vir ille summus disserit *l. c. p.* 233: *Man siehet gar deutlich, daß diese Bibliotheque aus aemulation des Französischen Journals*, (Journal des Savans) *derer Leipziger Actorum, und der Rotterdamischen Nouvellen gemacht sey worden. Aber, wenn ich meine wenige Gedancken davon sagen söllte, wollte ich lieber diese Bibliotheque entbehren, als eines von denen andern dreyen. Denn zu geschweigen, daß man unterschiedenes von dem, was sie an denen andern getadelt, auf sie appliciren könte, so weiß ich nicht, ob sie allemahl ohne Affecten referiret haben. - - Dieses ist wohl gewiß, daß, so viel die Weitläuftigkeit betrift,*

trift, diese Bibliotheque von denen dreyen andern Journalen mercklich unterschieden ist. Wenn man aber alles genau untersuchen wollte, wäre noch viel zu sagen, ob diese Weitläuftigkeit, oder der andern ihre Kürtze, nützlicher sey? Von der Annehmlichkeit will ich nicht reden. Et est sane communis propemodum eruditorum sententia, minori, quam priores a Thomasio laudatae, Ephemerides has exceptas plausu fuisse, ideoque mirum videtur, si bis recusae sint, vt supra indicaui, aliorum fide subnixus.

Interim non paucos Bibliothecae vniuersalis continuationem exoptasse, cognouerat Clericus. Itaque *Amstael. anno* 1703. in alia officina libraria diuulgauit *Bibliotheque choisie, pour servir de suite à la Bibliotheque universelle.* Nomen suum adposuit Auctor Operi, quod, vti iam titulus docet, prioris Diarii vestigiis, at noua quodammodo ratione, insistit. Quippe non solum in recensendis libris recentissimis occupatus est Clericus, sed etiam talium dare analysin studet, quos existimauit esse meliores, adeoque passim antiquiores intermiscet. Audiamus ipsum in *Praefat. Tomi I.* vbi haec inter alia: *Je n'ai d'autre dessein, que de parler confusément de Livres anciens et modernes, à mesure, qu'ils me tomberont entre les mains, ou que je les lirai, comme j'ai accoûtumé de faire; sans observer en cela, aucun ordre, et sans avoir égard au tems, au quel ils ont paru. J'en ferai des extraits exacts, et je dirai ce, que j'en pense, lorsque je le trouverai à propos* caet. Quandoque iungit Dissertationem criticam, ab se maximam partem conscriptam, vel Vitam et elogium hominis, doctrina commendati. Sic v. gr. agit *de Operibus Latinis Petri Bembi;* de *Vita Erasmi Roterodami, ex eius Epistolis eruta;* de *Boethio, itemque Sulpicio Seuero, eorundemque scriptis.* Complures, quorum summa

exponi

exponitur, libri memorati fuerunt a STOLLIO in *den Nachrichten von seiner Bibliothec Vol. II. P.* 15. *p.* 561. *sq.* vbi et sub finem recensionis huius fatetur, Clericum composite, perspicue, iucunde, et plerumque sine partium studio, scripsisse. Similiter REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae T. II. p.* 757. honorifice iudicat de labore Clerici. *Bibliotheca haec selecta*, inquit, *a plerisque, qui rei litterariae intelligentes sunt, in honore est habita. Selecta enim sunt scripta, quorum mentionem facit Auctor. Et eorum argumenta non copiose tantum recenset, et lectori degustanda exhibet, sed et libere simul pronuntiat, quid sibi de iisdem videatur. Vir non vulgari iudicandi facultate praeditus. Variarum linguarum et scientiarum cognitione imbutus, percommode et perelleganter loquens, et in re litteraria ita excellens, vt ad Bibliothecam selectam scribendam vix aptior inueniri potuerit.* At audiamus e contrario Collectores *Diarii Treuoltiensis* (Memoires de Trevoux) *m. Iunio 1704. p. 346.* Verba sunt sequentia: *Cette Bibliotheque choisie est du même goût, que la Bibliotheque universelle. Le stile de l'Auteur est plus coulant, que pur, son erudition plus etendüe, qu'exacte, sa critique souvent judicieuse, toûjours hardie. On remarque un grand penchant à favoriser l'incredulité, un grand soin de justifier tous les Heretiques, et fort peu d'égards pour les grands hommes, que l'antiquité chrétienne a le plus respecté.* Media hic videtur via tutissima. Non enim indignus Auctor est laude, nec tamen difficulter probare liceret, nouitatis amore ita captum esse eundem, vt paradoxa saepius et errores varios, dummodo noui sint, atque inauditi antea, constantissime defendat. Finitum est hocce Diarium *anno* 1713. *Tomos*que *XXVIII. in* 12. implet,

implet, quorum vltimus, *anno 1718.* a Wetſteniis additus, nil niſi Indices vniuerſales, (plerisque enim Tomis iam ſingulares acceſſerant,) complectitur, eadem ratione, vt in Bibliotheca vniuerſali. Tomus XX, itemque caeteri ſequentes, in duas diuiſi ſunt Partes, ita quidem, vt, qui primum ſemeſtris, poſt a Tomo VI. ex deſiderio multorum quadrimeſtris, erat labor, nunc tribus ſemper menſibus prodiret. In IOH. LIRON. *Singularités hiſtoriques et litteraires, à Paris 1734. ſq. Tomi III.* initio, exſtare dicuntur *Remarques ſur quelques endroits de la Bibliotheque Choiſie de Mr. le Clerc.* Vid. hac de re *Catalog. Bibl. Bunau. T. I. Vol. 1. p. 485.* Add. *Le Gazettier menteur, ou Mr. le Clerc convaincu de menſonge et de calomnie, par* PIERRE BVRMANN, *à Utrecht 1710. in 12.* plagulis vndecim. Legi de acerbo hoc, plenoque ruris, libello, in quo varia ad Clerici Ephemerides pertinent, meretur *die Neue Hälliſche Bibliothec, T. I. p. 523. ſq.*

Mortuo typographo, qui Bibliothecam Selectam excudendam curauerat, Auctor, vtrum pergeret, nec ne, in dubio verſabatur. Victus tandem amicorum quorundam precibus ad continuationem laborum ſuorum animum adpulit: nouo tamen eosdem inſigniuit nomine, atque ſic *ibidem anno 1714. apud Dav. Mortier* in lucem conſpectumque prodiit *Bibliotheque ancienne et moderne, pour ſervir de ſuite aux Bibliotheques univerſelle et choiſie.* Accepimus huius Diarii *Tomos XXVIII. in 12.* quorum poſtremus Operi clauſulam impoſuit *anno* 1727. Qui *a.* 1730. acceſſit Tomus XXIX. is Indices generales exhibet. Vnusquisque Tomus, more iam antea recepto, ex binis Partibus conſtat, et Indice ſingulari auctus eſt. Coepit etiam Opus verti Anglice, hoc titulo: *the antient and modern library,* vti FABRICIVS teſtatur in *Praefat.* MORHOFIO praefixa.

Auctor, si dissertationes nondum editas, Vitasque hominum doctorum, quae quippe hic plerumque desiderantur, exceperis, eadem ratione, quae placuerat in *Bibliotheca selecta*, institutum est persequutus, ideoque nihil attinet, huic rei diutius immorari. Hoc saltim ex MENCKENII *Charlatan. eruditor. p. 160. edit. Amstael.* seu *Lipsiensis* potius, *a.* 1727. adornatae subiungere lubet, quod ipse Menckenius in nota quadam commemorat. En! eius verba: *Alii id curant tantum*, (sermo est de Diariorum Scritoribus) *vt suos ipsi libellos*, *eosque*, *qui ex officina typographi sui prodeunt*, *extollant*, *caeteros omnes*, *praestantissimos licet*, *carpunt et sugillant*, *quo id consequuntur*, *vt Autores*, *velint nolint*, *sua scripta offerant gratis Censoribus illis*, *vt vel leui saltim censura afficiantur*, *vel indicta certe maneant*. *Ita sunt*, *qui* I. Clericum *accusant*, *quod nullo alio fine tot annis scripserit suas Ephemerides*, *quam vt scriptis suis digne recensendis ac vindicandis*, *aliorum vero*, *quibus male vellet*, *carpendis*, *locum faceret*. At hoc certe vitio plures hac nostra aetate infecti sunt, et adhuc laborant. Nec difficulter probari posset, multos hodie, qui res ab eruditis nouissime gestas in Commentarios referunt, eam vnice ob caussam libros, in omnibus bibliopolarum tabernis obuios, ac dignos vtique memoratu, ne verbo quidem indicare, quoniam eorundem auctores vnum vel duo exemplaria, supplicibus adiectis litteris, non obtulerunt tantis iudicibus, qui maiestatem adfectantes dictatoriam famam cuiuslibet Scriptoris atque salutem positam esse sua in vrna credunt. Quemadmodum autem paucorum res patitur familiaris, vt, qua macerantur tales homines, auri sacram famem expleant: ita etiam alienum arbitror esse a nobilioris indolis viro, laudes pretio redimere ac precibus,

viaque

viaque tam inhonesta grassari ad nominis celebritatem.

§. XXIX.

Memoratis, ordine paullisper interrupto, quae de Clerici Diariis dicenda erant, in mentem venit *de Boekzaal van Europe, ontsloten met de Maanden Julius en Augustus, anno 1692. in 8.* Ortum suum habuit hocce Opus *Roterodami* in officina *Petri van der Slaart.* Auctor latere voluit initio eius, at mox in *Praef.* anni sequentis adparet, PETRVM RABVM, Scholae Roterodamensis Erasmianae Rectorem, Virum non leuiter litteris eruditum, hunc laborem, et quidem sine aliorum auxilio, suscepisse. Edidit a mense Iulio anni 1692. quouis bimestri Partem aliquam, ita, vt Iulius et Augustus scenam aperiant. Progressus est hoc modo vsque ad m. Iunium anni 1700. quo Volumen XVI. absolutum fuerat. Quum enim ipsi cum bibliopola, ob pretium non solutum, lis esset, alium elegit mox Roterodami, nimirum *Barent Bos*, mutatoque Diarii titulo a mense Ianuario a. 1701. vsque ad m. Iunium a. 1702. illud *tweemaandelyke Vyttrekfels* inscripsit, quae Ephemerides Vol. III. implent. *) Circa hoc autem tempus Rabo vitam amittente, institutum a mense Iulio anni 1702. vsque ad m. Decembr. a. 1704. continuauit GVIL. SEWEL. Sunt huius continuationis Volumina V. Anno 1705. Operis cura translata est *Amstaelodamum* ad *Franc. Halmam*, bibliopolam, atque tunc vocatum *de Boekzaal der geleerde*

*) Nihilo tamen minus bibliopolam *van der Slaart* per alium hominem doctum prosequi coepta voluisse, et a Julio anni 1700. vsque ad Decembrem anni 1701. omnino adhuc edidisse Volumina III. *de Boeckzaal van Europe* insignita, cognoui ex *Catalogo Biblioth.* IOH. HENR. BVRCKHARDI, *Parte I. p. 161.*

leerde Werreld. Integer hic annus itidem debetur Sewelio, sequenti vero 1706. et quidem a Ianuario vsque ad m. Octobrem 1708. ipsi successit. IOH. van GAVEREN, adeoque noui hi labores non nisi Volumina VIII. complectuntur. Generatim igitur omnia sunt *quinque ac triginta* numero, si Volumina tria, quae infra in subiecta nota occurrunt, addideris. Quilibet annus in Volumina II. diuisus est, septuaginta circiter plagularum. Singulis Voluminibus accessit Index. At praestantior est vniuersalis ille, in omnes Partes, quem ISAAC le LONG anno 1716. luci exposuit. Cf. BENTHEMII *Holländisch. Kirch. und Schul. Staat*, *P. II. cap. 4. p. 438. sq.*

Postquam van Gaveren sub finem anni 1708. Amstaelodamum, ob aduersa fata, relinquere cogebatur, Diarii huius progressus aliquamdiu interruptus est. Quippe cum mense Iulio demum anni 1710. *ibidem* in officina Wetsteniana illud ipsum redordiebatur IOH. RUYTERVS, Medicinae et Philos. D. ac Theologiae Candidatus. Hunc, si vera percepi, a. 1713. a negotio recedentem, alii deinde, mihi tamen ignoti prorsus, sequuti sunt. Solum noui adiutorem, BERNH. KEPPELIVM, Sacerdotem olim Batauum, quem pertinacia anno 1746. munere sacro priuauit. Vide STOSCHII *Neues gelebrtes Europa*, *Parte X. p.* 428. Exactis binis mensibus itidem, vt antea, Pars prodiit, nouo titulo insignita *Het Republyk der Geleerden*, *of kort Begryp van Europa's Letternieuws* caet. Initio mediocri Opus plausu excipiebatur: deinde vero magis placere coepit eruditis, ideoque ad aetatem adultam peruenit. Sub finem enim anni 1757. adhuc viguit, iamque illud anno 1748. *Volumina octo* et *septuaginta* comprehendit. Permulti hic, inter alios, libri recensentur Belgice scripti. Immiscentur etiam Epistolae et Obseruationes variae, nondum editae.

Finiunt

Finiunt Partes quasuis Noua litteraria ex omni Europa. Recensiones librorum, haud vtique magni momenti, nimis nonnullis copiosae videntur. Rabi tamen dictio et argumentorum praestantia, prae caeteris, peritiorum adsensum meruit.

Anno 1697. *Vltraiecti* lucem vidit *Bibliotheca librorum nouorum*, *collecta a* LVDOLPHO NEOCORO *in 8.* Hic Pseudonymus est LVDOLPH. KVSTERVS, satis inter Viros doctos cognitus, qui verum nomen Graecis vocibus occultare voluit. Coepit illa Bibliotheca mense Aprili a. dicti, ipseque Auctor in *Praefatione* instituti rationem his verbis explicat: *Edetur in posterum alternis semper mensibus Bibliothecae nostrae pars, nouem plus minus plagulis constans, in eaque recensebuntur non solum libri, qui hic in Belgio edentur, sed etiam, qui aliis ex locis huc importabuntur.* Solus nouem huius anni menses confecit Küsterus. Idem cum HENR. SIKIO elaborauit integrum annum 1698. et sex priores menses anni 1699. Sikio autem vnice debentur sex posteriores menses eiusdem anni. Küsterus enim tunc temporis in Angliam secesserat. Postea desiit labor, Sikio peregrinationem cum Huntingtono, Comite Anglo, suscipiente. De vtriusque Auctoris fatis singularibus vid. NICERONII *Vitae erudit. P. II. p.* 110. *sq. edit. German.* itemque *die Neue Hällische Biblioth. Tomo III. Parte 23. p. 249.* vbi GVNDLINGIVS nonnulla de Sikio indicauit, quae et nunc recusa exstant in eiusdem *kleinen deutschen Schriften Hal. Magdeb.* 1737. *in 8. p. 508. sq.* Libri varii generis in hocce Diario, quorum non pauci nostris in oris haud frequentes sunt, satis adcurate, stiloque luculento, recensentur, intermixtis passim Obseruationibus eruditis; nummi etiam explicantur quandoque; in fine autem cuiuslibet Partis catalogus librorum nouorum adiicitur. Iudicia parcius feruntur, nisi

in cauſſa Reformatorum contra Pontificios, inde aduerſarii etiam ſurrexerunt. REIMMANNVS *in Catal. Bibl. ſuae, Tomo II. p.* 713. merito laudat Küſteri conatum. *A Ioh. Ge. Graeuio*, inquit, *ad has Ephemerides ſcribendas ſuſcitatus, ſingulis διμηνοις, vel τριμηνοις, volumen edidit, et in eo librorum ſelectiſſimorum argumenta, eo ordine, iudicio, ſtudio, et dicendi genere enarrauit, vt optimis huius generis ſcriptoribus annumerari mereatur.* Totum opus, cum tabulis aeneis nitide excuſum, at rarius obuium hodie, in Tomos V. diuiſum eſt, quouis duplici Auctorum pariter et materiarum Indice inſtructo. Tomi primi Pars prior quatuor, altera quinque menſes exhibet. Secundus Tomus, ac reliqui tres, ſemper ſex menſes repraeſentant. STOLLIVS in *der Nachricht von den Büchern ſeiner Bibliothec Parte V. p.* 481. *ſq.* plurimos nominat libros, de quibus ibidem agitur. Continuare coepta haec Küſteriana voluerunt Amſtaelodamenſes quidam, publicata eo fine *a.* 1700. ſchedula cuius en! titulum: *Inuitatio Collegii Amſtaelodamenſis ad eruditos quoſuis tam in Belgio, quam in aliis totius Europae partibus degentes, cuiuscunque ſint Facultatis et linguae, vt auxiliares ferant manus ad promouendam Hiſtoriam rei litterariae, ex toto orbe erudito colligendam, atque ſingulis tribus menſibus Amſtaelodami typis euulgandam.* In eadem Inuitatione, quae legitur integra in LEHMANNI *hiſtoriſchen Remarques anni* 1700. *p.* 246. ſe, ſingulis tantum tribus menſibus elapſis, in quarto librum eſſe promittunt edituros, vt facilius deinde quiuis annus vna compactura, initio facto a nouo ſaeculo, poſſit comprehendi. In fine autem ſemper ſe adiecturos eſſe dicunt catalogum eorum, quae in Ephemeridibus Anglicis, Germanicis, Gallicis, Italicis et Belgicis fuerint memorata. Omnes itaque inuitant eruditos ad ſymbolas conferendas. At neſcio

ſcio quae difficultates iſti obſtiterint conſilio: nihil enim huius rei lucem vidit.

§. XXX.

Non ſine cauſſa reponi etiam in Diariorum coetu ac numero poteſt *Hiſtoire critique de la Republique des Lettres, tant ancienne que moderne.* Plerumque PHILIPP. MASSONVS architectus dicitur. Sed CAMVSATVS in *Hiſtoire critique des Journaux, T. II. p. 162. nota 7.* SAMVELI MASSONO, Eccleſiae Anglicanae apud Dordracenos Paſtori, praecipuam huius laboris curam tribuit. Socios tamen habuit fratrem, IOHANNEM, et conſanguineum, PHILIPPVM. De omnibus altum eſt in *Lexico Eruditorum Ioecheriano ſilentium.* Cf. interim WOLTERECKII *ausführlicher Bericht von neuen Büchern, Parte III. p. 277.* Quouis trimeſtri ſpatio Tomus *in* 12. promittebatur, duosque priores Guil. a Poolſum *Vltrai. ann.* 1712. et 1713. typis curauit imprimendos. Poſtea is ipſe negauit ſumtus plures, quoniam liber tot emtores, quot forte ſperauerat, non alliceret. Itaque alius bibliopola, Iac. Desbordes nomine, lucri certior, *Amſtaelodami* continuationem adgresſus eſt ſtatim *anno* 1713. quo Tomum tertium quartumque edidit. Reliqui autem tardius ſequuti ſunt. Quintus nempe ac ſextus itemque ſeptimus a. 1714. octauus ac nonus 1715. decimus vndecimusque nec non duodecimus 1716. tertius ac decimus, quartusque ſupra decimum 1717. decimus quintus, qui vltimus eſt, 1718. Referuntur haec, quae de mutatione bibliopolae dicta ſunt, in *Praefatione Tomi I. de l'Europe ſavante, p. 9.* At alia diſcimus in *Praefat. Tomi III.* ipſius *Operis Maſſoniani.* Ibi enim perſuadere ſtudet Auctor Lectoribus, ſe, vt conatus melius ſuccederet, Vltraiecto Amſtaelodamum ſe recepiſſe, moxque in celeberrimo hoc

emporio inueniſſe librarium, qui porro exhibere velit laborem hunc, chartae nitidae typis elegantibus impreſſum. Librorum recenſiones minimum horum XV. Tomorum, qui nonnunquam tredecim, nonnunquam ſedecim plus minus plagulas continent, ſpatium occupant. Potior pars conſiſtit in collectione Obſeruationum criticarum et Epiſtolarum, vel Gallice, vel Latine, ſcriptarum, quibus varia ſacri Codicis, Auctorum veterum, Patrumque Eccleſiae, loca illuſtrantur et emendantur. Saepenumero hic diſputari contra Viros clariſſimos, et praecipue Ioh. Clericum, ſolet, ita quidem, vt videri propemodum poſſit, eum vnice ad edendum hocce Diarium occaſionem dediſſe. Nec deſiderantur Diſſertationes breues ex antiquitatibus, chronologia, et re numiſmatica. Debentur haec omnia Iac. et Theod. Haſaeo, Alphonſo des Vignoles, de Roſel Baumon, Conſiliario Berolinenſi, Ioh. Henr. Maio, Gabr. Dumont, ipſis Diarii Editoribus, aliisque, inter quos eſſe vnus alterue anonymus voluit. Paſſim notas horum Scriptorum lucubrationibus ſubiecit Maſſonus. Accedunt librorum, nuperrime excuſorum, Catalogi, eorumque argumentum paucis exponitur: item Noua litteraria ex nobiliſſimis Europae vrbibus et Academiis, quae tamen aliquoties vel ex aliis Ephemeridibus exſcripta ſunt, vel gratiam ſaltim nouitatis non habent. Interdum Vita etiam hominis, vel doctrina, vel dignitate, conſpicui, occurrit. Tomi ſex priores Indicibus, quamquam leuiter confectis, inſtructi, reliqui autem talibus plane deſtituti ſunt, quod ipſum non ſine cauſſa aegre ferent Lectores. Caeterum labor ille Maſſonianus diuerſas, vt fieri ſolet, ſententias excitauit. Sunt, qui eruditionem, et ingenii acumen, ibidem elucens, laudibus ad coelum extollunt; ſunt contra complures, qui acerba nimis

nimis et illiberalia de conatibus aliorum iudicia, fastum criticum, orationemque ieiunam et horridam damnant vtique ac detestantur. Inter hos reperi CAMVSATVM *l. c. p.* 159. cuius verba digna sunt, quae adscribam, *Le plan*, ait, *que le Ministre de Dordrecht se proposoit, ne pouvoit manquer d'être utile et agréable au public, s'il y eut emploié plus de politesse. Il falloit aussi l'accompagner de moins de hauteur, d'une érudition moins fastueuse, et moins pedantesque, et s'y tenir à portée de tous les Lecteurs. On le trouve par tout berissé d'Hebreu, de Grec et de Latin.* (Cf. hoc loco *Le Chef d'Oeuvre d'un Inconnu*, auctore pseudonymo, CHRYSOST. MATANASIO, in *Dedicatione* ad MASSONVM exarata.) *son François est presque toujours un jargon insuportable, et quelque fois un galimatias qu'il est difficile de penetrer. L'on peut dire enfin, que l'auteur déploye son érudition avec une rudesse digne des Gots, depuis le premier Volume de son Ouvrage jusqu' au dernier, qui est le quinsiéme, et que c'est également par tout un Chef d'Oeuvre de mauvais gout.* Pergit idem, post alia nonnulla, *p.* 164. hoc modo: *L'Historien Critique prend des airs de hauteur avec tout le monde; il gronde et maltraite les morts les plus respectables. Il querelle les vivans, il fait de ses Nouvelles Litteraires un champ d'invectives, une espece de retranchement, d'où il adresse ses coups à ceux, qui ont le malheur de lui deplaire. Il a toujours des extraits de Lettres à sa devotion, pour entretenir sa mauvaise humeur. J'ai oui dire en Hollande, qu'avant de se determiner à faire imprimer son Histoire Critique à Utrecht, il s'étoit adressé à Fritsch et Böhm, Libraires de Rotterdam, et que pour leur faire valoir le mérite de son Ouvrage, il leur avoit promis,* d'y écraser les le Clerc, et autres demi savans, dont

le mérite consistoit à faire la barbe au bon sens et à la pure et saine érudition. *Il n'en fallut pas davantage pour se faire refuser. Apres la mort de Desbordes il s'adressa à tous les Libraires du Païs, sans pouvoir en trouver un seul, qui daignât accepter ses ofres.* Videmus exinde caussam etiam, cur desierit MASSONI Diarium cum Tomo XV. si vera sunt, quae CAMVSATVS memorauit. Et esse omnino pleraque, haud difficulter, vt credam, adducor. Interim negari tamen nequit, multum hoc Opus vtilitatis adferre iis, qui alba et atra discernere didicerunt. Critici cum primis varia hic obseruabunt, quae digna sint eorum ingenio. Cf. *die deutschen Acta Erudit. Tomo II. Parte 20. p.* 716. et 829. *sq.*

Interiecto anno, post coeptum MASSONI laborem, scilicet 1713. sequebatur *Journal litteraire.* Duo semper menses coniunctim prodierunt, vsque ad Tomum VI. qui anno 1715. lucem vidit, captumque scribendi exordium a Maio et Iunio *Hagae Comitum in 8.* Opus est in Tomos diuisum, quorum singuli Partes binas continent, et harum quaelibet plagulas quindecim, vel decem et sex, comprehendit. Absoluto Tomo Index rerum praecipuarum accedit. Librarius in monito, *Tomo I.* praemisso, eam se ob caussam noui huius Diarii curam suscepisse ait, quod et BASNAGII *Histoire des Ouvrages des Savans,* BAELIIque et BERNARDI *Nouvelles de la Republique des Lettres* tunc temporis desierint, solaque in Belgio adhuc procedat CLERICI *Bibliotheca selecta*, mox tamen eodem anno, quod supra dictum, clausa. Vt meliori successu edi posset *le Journal litteraire*, singularis eruditorum hominum Societas coiit. Fuerunt illi Iustus van Effen, Alexandre, Guil. Iac. s'Gravesande, qui, Professoris Mathematum dignitate Lugd. Bat. illustris, anno 1742. e vita excessit

excessit, Alb. Henr. de Sallengre, Prosper Marchand, et Paul. Themisseul de St. Hyacinthe. Maximum tamen prae caeteris in has Ephemerides impendebat studium VAN EFFEN, quia commodum exinde solus percipiebat, sociique, satis bonorum possidentes, vnice contenti honore erant. Vid. *die Leipzig. gel. Zeitung. a.* 1737. *p.* 690. Is ipse, dissoluta mense Dec. a. 1715. Societate, solus etiam aliquamdiu continuauit Opus, donec Iohnsoni, librarii, negligentia, quippe qui tarde nimis illud edere solebat, impelleretur, vt plane ab hac tela recederet. Primum enim, non seruato amplius mensium ordine, quouis semestri; tum a Tomo X. quotannis Pars diuulgabatur; postremo ab anno 1723. longior mora est interposita. Videtur interim post Effenium Grauesandius locum vacuum, per breue tempus, occupasse. *Leipz. gel. Zeitung, 1729. p. 557.* Anno 1729. Johnsonus ius excudendi vendendique Diarii cesserat Gossio et Neaulmio, manco relicto Tomo XI. et XII. cuius vtriusque Pars saltim prima a. 1722. et 1723. fuerat ab eodem exhibita. Noua igitur Societas continuationem adgressa est. Elias de Joncourt, Sacerdos Euangelicus in oppido, quod Silua Ducis adpellatur, theologica; Grauesandius mathematica et philosophica; Sacrelaire medica; Marchandus litteraria excerpserunt. Addit PERARDVS in *Catalogo Biblioth. suae, a. 1756. Sedini* emisso, *p. 338.* de Superville, Gabr. Cramerum et Calendrinum, vtrumque Professorem olim Philosophiae apud Geneuenses. Cf. *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1731. p.* 196. His omnibus debentur Tomus XIII. et sex, qui hunc sequuntur, vsque ad Tom. XX. Suppleerunt etiam noui librarii Tomi XI. et XII. Partem alteram, quod vero negotium aliorum eruditorum industria expediuit. *Leipz. gel. Zeitung. a. 1729. p.* 557. *p.* 925. et *p.* 945. Posterioris Tomi Pars secunda

cunda continet annos 1723. vsque ad 1728. ne lacuna maneret. Multum ſane gratiae hoc ſibi Diarium in Republica litteraria conciliauit; ſingulae nimirum recenſiones, a quopiam ſcriptae, in conuentu totius Societatis recitatae fuerunt, et quam adcuratiſſime poſtea examinatae, antequam typis imprimendae traderentur. Laudant culpantue Auctores pro eo ac merentur libri, de quibus diſſerunt, neque tamen modeſtiae fines transgrediuntur, etiam vbi iocoſe illudunt. In rebus theologicis tantum, ne partium teneri ſtudio videantur, ſententiam dicere non audent, niſi aliquando incidant in hoſtes religionis Chriſtianae, quibus nullo modo parcunt. Paſſim pariter immiſcent, data commode occaſione, Obſeruationes eruditas, quae vel Scriptoris cuiusdam argumenta illuſtrant, vel corrigunt minus recte propoſita. Praeter librorum ex quacunque diſciplina recenſiones, ampliſſimas ſaepe, varias addiderunt Epiſtolas ac Diſſertationes antea non editas, item eruditorum hominum Vitas. Tandem occurrunt Noua litteraria quamplurima. Anno 1732. menſe Iunio ius vendendi Operis exemplaria transiit ad Ioh. van Duren, quocum vero aliquid commercii habere nolebat Societas paullo ante laudata; ideoque a Tomo XX. vsque ad Tom. XXIV. qui poſtremus eſt, annoque 1737. prodiit, Auctores alii ſucceſſerunt. Priores e contrario Socii eruditi, nondum pertaeſi, quam tanto plauſu in componendo Diario poſuerant, operae, mox *Lugd Bat. menſe Iulio a. 1732.* incepere *Journal hiſtorique de la Republique des Lettres.* Eadem, vt antea, ratione dederunt, interiecto ſemper bimeſtri ſpatio Partem ſingularem, quarum tres Tomum exhibent, Indice inſtructum. At ſpe citius *anno 1733.* menſe Decembri deſiit inſtitutum nobile, adeoque non niſi *Tomos III. in 8.* accepimus.

mus. Cf. hic omnino *die Leipzig. gelehrte Zeitung. a. 1733. p.* 113. *sq.* et PERARDVS *l. c.*

§. XXXI.

Initio *anni 1715. Hagae Com.* lucem adſpexerunt *Nouvelles litteraires, contenant ce qui ſe paſſe de plus conſiderable dans la Republique des Lettres.* Congeſta quidem haec Noua fuiſſe a ſe ipſo librarius, Henr. du Sauzet, profitetur; at alii confirmant, poſt hanc tabulam latuiſſe IOH. FR. BERNHARDVM, bibliopolam Amſtaelodamenſem, et plurima ab ſe conſcripta Sauzetio transmiſiſſe. Vid. *Leipz. gelehrte Zeitung. a. 1715.* in *Praefatione, pagina,* ſi numeres, 3. Primum ſingulis hebdomadis plagula vna eſt edita, quae deinceps, anno exacto, in Tomos ſunt duos redactae. A Tomo autem decimo quem cum ſequentibus parare voluit Iuſt. van Effen, niſi mox in Sueciam abiiſſet, quouis trimeſtri plagulae octo ac decem ſimul prodierunt, Tomique in duas Partes diuiſi. Sic Tomi X. Pars I. menſes Iulium, Aug. et Septembrem anni 1719 continet: Pars II. menſ. Octobr. Nov. ac Decembrem. Cf. *Praefatio* dicto Tomo X. praefixa. Poſtremus eſt Tomus XI. qui menſes ſex priores anni 1720. complectitur, atque hac ratione ad annos ſingulos Tomi ſunt bini referendi in *forma octuplicata.* Praeter Noua litteraria recenſentur breuiter, et a Tomo X. fuſius, libri varii, fata Vitaeque eruditorum, et inuenta recentiſſima. Inſertae ſunt paſſim Epiſtolae aliorum, et aliquoties Obſeruationes criticae. De verſione Germanica Francofurtenſi, naeuis item harum Ephemeridum, v. g. in Geographia, vid. dicta *Praefat. Krauſiana,* praemiſſa *anno 1715. der Leipz. gelehrten Zeitung.*

Eodem anno, et apud eundem bibliopolam Hagienſem, edi coeperunt *Memoires de Litterature*

ture in 8. Auctor fuit ALB. HENR. DE SALLENGRE, de quo iam supra dictum. Non tamen nouos producere libros statuit, sed antiquos potius, atque rariores, eos etiam, qui iam pridem notati carbone sunt. Itaque disserit de POSTELLI *Orbis terrae concordia;* eiusdem *natiuitate mediatoris;* HENR. STEPHANI *Traité préparatif à l'Apologie pour Herodote;* DIOPHANTI ALEXANDRINI *Arithmeticorum libris sex;* MARCI HIERON. VIDAE *Operibus;* diuersorum Scriptorum tractatibus *de memorabilibus et claris mulieribus;* POSTELLI *les très merveilleuses Victoires des femmes du monde; Pasquillorum Tomis II.* caet. Neque in solis librorum recensionibus occupatus est Auctor. Addit quoque integros libellos, inuentu difficillimos, Epistolas, vel anecdotas, vel argumenta litteraria continentes, Vitas eruditorum, atque Obseruationes bonae frugis plenissimas. Ipse hoc de instituto in *Praefatione* sic loquitur: *Je ferai plus, j'y insererai toutes sortes de Pièces, qui regarderont en quelque manière les Arts et les sciences; en particulier celles, qui rouleront sur des sujets d' Histoire, de Litterature, et sur les Editions de Livres, soit que ces Pièces soient de ma façon, soit qu'elles m' ayent été envoyés, pourvû-qu'elles me paroissent dignes de la curiosité du Public.* Laudem certe meretur conatus, quamquam CAMVSATVS *T. II. de l'Hist. des Journaux, p. 141. sq.* nonnulla vituperat. Cf. HOFFMANNI *aufrichtige Gedancken über die Journale, Vol. II. Parte 16. p. 197. sq.* Sed a medio anno 1715. vsque ad finem anni 1717. non nisi Tomi II, vtroque ex Partibus binis constante, prodierunt. Continuauit, interiecto decem fere annorum spatio, PETR. NICOL. DESMOLETS, Clericus Gallus, et Bibliothecae Patrum Oratorii praefectus, operam Sallengrianam hoc titulo: *Continuation des Memoires de Litterature et d'Histoire de Mr. de Sallengre.* Tomus I. *Paris.*

Parif. a. 1726. in 8. editus eſt. Auctor quouis trimeſtri Partem promiſerat, ſed non ſemper id obſeruauit. Anno enim 1732. Tomum XI. exhibuit demum, isque finem impoſuit Operi. Quilibet Tomus duas etiam Partes habet, vbi varia Opuſcula, in quibus numiſmata, inſcriptiones, antiquitates, hiſtorica caet. explicantur, poemata, Vitae eruditorum et aliorum hominum leguntur. CAMVSATVS *l. c. p. 149.* non ex toto probat Galli huius laborem. *Il ſeroit à ſouhaiter*, inquit, *que cet Ouvrage ſe ſit avec plus de choix, et que çe R. P. ne raſſemblât pas indifféremment le bon, le mauvais, et le médiocre.* Cf. *Hiſtoire litter. de l' Europe m. Septbr. a. 1727. artic. 3. et Acta Eruditor. Lat. a. 1728. m. Aprili p. 166.* vbi recte indicatur, haud idem Auctoris, ac Sallengrii, inſtitutum eſſe, ſed plane diuerſum: illum ſcilicet diſſertationes non a ſe ipſo, ſed aliis, elaboratas: tractatus non dudum in publicum emiſſos, ſed adhuc ineditos, ad imitationem Bibliothecae Bremenſis et Obſeruationum Halenſium exhibere, adeoque inſcriptionem *Continuationis Sallengrianarum Relationum* hoc Opus immerito poſſidere. Quae quum ita ſint, et illud ad hanc Diariorum claſſem, in qua iam verſamur, plane non pertineat, mentionem eius dem, velut in tranſitu, factam eſſe Lectores mei exiſtiment.

Potior eſt cauſſa, cur locus hic dandus ſit Operi Belgice ſcripto, cui titulus: *Maendelyke Vittrekſels, of Boekzael der geleerde Werrelt.* Initium eius incidit pariter in *annum* 1715. cuius menſe Iulio Pars I. *Amſtaelodami in 8.* prodiit. Singulis deinde menſibus continuatio ſequuta eſt, ita, vt ſex Partes, quarum vnaquaeque octo plus minus plagulas continet, Volumen iuſtae magnitudinis abſoluant. Primi Auctores fuiſſe dicuntur DAVID VAN HOOGSTRATEN, Medicinae Doctor, et Gymnaſii Amſtae-

Amſtaelodamenſis Collega, LVDOV. SMIDS, et IAC. SCHOOLHOVDER, quibus poſtea acceſſit PETR. POERAET. Vid. *Leipz. gel. Zeit. a.* 1717. *p.* 12. *in not.* et 1723. *p.* 69. Caeteri, qui ſuas ſubinde contulerunt ſymbolas, mihi haud innotuerunt, neque iam ipſum Diarium ad manus eſt. Interim hoc ex aliorum relationibus ſuccurrit, complura Belgico ſermone exarata in eo memorari, Vitas eruditorum interміſceri, ſub finem etiam Noua litteraria legi, quibus ſpeciatim adiecta ſint geſta in Eccleſia, Academiis, Scholisque Belgii foederati. Cum anno 1719. Editores proponere ſimul coeperunt variorum Theologorum Belgicorum Obſeruationes, nondum excuſas, in loca ſacri Codicis difficiliora. Recenſiones librorum vel nimis dilatari non nunquam, vel iudiciis adſpergi acerbioribus, diſplicet multis: aliquas ex Actis etiam Eruditorum Latinis deſumtas eſſe, et Belgice tantum redditas, monent *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1719. *p.* 78. *ſq.* Abſolutum eſt *Volumen ſexageſimum* ac *ſeptimum* cum menſe Decembri a. 1748. Neque tamen deſiit poſtea inſtitutum: anno certe 1758. proceſſiſſe legi. Caeterum conf. hic, quae ſupra *ſſ. XXIX.* dicta ſunt de RABI *Boekzaal van Europe.*

Suos quoque natales *Amſtaelodamo* debet *Bibliotheque Angloiſe, ou Hiſtoire litteraire de la Grande Bretagne, par M. D. L. R.* ſub quibus litteris exploratum eſt MICH. DE LA ROCHE latere, notum iam ex *ſſ. XXVI.* Diariorum conditorem. Coepit haec Bibliotheca cum *anni* 1717. exordio, eo conſilio, vt libri Anglice ſcripti, vel Latini etiam, apud Anglos typis impreſſi, ab iis cognoſcantur, qui partim ignari ſunt huius linguae, partim ad inſpiciendos tales libros occaſionem nullam habent. Audiamus, quae ipſe Auctor in *Praefat. Tomi I.* diſſerit. *On peut dire en général,* ait, *que les livres Anglois*

Anglois ne sont gueres connus hors de cette Isle; et ceux, qu'on traduit de tems en tems en François, ou dont les Journalistes parlent, ne suffisent pas pour donner une juste idée de l'état, où les Sciences s'y trouvent aujourdhui, ni pour satisfaire la curiosité du Public. De sorte, que le dessein, où je suis de rendre compte, non seulement des Livres nouveaux, à mesure, qu'ils paroissent, mais aussi de quelques-uns de vieilie date, et fort curieux, dont les Journalistes n'ont rien dit jusques ici, ne sera pas désagreable, si je ne me trompe, aux personnes, qui aiment les belles Lettres. Avec tout cela je ne m'arrêterai pas à toutes les Brochûres, qui fourmillent dans ce Pais: mais il y en a quelques-unes de la derniere importance, qui contiennent plus de véritez essentielles au Christianisme, et au bien de la Societé Civile, que de gros Volumes; et l'on en trouvera de beaux exemples dans cette Bibliotheque Angloise. Je donnerai douze feuilles de trois en trois Mois, ce qui produira deux Tomes d'une grosseur raisonnable toutes les années: et je ne manquerai pas de joindre une Table des matieres à la fin de chaque Volume. D'ailleurs j'observerai une exacte neutralité à l'égard de toutes les Partis, qui regnent dans cette Isle; et j'entretiendrai le Public de toutes sortes d'Ouvrages, soit qu'ils viennent des Orthodoxes rigides, ou des Tolerans, des Whigs ou des Torys, et des Hérétiques même: Tros Rutulusue fuat, nullo discrimine habebo. Satis exinde patet instituti ratio. Quum deinde Auctor suspicionem animi contra Reformatos vehementioris, nimiaeque in Pontificios indulgentiae, excitasset, ac propterea orta esset inter ipsum et bibliopolam discordia, edito Tomo V. *a.* 1719. reliquit hoc negotium litterarium, idque per-

 fecit

fecit deinceps ARMANDVS DE LA CHAPELLE, Pastor Ecclesiae Wallonicae Hagiensis, dignissimus Viro tam erudito successor; qui anno 1746. ad superos abiit. Docet hoc, praeter alios complures, PERARDVS in *Catal. Biblioth. suae p.* 341. vbi sic scribit Theologus humanissimus: *Mr. de la Roche n'a donné que les cinq premiers Volumes; tout le reste est de Mr.* Armand de la Chapelle, *qui a mis son nom au Tom. IX. Les Lettres initiales* A. B. D. M. T. *que l'on voit aux Tomes 6. 7. et 8. signifient* Armand Bloisbelland de Montresor, *nom, que l'Auteur portoit en France.* Vtriusque labor iam pridem se omnibus probauit mirifice, tam propter librorum delectum, solidumque ac moderatum de iisdem iudicium, quam ob stili perspicuitatem et elegantiam. Vid. e.g. *L'Europe Savante, Tomo I. Parte 2. p. 328.* Verba ibidem haec sunt: *Ceux, qui liront la Bibliotheque Angloise, y verront par eux-mêmes, que l'Auteur sait bien choisir les livres, dont il veut parler; qu'il entend bien ses matiéres; que son stile est clair, simple et concis; qu'on remarque en lui un esprit plein de moderation et d'équité; qu'il a l'art de mettre au fait d'un livre, en formant neanmoins l'extrait, qu'il en donne de ce, qu'il y a de plus instructif, de plus important, et de plus curieux. Il joint quelque fois aux choses, qu'il ramporte, ses reflexions, et sa critique: mais il le fait rarement, et il a soin d'empecher, que ce, qu'il dit de lui, ne soit point confondu avec ce, qu'il rapporte des autres. Quelque fois, au lieu de donner un simple extrait, il prend la peine de traduire presque tout l'Ouvrage: mais il est aisé de voir par les choses, qu'il traduit, que cet Auteur judicieux ne songe, qu'à l'instruction, et qu'au plaisir de ses Lecteurs.* Addi meretur REIMMANNI sententia in

Catal.

Catal. Biblioth. suae, T. II. p. 753. *Rariora sunt*, inquit; *scripta Anglorum plerumque apud nos. - - - Et vel hoc nomine nobis in honore debet esse haec Bibliotheca Anglica, in qua velut in tabula conspicienda proponuntur Acta eruditorum Britannorum: scripta edita et edenda, et inedita etiam nonnulla, virorum doctissimorum elogia, Commentationes biographicae, Dissertationes epistolicae, Obseruationes criticae, narrationes variae de rebus litterariis* caet. Vera sunt omnino haec a Reimmanno dicta: at negari tamen nequit, primum Auctorem varia etiam hic repetiisse, quae iam locum nacta fuerant in eiusdem *Memoirs of Litterature*, quod exemplis luculenter probant *die Leipz. gel. Zeit. a. 1717. p. 63.* et *p. 735. sq.* Finis impositus est Operi *a. 1727.* totumque constat ex *Tomis XV. in 12.* quolibet in Partes duas diuiso.

§. XXXII.

Occurrit nunc *l'Europe Savante*, Diarium, *Hagae Com.* mense *Ianuario a. 1718. in 8.* inchoatum. Tomi prostant XII. singulique Partes etiam duas exhibent. Possunt autem tres Tomi vno commode Volumine coniungi. Quouis mense Pars prodiit decem, vndecim vel duodecim plagularum. At a Tomo XI. id est neglectum; itaque per integrum annum 1719. decem tantum Partes lucem viderunt, annoque 1720. solus Tomus XII, qui vltimus fuit, accessit. Cuilibet Tomo rerum praecipuarum Index adiectus. In *Praefatione Tomi I. p. 11. sq.* monetur, certam eruditorum Societatem eiusmodi laborem suscepisse. Qui fuerint omnes, explorare haud licuit. Tres indicat saltim celeberrimus PERARD. *l. c. p. 339.* et *p. 464.* Sunt hi LEVESQVE DE BVRIGNY, PIERRE FRANÇOIS LE COVRAYER, et PIERRE REMOND de Sainte Albine; de quibus

idem adſerit *La France littéraire par* FORMEY. Acceſſiſſe dicitur PAVL. THEMISSEVL DE SAINTE HYACINTHE. Vid. *Leipz. gel. Zeit. a. 1718. p. 775.* Inſignis eſt error, qui facile aliquos ſeducere poſſet, IOH. CHRISTOPH. MYLII in *Biblioth. Anonym. et Pſeudon. p. 345.* vbi ex male intellecto loco *der Leipz. gel. Zeit. a. 1718. p. 597.* hocce Diarium Viris tribuit, qui Pariſienſe, *le Journal des Savans* dictum, continuarunt. Recenſent Auctores libros varii generis, qui quidem eorum oculis ſe obtulerunt: praecipuum tamen hic gradum tenent Hiſtoria eccleſiaſtica et ciuilis, Philoſophia atque res criticae. Inſeruntur praeterea Diſſertationes et Epiſtolae aliorum, Elogia et Vitae eruditorum, tandemque Noua litteraria. Iudicia de libris, et eorum auctoribus, plerumque ſunt ſolida; quumque in prioribus Partibus delectus deſideraretur et breuior Scriptorum recenſio, mox monitis iſtis relictus eſt locus. Atque hac de cauſſa *L' Europe Savante* in meliorum Ephemeridum Catalogo iure referri debet. GOVIETVS, Abbas, in *Bibliotheque Françoiſe,* quae ab eodem profecta eſt, *Tomo I. p. 195.* vocat hunc librum *un des plus judicieux Ouvrages periodique, qui ont paru depuis le commencement de ce Siecle.*

Succeſſerunt *ibidem a. 1720. Memoires litteraires de la Grande Bretagne, par* MICH. DE LA ROCHE, *Auteur des cinq premiers Tomes de la Bibliotheque Angloiſe, in 12. forma.* Cauſſa noui huius Diarii fuit ſuſpicio de Auctore partium ſtudioſo in rebus theologicis, quod ipſum, vt ſupra memoraui, diſſenſionem inter eundem commouit et bibliopolam, qui Bibliothecam Anglicam diuulgauerat. Qua de re plura diſſerit in *Praefatione, Tomo I. des Memoires litteraires* praefixa. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1720. p. 209. ſq.* Seruauit hic inſtitutum, quod ei iam in

priori

priori Diario placuit, perrexitque vsque ad medium *annum 1724.* quo Tomus XVI. et is quidem vltimus prodiit. Omnes hos commode octo Volumina comprehendunt. Tomus primus duas exhibet Partes. At statim cum Tomo altero mutauit hocce consilium, postquam intellexerat, a paucis eiusmodi diuisionem probari. GODOFR. KOHLREIFFIVM in *Prooemio Chronol. sacrae p. 10.* has de la Roche schedas venenatas vocare, in quibus monstrosa Whistoni dogmata splendente quodam succo infucentur, didici a REIMMANNO in *Catal. Bibl. suae, Tomo II. p. 755.* Quae an recte dicta sint, viderint harum rerum peritiores.

Eodem *anno 1720. Amstaelodami* lucem adspexit *Bibliotheque Germanique, ou Histoire litteraire de l'Allemagne et des Pays du Nord.* Institutum iam exposuit KRAVSIVS in *Nouis litterariis a. 1719. p. 99. sq.* vbi haec ad rem nostram pertinent: *Quum Bibliotheca Anglica, Gallice scripta, magno cum Reipublicae litterariae adplausu excepta fuerit; hoc exemplo moti nonnulli Viri docti Berolini degentes* Bibliothecam Germanicam *Gallico etiam idiomate adornare decreuerunt, ad instar Bibliothecae supra memoratae. In ea libri praecipui, qui in Germania conscribuntur, tum antiqui, tum recentes, siue Latine, siue Germanice, siue Gallice scripti, recensebuntur. Tractabuntur* 1) Theologica, *sed rarius et parce; nisi ad historiam dogmatum aliquid emolumenti conferre possint. Controuersiae acriores inde exulabunt. Si quid ad pacem et concordiam ecclesiasticam spectet, honorifice commemorabitur.* 2) Iuridica, *et praecipue ea, quibus Ius naturale et gentium, quemadmodum et Ius publicum, aliqua ex parte elucidabuntur.* 3) Philosophica, *sed sobrie. Eadem cautio obseruabitur circa* Medi-

cinam et Disciplinas mathematicas. 4) Historica et Critica *potiorem in hac Bibliotheca obtinebunt locum, cum, experientia teste, sint omnium elucubrationum sapori publico maxime accommodatae. Ita tamen eiusmodi eruditionis specimina delibabuntur, vt vrbanitas, quae litterarum humaniorum cultores decet, perpetua sit comes artis criticae; ac proinde nullus inuectiuis, iniuriis, imputationibus falsis, atrocibus accusationibus, in hanc Bibliothecam permittetur accessus. Singulis trimestribus quindecim folia in 8. prostabunt. Libri Suecorum, Danorum, Polonorum, Helueticorum, queis Diaria Gallica carere constat, ibi commemorabuntur. In vnoquoque Volumine accedent excerptis hisce* Noua litteraria *ex diuersis locis, quantum licebit. Autores huius Bibliothecae iudicia sua et obseruationes modeste proponent, addita notula marginali, qua distinguantur ab Autore Tractatus, qui excerpetur, aut in compendium redigetur.* Initium Operis factum est itaque a *mense Iulio 1720.* quem cum Augusto et Septembri complectitur Tomus I. Director fuit IAC. LENFANT, Theologus Reformatus Berolinensis, qui et Praefationem Tomi I. exarauit, et a Tomo IV. caeterorum adiutorum laboribus iunxit suos. Certa enim Societas Virorum doctissimorum singulis Lunae diebus in eius conuenire domo solebat, et exinde nata est Bibliotheca Germanica. Cf. *die Leipzig. gel. Zeit. a.* 1724. *p.* 327. Moderatorem primum subsequuti fuerunt ISAAC DE BEAVSOBRE, PAVL. AEMIL. DE MAVCLERC et IOH. HENR. SAM. FORMEY, Viri celeberrimi: inter adiutores vero, quorum plures accessisse certum est, praecipue nominandi Alphons. des Vignoles, Ioh. Henr. le Maitre, Sacerdos aulicus Buckeburgensis, Pelissonus, Sacerdos Ecclesiae Gallicae apud

Bremen-

Bremenses, et Philipp. Forneret, Sacerdos Berolinensis. Vid. RATHLEFII *Geschichte ietztlebend. Gelehrt. P. II. p. 307.* Processit Opus, tardius aliquoties, quam initio promissum fuerat, continuatum, vsque ad annum 1741. quo *Tomus quinquagesimus in 8.* eidem terminum constituit. Recensentur in eo non solum libri varii, quos inter nonnulli ad Ius ciuile et ecclesiasticum simul spectant, sed Academicae quoque dissertationes, a Viris doctissimis editae. Immiscentur praeterea Dissertationes et Epistolae antea non excusae, in quibus complura disciplinarum theologicarum, mathematicarum, physicarum, item Historiae et ciuilis et ecclesiasticae, Geographiae atque Chronologiae argumenta illustrantur. Nec desunt Vitae hominum eruditorum, et Noua litteraria. Plerique hoc Diarium, acre iudicium ac doctrinam selectam redolens, magni aestimant. Aliqui tamen, quae ipsis displiceant, publice indicarunt. Sic v. gr. IVVENEL de CARLENCAS *in der Geschichte der schönen Künste, Parte II. p. 297. edit. German.* obiicit Auctoribus indecoram et fere perpetuam, cum primis Pontificiorum, censuram, quae omnibus prudentioribus mouere stomachum possit. Quod vero iudicium iniquum pronuntiat merito KAPPIVS in nota subiuncta. In *Journal des Savans mens. Febr. a.* 1721. quid moneatur, paucis memorant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1721. *p.* 213. De aliis vid. RATHLEFIVS *l. c. p. 309. sq.*

Sequebatur deinde *Hagae Comit. a.* 1741. apud Isaac. Beauregard *Journal litteraire d'Allemagne, de Suisse et du Nord, par les Auteurs de la Bibliotheque Germanique.* Continuatio haec prioris Diarii multum debet MAVCLERCIO, quo anno 1742. mortuo clariss. FORMEY curam rei praecipuam egit. Sed mox *anno* 1743. interruptus est conatus, adeoque

non nisi *Tomos II. in 8*, vtroque duas exhibente Partes, accepimus.

Tandem iterum *Amstaelodami* a. 1746. apud Petr. Mortier prodire coepit *Nouvelle Bibliotheque Germanique, ou Histoire litteraire d' Allemagne, de la Suisse, et des Pays du Nord.* Facile cognoscitur Opus pristinum, exigua tantum tituli mutatione ab eo distinctum, renouasse auctores prae caeteris laudandos, IOH. HENR. SAM. FORMEY ac IAC. PERARDVM, Sedinensium decus. Hic in *Catal. Bibl. suae*, saepe iam adducto, *p.* 342. ita scribit: *Formey et de Perard,* (*qui a dirigé les cinq premiers Volumes de cette Continuation,*) *en sont les principaux Auteurs. Mr. Formey, Professeur en Philosophie et Secretaire perpetuel de l' Academie Royale de Prusse, a mis son nom au Journal depuis l' année* 1750. *au Tome VI.* posteaque is ipse solus eodem labore perfunctus est. Vid. *La France littéraire par* FORMEY, *p.* 180. Initio tardius aliquamdiu edita, nunc strenue procedit continuatio, annoque 1759. Tomus XXV. prelo est liberatus. Singuli Tomi Partes duas complectuntur. Optandum interim, vt ad summam senectutem veniat Opus de meliori commendandum, exterisque linguae Germanicae ignaris, rerum nostrarum tamen, in litterarum studiis gestarum, auidis, longe vtilissimum.

§. XXXIII.

Gallorum labores eruditos indicat speciatim *Bibliotheque Françoise, ou Histoire litteraire de la France.* Hoc Diarium *Amstaelodami a.* 1733. *in 8.* inchoatum *anno*que 1746. cum *Tomo secundo supra quadragesimum* finitum est, quolibet Tomo ex Partibus duabus composito. *Catalogus Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p.* 590. Tomos XLIV. adducit, qui duo posteriores forsitan Indices generales continent. In

In PERARDI *Catalogo p. 340.* adfirmatur, librarios, qui ſumtus ſuppeditarunt, BERNARDVM nimirum, quem IORDANVS in *Voyage litteraire p.* 187. vocat *un Libraire, qui a de l' Eſprit et du Savoir, et qu'il aime peut-être trop l' Etude pour ſon negoce;* ac poſt eum ab anno 1730. DV SAVZET, praecipuos fuiſſe huius Diarii auctores, ſuas tamen et ſymbolas contuliſſe varios Lutetiae Pariſiorum, aliorumque locorum, homines eruditos. Id certius vero, tres Tomos priores maxime deberi FRANC. DIONYS. CAMVSATO, qua de re ipſum audiamus in *Hiſtoire critique des Journaux, T. I. p.* 144. *n.* 7. *Je me ſers de cette occaſion,* ait, *pour avertir, qu'il n'y a de moi, que les trois premiers Volumes, ou les ſix premiers Parties de la Bibliotheque Françoiſe. Je n'ai en aucune part ni directement, ni indirectement à ceux, qui ont ſuivi. M. B. Libraire établi à A. a travaillé aux quatre Parties, qui ſont les Tomes 4. et 5. Les Volumes ſuivans ſont de la façon de divers Auteurs, et M. B. a fait auſſi la plus grande partie du 13.* Eundem in litteris ad amicos hoſce ſuos Commentarios *indigeſtum laſciuientis adoleſcentiae fructum* vocare per modeſtiam conſueuiſſe, lego in *Actis Erud. Lat. a.* 1726. *p.* 47. In clariſſimi FORMEY editione *de la France littéraire p. 306.* IACOB. DE VEZE, datur Camuſato collega, his quidem verbis: *il a beaucoup de part aux trois premiers volumes de la Bibliotheque Françoiſe de Camuſat;* ibidemque *p. 255.* de CLAVDIO PARFAICT ſcribitur: *il a travaillé en ſociété avec Mr. de Morand au Journal intitulé:* Bibliotheque Françoiſe. Opus continuatio eſſe videtur Diarii, apud Bernardum *a.* 1722. *in 8.* hoc titulo editi: *Memoires hiſtoriques, et critiques;* cuiusque menſem primum laudatus Camuſatus, reliquos menſes vndecim alii confecerant. Quemadmodum enim in hoc libri

plerumque Gallici recensentur; ita Bibliotheca quoque Gallica tales proponere solet, ac summa eorundem capita cum Lectoribus communicare. Aliquoties tamen scripta gentium aliarum Latina sunt in hunc gregem reiecta. Cf. *Leipz. gel. Zeitung. a.* 1722. *p.* 401. *sq.* et *a.* 1723. *p.* 298. *sq.* Praeter librorum descriptiones permultae Dissertationes et Epistolae variorum, argumenta theologica, philologica, critica, et philosophica potissimum exponentes; item Vitae eruditorum, tam Gallorum, quam exterorum; tandem vero Noua litteraria conspiciuntur. In iudiciis ferendis Auctores liberi hominis animum, at ea, qua decet, modestia ostendere student. Saepe addunt etiam Obseruationes bonae frugis plenissimas. Ipsae Partes non vno semper tempore, et modo quouis bimestri, modo menstruo, modo trimestri, modo longiori spatio interiecto prodierunt. Plura de instituto vid. in *den Leipz. gel. Zeitung. a.* 1726. *p.* 441. *sq.* et in STOLLII *Nachr. von den Büchern seiner Bibliothec, Parte VIII. p.* 715.

Digna est similiter, cuius hic mentio iniiciatur honorifica, *Histoire litteraire de l'Europe*, quae coepta *Hagae Comit.* cum initio *anni* 1726. *in* 8. Auctores, mihi prorsus ignoti, *in Praefatione* excerpta ex libris nouis, iisque melioribus, vel raritate sua conspicuis, maxime ad humanitatis et Historiarum studia pertinentibus, siue sint Latina, siue Gallica, siue Anglica, aliaue lingua conscripti: porro Vitas hominum doctorum, schediasmata nondum edita, Noua litteraria, Catalogumque recentissimorum librorum promittunt. Nec deceperunt exspectationem Lectorum; plura tamen praestitissent haud dubie, nisi compressissent conatum nescio quae caussae, *anno* 1727. circumacto. Singulis mensibus Pars prodiit sex plagularum, quatuorque Partes in Tomum

Tomum redacti sunt, quorum generatim *sex* prostant, Indicibus instructi. Cf. *Leipz. gel. Zeitung. a.* 1726. *p.* 265. *sq.*

Longe diutius sese sustinuit *Bibliotheque raisonnée des Ouvrages des Savans de l'Europe.* Mensis Iulius *anni* 1728. noui huius Diarii, *Amstaelodami* in officina Wetsteniana producti, fuit initium. Illustris PERARDVS in *Catal.* Bibliothecae *p.* 339. haec de eodem obseruat: *Les Auteurs de ce Journal, dont les commençemens ont eté fort goutés, garderent l'incognito, et même ils ne se connoissoient pas entre eux.* MM. DE LA CHAPELLE *et* BARBEYRAC *y ont travaillé.* Cf. *Praefatio Tomo I.* praefixa *p.* 12. De Barbeyracio idem adfirmant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1744. *p.* 795. Vtrique *in France Littéraire par* FORMEY *p.* 234. socius datur PETR. MASSVETVS, Medicus in Belgio clarissimus, his quidem verbis: *M. Massuet est un des Auteurs, qui ont travaillé le plus constamment à la Bibliotheque raisonnée sourtout depuis 1741. jusqu'eu 1753. où elle a pris fin.* Singulis tribus mensibus Pars quindecim circiter plagularum edita est, duaeque semper Partes Tomo iustae magnitudinis *in 8.* continentur. Finitum est Opus *anno* 1753. cum *Tomo quinquagesimo.* Addita bina Volumina Indicum generalium, quolibet Tomis XXV. constituto. Librorum, a variis gentibus variis linguis diuulgatorum, recensiones amplae sunt plerumque, et multiplicis eruditionis copia distinctae. Saepius quae vna in Parte absolui nequeunt, continuantur in altera, quod vero nonnihil molestiae adfert legenti. A Tomo XXVII. Auctores vel nunquam, vel parcissime, locum concesserunt libris iuridicis, polemicis, iisque, qui doctrinae plebeiae et aridae specimen praebent. E contrario scripta historica, politica, medica, poetica, philosophica, litteras humaniores illustrantia, nouisue inuentis conspicua, praecipuam

puam Operis esse dotem voluerunt. Passim inseruere Epistolas ac Dissertationes antea non editas, Vitasque eruditorum, quamquam has rarius, et tunc potissimum, si tales ab aliis expositas, ferente sic occasione, non potuerunt transire silentio. Sub finem cuiuslibet Partis Noua litteraria varia memorant. A iudicandi vera regula deflectunt quandoque, nec semper susceptum in vnum alterumue Scriptorem odium occultant; quae tamen culpa attribuenda magis videtur librarii desiderio. Nihilo minus Diarium hocce collocandum arbitror in praestantioribus esse, cum primis quod pertinet ad priores Tomos XXV.

In contumeliam Wetstenii Roussetique oppositae sunt Operi laudato *Lettres serieuses et badines sur les Ouvrages des Savans*, *et sur d' autres matières.* Prodierunt *Hagae Comit.* ap. Ioh. van Duren *a. 1729. in 8.* Praeter librorum recensiones leguntur hic etiam Vitae hominum doctorum et Obseruationes antea non excusae, noua item litteraria, librique recentissimi, qui indicantur. Omnia haec proposita sunt per Epistolas. *Tomi* sunt harum Epistolarum *Octo*, qui, si solum excipias primum, in duas diuisi Partes fuere. Quinto Tomo Supplementum singulare accessit. PERARDVS in *Catal. Bibliothecae p. 340.* scribit: *Ces Lettres sont de M.* de la Barre de Beaumarchais, *on les a attribuées à* MM. Janiçon et Bruzen de la Martiniere. *C' est un veritable Libelle contre le* Sr. Rousset *et ses amis.* Negauit quidem olim, se auctorem esse, de Beaumarchais; sed Perardi tamen opinio confirmatur ex *artic. 7. in Bibliothec. Françoise Tomi XVIII. Parte 2.* vbi exstat *Lettre aux Auteurs de la Biblioth. Françoise, par Rousset.* Cf. caeterum *die Leipz. gel. Zeit. a. 1731. p. 185. sq.* et *p. 205.* Adde IOH. MICH. VON LOEN *kleine Schriften, Parte IV. p. 313.* vbi et laudat Aucto-

ris,

ris, ipſi ſatis cogniti, ingenium, mirifice ex his Epiſtolis elucens. Deſiit labor ille, non omnino improbandus, *anno 1740*. Adiecit tamen bibliopola Tomos adhuc quatuor, vt adeo plerumque duodecim numerentur. Tomus IX. *Les Lettres ſur la Hollande ancienne et moderne, par Mr. de la* BARRE *de* BEAVMARCHAIS: Tomique X. XI. et XII. *Les Amuſemens litteraires, ou Correſpondance politique, hiſtorique, philoſophique, critique et galante*, eodem auctore, continent.

Annus 1730. *Hagae Comitum* protulit *Critique desintereſſée des Journaux litteraires, et des Ouvrages des Savans, par une Societé des Gens de Lettres.* Factum id inſtinctu bibliopolae, Chriſtiani von Lom, qui aegre tulerat, *Le grand Theatre ſacré du Duché de Brabant*, Opus ab ſe editum, at ſplendidum magis, quam vtile, non ita eſſe in Diariis commendatum, vti quidem ſperauerat. Fabricata igitur *Critique desintereſſée*, vt haec omni occaſione carpi, conuiciisque proſcindi poſſent. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1731. p. 193. ſq.* et *p. 206.* Auctorem laboris PERARDVS *l. c. p. 343.* FRANC. BRVYS dicit, quod et confirmat *Lexicon Erud. Ioecherianum.* Primum Diaria nonnulla Gallica examinantur: deinde libri varii recentiores deſcribuntur: tandem vero Noua litteraria occurrunt. Statim anno poſtero conatus hic, plauſu deſtitutus, remiſit, adeoque non niſi *Tomos III. in 8.* eosque mediocris molis accepimus. Multa de iis differuntur in *Vitis Niceronianis, Tomo XLII. p. 145. ſq.*

Bibliotheque Belgique Leidae coepta eſt menſe Iulio *a. 1731. in 12.* ſingulisque menſibus continuata vsque ad Aprilem anni ſequentis, quo deſiit. Vltimum hunc menſem memorant adhuc *die Leipz. gel. Zeit. a. 1733. p. 147.* Proſtant igitur menſes decem, *duos* in *Tomos* redacti. In ſingulis Partibus recen-

recensentur quatuor vel quinque libri, varii generis, maxime tamen a Belgis editi, ac postea subiiciuntur Noua Academica et litteraria. His, qui linguae Belgicae sunt ignari, non est inutile institutum, quippe cognoscere possunt exinde quorundam argumenta librorum, eadem lingua exaratorum. Praecipuus Bibliothecae huius conditor dicitur FERDINANDEZ, Sacerdos Gallicus Brielensis in Hollandia meridionali. Vid. *Hamburg. Berichte von gelehrt. Sachen a.* 1732. *p.* 104.

Anno 1733. mense Aprili *Hagae Com.* diuulgata est *Bibliotheque Britannique, ou Histoire des Ouvrages des Savans de la Gr. Bretagne, in 8.* Finem habuit eadem *a.* 1747. mense Martio, et cum Indice generali *Tomos XXV.* complectitur. Quilibet Tomus ex Partibus constat binis, et plerumque singulis tribus mensibus Pars prodiit. Est hoc Diarium continuatio *de la Bibliotheque Angloise*, cuius etiam Auctores methodum sequi studuerunt, vti id ipsi declararunt in *Praefatione Tomi* I. Nomina vero eorundem paucissimis forte sunt cognita. IORDANVS in *Voyage litteraire p.* 159. quamquam eos nosse videtur, ita tamen scribit: *Il y a toute apparence, que ce Journal aura un heureux succès: les Auteurs sont gens de mérite, et qui entendent tous parfaitement l'Anglois: Mrs. S. B. le M. D. et le savant Mr. D.* Plurimos Londini commoratos esse, dubio caret. Accessisse tamen IOHANNEM quoque BARBEYRACIVM, Ictum Belgii celeberrimum, docetur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1744. *p.* 795. Copiose docteque recensentur libri vel Anglice scripti, vel Gallice, Latine, Graece, apud Anglos excusi, ac praeterea Epistolae, et Obseruationes singulares nondum editae, Vitaeque hominum eruditorum interdum inseruntur. Sub finem Partis Nouorum litterariorum expositio Lectoribus offerri solet.

Plausu

Plausu communi exceptum est Opus propter solida Auctorum iudicia, diligentiamque in memorandis et librorum, raro in exterorum notitiam peruenientium, et controuersiarum theologicarum atque philosophicarum argumentis.

Successit *ibidem a.* 1750. mense Ianuario *Journal Britannique par* MATTHIEV MATY, *Docteur en Philosophie et en Medecine.* De instituto v. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1750. *p.* 482. *sq.* Quatuor menses Tomum explent viginti circiter plagularum, anno tamen 1755. cum Tomo XVIII. *in* 12. *mai.* ab instituto nobilissimo recessit Auctor. Id *anno sequenti* continuauit statim clarissimus MAVVIVS, ac noui certo, Tomum XXI. prodiisse. Cuiuis etiam mensi adiecti sunt Indices variorum librorum, apud Anglos nouissime diuulgatorum. Post priorem Auctorem huius Diarii aliud *a.* 1756. molitum esse ELIAM DE IONCOVRT, docet STOSCHIVS *in dem neuen gel. Europa, Parte XII. p.* 1017. Nominauit illud *Nouvelle Bibliotheque Angloise.* Reliquit autem praecessoris sui methodum, neque libros recentissimos multum curae habuit. Vterque Scriptor nescio an adhuc in conatu isto persistat. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1756. *p.* 546.

Nec praetermitti debet *Nouvelle Bibliotheque, ou Histoire litteraire des principaux Ecrits, qui se publient.* Prima Pars *Hagae Comit.* prelo exiit mense Octobr. *anni* 1738. ac deinceps mensibus singulis sequutae sunt reliquae vsque ad anni 1743. initium; ab eo tempore per trimestria coepit edi Diarium, mox vero finitum est cum mense Iunio *anni* 1744. Primum quatuor Partes, vel menses, Tomo singulari sunt adsignati, eaque de caussa librarius tribus posterioribus mensibus anni 1738. Supplementum addidit, ne inaequalia redderentur Volumina. At enim a dicto anno 1743. tres semper menses in Tomum

Tomum redacti sunt, quorum generatim prostant *vndeuiginti in* 12. Ad Auctores quod attinet, PERARDVS in *Catal. Bibliothecae p.* 339. Viros doctos, DE LA CHAPELLE et CHAIS multum collocasse studii in huius Bibliothecae continuatione profitetur. Iungo iis BARBEYRACIVM, et IOH. BAPT. DE BOYER, Marquis D' ARGENS. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1744. *p.* 795. itemque *die Beyträge zu diesen Zeitung. Vol. V. pag.* 813. *in fine.* Copiosissimae sunt saepenumero recensiones librorum Latine, Gallice, Anglice, Italice vel Belgice scriptorum. Plurimum tamen spatii Gallici ac Latini occupant. Commentationes et Epistolae aliorum aliquoties, Vitae eruditorum contra rarissime immiscentur. Quaedam translata etiam fuerunt ex Diario Anglorum, *History of the Works of the Learned* inscripto. Noua litteraria cuilibet Parti, more a pluribus obseruato, accedunt. Elogia Auctorum pariter et censurae moderatae sunt plerumque, et nihil ad horum, vel illorum, caussam inclinant. Dolendum est itaque, praematurum Opus elegans exitum habuisse.

Interim ineunte *anno* 1750. *Lugduni Batav.* eius in locum substituta fuit *Bibliotheque impartiale.* Singulis binis mensibus Pars edita est *in* 8. quarum tres iustum Volumen implent. Bibliopolae, Ioh. et Elias Luzac, adcurate praestiterunt etiam, quae definito temporis spatio promiserant, vidique anno 1756. Tomum XIII. ad mensem Iunium procedentem. Indices, cuilibet adiecti Tomo, commoditati legentium inseruiunt. In *der Berlinischen Bibliothec, Vol. IV. p.* 421. itemque in STRODTMANNI *Neuem gel. Europa, Parte V. p.* 198. auctor est noui huius Diarii clariss. FORMEY, saepe iam a me laudatus, qui nec id abnuit ipse in *France litter. p.* 182. Nullum tamen est dubium, alios quoque fuisse

eiusdem

eiusdem adiutores. Poſtea non niſi ſymbolas quasdam contulit, abiecta perpetua negotii cura. Cf. vbi de hocce conatu plura memorantur, *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1750. *p.* 499.

Agmen hoc, ſatis magnum, claudat *Bibliotheque des Sciences et des beaux Arts.* Coeptum eſt Diarium *Hagae Comit. a. 1754. in 8.* ſingulisque trimeſtribus Pars plagularum decem et ſex promiſſa, quarum duo Tomum, ſeu Volumen, implent. Auctores mihi non cogniti, praeter CHAISIVM, ſupra adductum, cui laboris partem fama tribuit, teſte FORMEY in *France littér. p. 136.* methodum ſequi dicuntur Bibliothecarum *Germanique*, *Britannique et Impartiale.* Laudatur iudicium eorundem ac diligentia in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1755. p. 309.* additurque, tam copioſa hic et adcurata librorum plerorumque, maxime in Belgio editorum, exhiberi Excerpta, vt ipſis fere libris carere ſine damno Lectores poſſint. Cf. etiam *die Götting. gel. Anzeigen a. 1754. p. 795. ſq.* Totum annum 1754. proſtare certum eſt: an vero adhuc proſequantur Auctores coepta, explorare non licuit. Quinque Tomorum nuper eſt mentio iniecta in continuatione *Bibliothec. theologicae Kraftianae.*

§. XXXIV.

Migremus nunc in HELVETIAM, vbi primum occurrunt *Noua litteraria Heluetica*, *collecta a* IOH. IAC. SCHEVCHZERO, Medicinae Doctore. En! quae ipſe hac de re ſcribit in PEZOLDI *Miſcellaneis Lipſ. Tom. VIII. p.* 120. *ſq.* vbi exſtat Relatio ſcriptorum ſuorum. *Inter tot*, ait, *Diariſtas*, *Actorum*, *et nouorum litterariorum Publicatores*, *comparere et ego volui*, *oſtenſurus pro meo erga patriam amore*, *non deeſſe in exiguo Heluetiae*, *praeſertim Reformatae*, *angulo*,

angulo, qui omnis generis scientias habeant in deliciis. Prodierunt itaque pro anno 1701. Noua litteraria Heluetica *Tiguri 1702. quibus passim insunt eruditorum biographiae, et fragmenta nonnulla inedita, et in primo quidem primi anni fasciculo extractum scriptorum, quod in sequentibus annis omisi, sola contentus titulorum recensione et biographia. Nec me reprehendat quisquam, quod non spissa duntaxat volumina recensuerim, sed ad ipsas descenderim conciones. Apologiam suscipit rev.* LVD. MELCH. FISCHLINVS, *V. D. M. Stuttgardianus,* in Biographia praecip. Theol. Wirtemberg. *Vlmae 1710. 8. edita, vbi sequentia legas verba: Carpit non nemo* (intelligitur hic forte STRVVIVS *Introd. in notit. rei litt. Cap. VI. §. 51.) Ioh. Iac. Scheuchzerum, quod singulas conciones funebres nouis suis litterariis Helueticis addiderit. At vero, si Principum, Comitum, Nobilium, Doctorumque Vitas aestimamus, quidni et Parentationes et Conciones, in quibus commemorantur?* caet. Pergit deinde, atque haec Noua litteraria edita fuisse profitetur *pro anno 1702.* a. 1703; *pro anno 1703.* a. 1704; *pro anno 1704.* a. 1705; *pro annis 1705. et 1706.* a. 1707; *pro annis 1707. et 1708.* a. 1709; *pro annis 1709. et 1710.* cum Vita Magni Henr. Bullingeri a. 1711; *pro annis 1711. et 1712.* quibus adiectus syllabus scriptorum, quae rem Toggicam, et bellum inde ortum, attinent, a. 1713; *pro annis 1713. et 1714.* a. 1715. *in 8.* Addit Vir doctus tandem: *Hic desii, tum aliorum laborum mole impeditus, tum alias ob caussas, quarum recensione supersedeo. Nouem* hae *Partes* octo vel decem plagulas implent singulae, nec vsu destituuntur, quamquam negari vix potest, Auctorem non vtique delectus fuisse studiosum.

Postea

Poſtea *Tiguri a.* 1722. prodierunt *Zeitungen der Gelehrten aus dem Schweitzer-Land in 12.* Recenſentur hic, et examinantur plerumque, libri ac Diſſertationes; ſed, quantum ſciam, *Sectiones* tantum *XII*, quae omnes ex totidem plagulis conſtant, lucem viderunt. Cf. *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1722. *p.* 972.

Sequebatur *ibid. a.* 1725. *Neue Zeitungen aus der gelehrten Welt, zur Beleuchtung der Hiſtorie der Gelehrſamkeit, geſammlet von Biblophilo,* i. e. IOH. IAC. BREITINGERO, Profeſſore Tigurino. Quae de Heluetiae eruditis dicuntur, alibi fruſtra quaeſiueris: caetera vero maximam partem deſumta ſunt ex Nouis litterariis Lipſienſibus, quae Germanice *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen* inſcripta fuere. Labor hic Breitingerianus per anni ſaltim ſpatium ſucceſſit, quum bibliopola male, quae promiſerat, exſequeretur. Vid. RATHLEFII *Geſchichte jetzt lebender Gelehrten, Parte VI. p.* 413. *ſq.*

Maioris momenti fuit *Bibliotheque Italique ou Hiſtoire litteraire d' Italie,* quod elegantiſſimum, hodieque parum obuium, Diarium coeptum eſt *Genevae a.* 1728. *in 8.* et menſe quidem Ianuario. De auctoribus haec obſeruat PERARDVS in *Catal. Biblioth. p.* 342. *Le celebre* Louis de Bochat, *qui a fait d' honneur à ſa Patrie et aux Lettres, a été le Directeur de cet Ouvrage periodique, qu'il a enrichi de pluſieurs morceaux intereſſans.* MM. Bourguet *de Neufchatel,* Ruchat *de Lauſanne,* du Lignon, *Gentilhomme François, établi dans le pais de Vaud,* Seigneur de Corrovon, *Membre de la Societé Royale de Marſeille, et quelques Savans de Geneve, entr'autres* M. Vernet, *y ont travaillé avec autant d' aſſiduité, que de ſuccès.* De LVDOV. BOVRGVETA, Phyſices olim ac Mathem. Profeſſore Gymnaſii Neocomenſis, idem adfirmatur in *den Leipz. gel. Zeitung. a.* 1729. *p.* 418.

De Bochatio autem videri poteſt BRENLESII *Eloge hiſtorique de Mr. Charl. Guil. Louis de Bochat, Lauſannae a.* 1755. *in 8.* vbi nonnulla de eius in hoc Diarium meritis. Quum Italorum litteraria monumenta haud frequenter innoteſcant exteris, ipſumque *Giornale de' Letterati d' Italia,* Venetiis tunc adhuc continuatum, extra Italiam rarius etiam occurrat, moti fuerunt, Auctores laudati, vt hoc Opus adgrederentur, maximo deinde, quem omnino merebatur, plauſu exceptum. Adcuratae ſunt enim ſolidaeque librorum, prudenter delectorum, recenſiones, ſtilo facili ac perſpicuo adornatae, in quibus etiam modeſtia, mentis integritas, partisque neutrius ſtudium elucent. Vt varietas excitet Lectores, eruditae intermiſcentur Obſeruationes, Epiſtolaeque aliorum, ad Aſtronomiam, Phyſicam, artem criticam, caet. pertinentes, item relationes de mox edendis multorum Voluminum Operibus, Vitae hominum doctrina et ſcriptis illuſtrium, et Noua litteraria, quae Tomos finire ſolent. Quouis ſpatio quadrimeſtri Tomus prodiit, quorum ſunt *XVIII.* quum *anno* 1734. abrumperetur filum, quod boni omnes dolent. Indices nonnunquam adiecti plures Tomos complectuntur.

De nouo Diario, *Neocomi* (Neufchatel) a menſe Decembri *a.* 1732. vsque ad menſem Decembr. *a.* 1748. *in 8.* hoc titulo excuſo: *Mercure Suiſſe, ou Recueil de Nouvelles hiſtoriques, politiques, litteraires et curieuſes*, nihil, quod dicam, in promtu eſt, praeter id, quod PERARDVS in *Catalogo Bibl. p.* 343. obſeruauit. Verba Viri doctiſſimi haec ſunt: *Les Editeurs ſepareremt en 1738. la partie litteraire, ſous le titre de* Journal Helvetique, ou Recueil de Pièces fugitives *etc. L'article des Nouvelles parut en 1748. ſous un nouveau titre, ſavoir:* Le Nouvelliſte Suiſſe, hiſtorique

rique, politique, litteraire et amusant. PETRVM ROQVES, Theologum Basileensem, per aliquot annos varia huic inseruisse Diario, lego in STRODTMANNI *Beyträgen zur Historie der Gelahrheit, P. I. p.* 110. PERARDVS Volumina *nouem et quadraginta* id ipsum, ait, comprehendere.

Huc et pertinet *die Helvetische Bibliothec, bestehend in historischen, politischen und critischen Beyträgen zu den Geschichten des Schweitzer-Landes.* Pars I. *Tiguri a.* 1735. Pars VI. 1741. *in* 8. diuulgata. Plures sequutae non videntur. In hoc vero Diario, praeter Obseruationes ex Historia patria petitas, librorum etiam, et editorum, et manu adhuc scriptorum, recensiones cum Nouis litterariis inueniuntur. Cf. *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1736. *p.* 563. *seq.*

Anno 1744. *Tiguri in* 4. lucem adspexerunt *Freymüthige Nachrichten von neuen Büchern, und andern zur Gelahrheit gehörigen Sachen.* Plurima hic ex Nouis litterariis Hamburgensibus, Lipsiensibus, Gottingensibus, aliisque descripta sunt et corrasa. In quibusdam vero, quae addunt ex ingenio suo Auctores, dictio satyrica principatum obtinet, maxime si scripta recenseant, ad Eloquentiam, vel Poesin, spectantia. Singulis deinde annis, ordine haud interrupto, Volumen est editum, quorum *quintum* ac *decimum* a. 1758. me videre memini.

Tandem apud Bernenses *a.* 1758. auctore BERN. TSCHARNERO, Italorum gratia, prodiit *Estratto della letteratura Europea.* Singulis trimestribus Volumen octodecim plagularum *in* 8. promissum est, iamque integri anni 1758. et 1759. exstant. Cf. *die Götting. Anzeig.* 1759. *p.* 152. Vt et iis consuleretur, qui res inter Italiae Heluetiaeque eruditos gestas, maxime quod ad disciplinas et litteras elegantiores attinet, cognoscere cupiunt, *ibidem a.*

1758. a menſe Iulio adiectum eſt nouum Diarium Latinum, hoc titulo inſignitum: *Excerptum totius Italicae et Helueticae litteraturae.* Quouis anno quatuor, vel tria, vel duo minimum Volumina *in 8.* exſpectanda. Vtrumque inſtitutum HALLERI ac DAN. BERNOVLLII auſpiciis procedit. Cf. *Götting. gel. Anzeigen l. c. p.* 15. et *p.* 416.

§. XXXV.

Apud DANOS iam *anno* 1720. coepta ſunt Noua litteraria, quae poſt Lipſienſia antiquiſſima huius generis dicit clariſſ. BVSCHING, in Diario de re litteraria Danorum, de quo mox plura, *Parte V. art.* 12.

Poſtea *anno* 1737. *Hafniae in 8.* ſubſequuta eſt *Däniſche Bibliothec, oder Sammlung von alten und neuen gelehrten Sachen aus Dännemark.* Auctor eſt OLAVS HENR. MOLLERVS, docti Parentis filius clariſſimus. Quum *Noua litteraria maris Balthici* iam pridem deſiiſſent, iucundum fore credidit exteris, ſi commemoraret, quae digna ſunt notatu de Danorum in re ſacra, et ſtudiis optimarum artium conatibus. Eo certe conſilio recenſet libros et antiquos et nouos, Diſſertationes, Programmata itemque Orationes, quibus omnibus interſerit varias Epiſtolas, Vitas hominum doctorum, atque Conſtitutiones regias, ad inſtruenda ciuium ingenia promulgatas. Sub finem Noua plerumque litteraria, vel eccleſiaſtica, indicari ſolent. Quaelibet Pars iuſtae molis Volumen exhibet: tarde tamen et cunctanter proceſſit Opus: quippe anno 1747. *Pars* demum *nona*, et haec quidem poſtrema, in lucem emiſſa eſt. Cauſſa morae adſcribenda forſitan librariis Hafnienſibus. Id ſaltim ſcio, tres eorum, alio poſt alium ſuccedente, neceſſarias in editionem feciſſe impenſas. Plurima huius Diarii

ad

ad Theologiam pertinent atque Hiſtoriam eccleſiaſticam, ideoque iis potiſſimum vſui erit, qui haec ſibi ſtudia, prae caeteris, excolenda ſumunt.

Iam libenter leguntur *die Nachrichten von dem Zuſtande der Wiſſenſchaften und Künſte in den Königl. Däniſchen Reichen und Ländern*, cuius inſtituti factum eſt initium *Hafniae* et *Lipſ. a.* 1753. *in 8.* Princeps auctor fuit V. C. ANTON. FRID. BVSCHING, hodie in Academia Gottingenſi Profeſſor meritiſſimus. Varios tamen habuit ſocios, quibus, Hafnia diſcedens, paullo poſt reliquit curam Operis, quum ipſe, ob negotiorum multitudinem, non niſi duo Volumina priora diuulgare poſſet. Tertii editio debetur IOSIAE LORCK, Sacerdoti Germanico Chriſtianhafenae, qui et Praefationem praemiſit, vbi ſignificat, habere ſe adiutores Coldium, Anteceſſorem in Academia Sorana, Ern. Chriſt. Hauberum, Theologi Hafnienſis filium, eiusque ſororem, virginem doctiſſimam, item Iac. Chriſt. Kreberum, Subcenturionem exercitus regii: Büſchingium non niſi ſymbolam quandam contuliſſe, taleſque in poſterum ab eodem etiam exſpectandas eſſe, ſi labores Academici permiſerint. Interim cum Volumine III. ac *Parte quarta et viceſima*, (octo enim Partes, tribus Indicibus inſtructae, Volumen implent,) finitum quodammodo eſt inſtitutum *anno* 1757. Sed mox apud alium bibliopolam, Frider. Chriſt. Pelt, *ibidem* Continuatio ſequuta fuit, *Fortgeſetzte Nachrichten caet.* inſcripta. Auctores priori quidem ſeruata methodo pergunt ſtrenue: vt vero tria illa Volumina, olim edita, ſingularis Operis faciem haberent, nouarum Partium numerus a principio progreditur. Occurrunt in his Ephemeridibus librorum, et ſcriptorum minorum, recenſiones adcuratae, et a partium ſtudio alienae, Vitae eruditorum Danorum, variique generis Noua lit-

litteraria. Itaque omnes ii, qui de cognoſcendo feliciſſimi regni ſtatu litterario ſolliciti ſunt, permoleſte ferent, ſi dignus laude conatus opinione forſitan citius interrumpatur. Sex Partes Volumen abſoluunt, nuperque ſecundi Pars altera prodiit.

Danice ſcribitur Diarium, inde ab *a.* 1756. *Hafniae* diuulgatum, hac inſcriptione: *Efterretninger om nye Böger og laerde Sager i Danmark og Norge.* Tangunt illud *die Götting. Anzeigen von gel. Sachen, anno* 1758. *p.* 1421. addito hoc iudicio: *in derſelben Monathtsſchrift werden die neuen Däniſchen Bücher und Schriften mit groſſer Freymüthigkeit, und zum Theil mit nicht geringer Schärfe beurtheilet.*

Ex *Suecia* primum accepimus *Acta litteraria Sueciae, a.* 1720. *Upſaliae in 4.* publicata. Editum eſt Opus hoc per trimeſtria, cura in primis et auxilio ERICI BENZELII, filii, qui tandem ad Archiepiſcopi regni Sueciae, et Procancellarii in Academia Vpſalienſi dignitatem adſcendit, annoque 1743. diem obiit ſupremum. Animaduertens enim, in Diariis exterorum recenſeri ſubinde iuuenum Suecorum ſpecimina Academica, et in iis quaedam non ſatis adcurata, vnde ſiniſtra de Muſis Suionum apud alias nationes oriri facile opinio poſſet: eo conuertendas eſſe cogitationes cenſuit, vt, inita cum aliis litterarum amatoribus ſocietate, quid agerent Muſae in Suecia, iis etiam, qui extra eandem degunt, ſtudioſe fideliterque annunciaretur. Inde nata ſunt igitur acta haec litteraria, in quibus ſcripta, apud Suecos vel patria lingua, vel Latina, excuſa, quo et referendae ſunt variae Diſſertationes, in Academiis Vpſalienſi ac Lundenſi productae, porro Vitae doctorum virorum, Epiſtolae, nondum quoque editae, Obſeruationes medicae, mathematicae et hiſtoricae, itemque Noua

Noua litteraria enarrantur et exhibentur, fine epicrisi tamen, omissoque Indice personarum ac rerum memorabilium. Vid. omnino REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae, Tomo II. p.* 441. Persequuti sunt Auctores incepta vsque ad *annum* 1733. quumque Trimestria paucas tantum expleant plagulas, omnia haec satis idonee *Volumina tria* capiunt, passim tabulis aeneis exornata. In IOH. NEAVLME, librarii Berolinensis, *Catalogue d' une belle Collect. de livres et d'estampes, ibid.* 1755. *8. p.* 132. haec Acta litteraria *Vpsaliae* et *Stocholmiae* vsque ad *a.* 1740. processisse lego, quod alibi non obseruaui. Priores quinque anni recusi statim fuerunt *Rostochii in 4.* quod induxit IOH. CHRISTOPH. MYLIVM in *Bibl. Anonyma et Pseudon. p.* 771. VT REIMMANNO, hic haesitanti, nimis fidei habens audacter scriberet, durasse tantum haec Acta per quinquennium; sed dolendum esse, ea tam breui tempore desiisse, hoc enim modo Germanis ademtam esse occasionem, Musarum Suecarum arcana cognoscendi.

Anno deinde 1755. CAR. CHRISTOPH. GIÖRWELL, Regiae Bibliothecae scriba, *Holmiae* molitus est *Stockholms historiska Bibliotek*, i. e. Holmiae Bibliothecam historicam; quo in Diario, Historiae potissimum patriae dicato, Vitae hominum illustrium, recensiones librorum historicorum recentiorum, et alia notatu digna inueniuntur. Prodierunt sic *Partes tres in 8.* Postea mutauit non nihil institutum. Quippe mense Iulio dicti anni, *eadem forma*, inchoauit *Swänska Mercurium*, in quo, singulis continuando mensibus, maximam partem, Suecorum commodo, suppeditantur Excerpta ex Diariis exterorum v. g. Nouis litterariis Gottingensibus; neque tamen libri Suecici penitus sunt praetermissi. Dissertationes, et minora scripta, paucis tangi tantum solent. Interseruntur variae Virorum

rorum eruditorum Obſeruationes, quarum plures memorantur in *den Götting. gel. Anzeigen anno* 1758. *Parte* 37. *p.* 358. *ſq.* Aliquid ſpatii politica etiam continet. Bibliotheca vero hiſtorica, quum priores Partes duae deſiderarentur in tabernis, easque recudendas curare nollet Auctor, iam, ab *anno* 1757. continuatur *in* 4. titulo *Swänska Bibliotek* inſignita. Quauis hebdomada plagula diuulgatur, earumque quinquaginta ſingulari deſtinata ſunt Volumini. Alterum a. 1758. lucem adſpexiſſe, intelligitur ex Gottingenſium relatione *l. c. p.* 1369. Tertium anno ſequenti ſucceſſit. In hac Bibliotheca non niſi Hiſtoria Septemtrionalis nunc locum habet; narrationes contra de libris Nouisque litterariis in ſolo ſunt *Mercurio Suecico* requirendae. Id ſaltim incommodi hae ſecum ferunt Ephemerides, quod lingua patria, paucioribus exterorum familiari et vſitata, excuduntur. Germanis certe magis opportunae accidunt illae, quae adpellantur *die neueſte Geſchichte der Gelehrſamkeit in Schweden*, et ſupra *§. XXIII. ſub finem* producta ſunt et laudata.

§. XXXVI.

Nec deſtituimur Diariis, *Boruſſorum* ac *Polonorum* ſtatum litterarium exponentibus. Praecipue hoc nominari loco debet *das gelahrte Preuſſen, aus neuen und alten, gedruckten und ungedruckten, groſſen und kleinen Schriften, wie auch der gelahrten Männer, welche in Preuſſen gebohren, oder daſelbſt gelebet, oder von Preuſſiſchen Sachen geſchrieben, Nahmen und Leben, wöchentlich vorgeſtellet.* Architectus eſt GE. PETR. SCHVLTZIVS, Medicinae Doctor, et Gymnaſii olim Thorunienſis Profeſſor, qui *an.* 1722. *Thorunii in* 8. id Operis inchoauit adiutore Mich.

Mich. Lilienthalio, vti profitetur ipse in *Actis Boruss. Vol. III. p.* 857. Initio, quauis hebdomada, vnica plagula: tum vero a mense Aprili a. 1723. singulis mensibus Pars quatuor plagularum prodiit, exactoque semestri Volumen est absolutum. Patet iam ex titulo Germanico euidenter, libros hic recenseri et minora Opuscula, tam excusa, quam manuscripta, tam antiqua, quam recentissima, et ea quidem, quae Historiam Borussiae ciuilem ac litterariam illustrant: praeter haec vero interseri etiam Vitas doctorum, quos Borussia vel protulit, vel aluit, hominum, nec non varia Noua litteraria Regiomontana, Gedanensia ac Thorunensia. Edita sic fuerunt *Volumina quatuor*, quorum postremum praefert *annum* 1724. Vid. *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1724. *p.* 834. *sq.* et *p.* 879. *sq.* item *a.* 1725. *p.* 234. et *p.* 299. *sq.* vbi diligenter copioseque, quid Partes contineant singulae, indicatur. Idem Auctor *anno sequenti* prouexit nouo hoc titulo institutum: *Continuirtes gelehrtes Preussen, oder vierteljähriger Auszug aus allerhand Preussischen Büchern, nebst der gelehrten Männer Leben und Manuscripten, Anmerckungen von Preussischen Denckwürdigkeiten.* Perrexit eadem, vt antea, methodo; nec tamen ordinem amplius mensium obseruauit, quin potius quouis trimestri spatio Partem emisit duodecim plagularum: cum *quarta* interim *Parte* ipso adhuc *anno* 1725. finem imposuit Operi, iucundo certe lectu, hodieque parum obuio. Cf. de argumentis, ibidem legendis, *die Leipz. gel. Zeitung. a.* 1725. *p.* 787. et *a.* 1726. *p.* 425-434.

Paullo post laudatus SCHVLTZIVS, quamquam anonymus, exorsus est *den Preussischen Todes-Tempel, worinnen verstorbene Personen allerhand Standes von den auserlesensten Sachen der Preussischen, Pohlnischen, Schwe-*

Schwedischen, und Brandenburgischen geistlich- weltlich- und gelehrten Historie etc. wie auch neuen gelehrten Schriften in Preussen und Pohlen, mit einander redende vorgestellet werden. Constantinopel, in der neu angelegten Buchdruckerey, sine anno in 4. Vere librum in Prussia *a.* 1728. et 1729. esse typis impressum, docetur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1730. *p.* 49. vbi et videmus, praeter eruditorum Borussorum Vitas et Noua litteraria, variorum scriptorum, ibidem editorum, Excerpta in his legi Dialogis, quorum singuli ex nouem plagulis constant. Sedecim eorundem materiam esse primi Voluminis voluit Auctor: verum in *Catalogo Bibl. Bunav. Tom. I. Vol. 1. p. 603.* non nisi *quatuor* ac *decem* exhibentur, nec forte accesserunt his plures. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1728. *p.* 824.

Huc et pertinet: *die Pohlnische Bibliothec, welche von Büchern und andern zur Pohlnischen und Preussischen Historie dienenden Sachen ausführliche Nachricht giebt. Mentiri nescio: librum, si malus est, nequeo laudare. Tannenberg, wo Vladislaus Jagyello die Creutzherren schlug.* Haec est inscriptio Diarii, quod *Gedani* 1718. *in 8.* diuulgare, tecto nomine, instituit GODOFR. LENGNICHIVS, Gymnasii primum Gedanensis Professor, post Reipublicae Syndicus longe celeberrimus. Depromit ibi summa capita ex nonnullis Poloniae Borussiaeque Commentariis historicis, ac liberrime saepius, et aliquando non sine sale satyrico, de iis ipsis sententiam dicit. Addit hominum illustrium Vitas, historicasque Obseruationes, suo calamo exaratas. Mox autem desiit labor, in Historia Polonica vtilissimus, cum *Parte decima*, Indice instructa, vti Pars V; qui bini Indices ad caeteras quoque Partes sunt accommodati

modati. Cf. *Bibliotheca historica Struuio-Buderiana, Tomo II. p. 1508.* quo loco cuiuslibet Partis argumenta exacte indicantur.

Anno 1753. Varsouiae, seu *Lipsiae* potius, LAVR. MIZLERVS, adplaudentibus maxime exteris, emittere studuit *die Warschauer Bibliothec, oder gründliche Nachrichten, nebst unpartheyischen Vrtheilen, von allen Büchern und Schriften, sowohl alten als neuen, so jemahls in Pohlen heraus gekommen, oder von auswärtigen Gelehrten in Pohlen geschrieben worden.* Praeter tamen opinionem abruptum est institutum, ideoque *Partes* modo *quatuor in 8.* prostant. Interim, quae lingua tunc Germanica exposuerat, nunc Latine prosequitur clarissimus MIZLERVS: incepit nimirum *Acta litteraria regni Poloniae, et magni Ducatus Lithuaniae*, singulis trimestribus continuanda. Primum *Varsouiae* exhibitum est *a.* 1755. *in 4.* iamque, dum haec typographo tradenda, audio, Trimestre primum anni 1756. mens. Sept. anni sequentis prelo exiisse. Quoduis decem plus minus plagulas implet. Recensentur et hic libri cum noui, tum antiqui, Vitae hominum dignitate ac doctrina illustrium, varia item litteraria, quae nuper apud Polonos innotuere.

Nondum vidi, laudari tamen scio *Journal litteraire de Pologne, contenant un Recit exact des livres nouvellement publiés dans ce païs, avec plusieurs remarques utiles et curieuses.* Tomus I. plagularum decem octoque *anno* 1754. sine loci mentione, forsitan *Varsouiae*, adiunctis Nouis Poloniae litterariis et Indice rerum, *in 8.* prodiit. In Praefatione Auctoris nomen notatur siglis. F. Z. L. sub quibus CHRISTIAN. GOTTLIEB FRISIVM latere certum est. Quouis anno Tomi II. promissi fuerunt. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1755. *p.* 237. itemque *die*

Götting.

Götting. gel. Anzeigen eiusdem anni, p. 358. quo vero loco obferuatur, notas, occafione remotiori adiectas, diftrahere Lectoris animum, nec femper fignificari, qua fit lingua fcriptus liber, cuius memoratur argumentum. Sed hos quidem naeuos vitare in fequentibus Tomis facili negotio potuit Auctor doctiffimus, fi tales, quod ignoro, fucceſſerunt.

§. XXXVII.

Tandem de HISPANORVM etiam hac in re conatu vel tribus verbis dicendum eft. Apud eos, inaudito antea exemplo, *Madriti a. 1737. in 8.* lucem adfpexit *Diario de los Literatos de Efpanna.* Tomos VII. vsque ad *annum 1743.* editos poſſedit IOH. ERH. KAPPIVS, Profeffor Lipfienfis, adcuratamque huius Diarii defcriptionem fine dubio communicaffet mecum, nifi grauior morbus, quem paullo poft mors ipfa eft fequuta, Viri optimi et bonis litteris, et mihi fpeciatim, inferuiendi ftudium difturbaffet. Id ex Praefatione eius SAAVEDRAE *Gelebrten Republic, Lipf. a. 1748.* praemiffa, intellexi *p. 102.* auctores effe FRANC. DE LA HVERTA, IVAN MARTINEZ SALAFRANGA, et LEOPOLDO GERONIMO PVIG. Quum in *Tomo II.* Icti clariffimi, GREGORII MAIANSII, *Origines de la lengua Efpannola* vehementioribus maledictis effent laceffitae, defenfionem libri fui parauit Maianfius et hoc edidit titulo: *Converfacion fobra et Diario de los Literatos de Efpanna. La publico Don Placido Veranio. En Madrit 1737. 8.* Cf. laudatus KAPPIVS in *notis ad* JUVENEL. DE CARLENCAS *Verfuch einer Gefchichte der fchönen und andern Wiffenfchaften, P. II. p. 287. fq.*

Addimus nunc, ad finem huius Sectionis properantes, nonnullorum labores, qui Excerpta conti-

continent ex Ephemeridibus eruditorum. Ita CORN. A BEVGHEM, praeter Bibliothecas certarum tantum disciplinarum, ante iam *Tomo I. cap. 1. §. 20. p. 89.* memoratas, diuulgauit quoque *Adparatum ad Historiam litterariam nouissimam, seu Bibliographiae eruditorum critico-curiosae conspectum*, cuius *Tomi quinque Amstael. in 12.* prodierunt: *primus* quippe *a. 1689. alter a. 1694. tertius a. 1699. quartus a. 1701.* et *quintus a. 1710.* Videmus hic dispositionem harmonicam, vt ipse ait Auctor in titulo, Scriptorum Operumque, quorum summaria et contenta in Actis et Ephemeridibus Eruditorum vniuersae ferme Europae exhibentur. Iam *anno 1683. ibidem in 12.* huius viri studio producta fuerat *La France savante*, i. e. *Gallia erudita, critica et experimentalis nouissima* caet. de quo libro PETR. DES MAIZEAVX in *nota quadam*, adiuncta BAELII *Epistolis, Tomo II. p. 481. edit. Amst. a.* 1729. adornatae, sequentem in modum differit: *C'est une Liste de tous les livres, dont il avoit été parlé dans le* Journal des Savans, *depuis 1665. qu'il commença, jusqu' en 1681. inclusivement. Ils y étoient disposez 1) selon l'ordre du tems, où ils se trouvoient dans ces Journaux. 2) selon l'ordre alphabetique des noms des Auteurs. 3) selon l'ordre des matiéres: et cette derniere classe étoit divisée en cinq parties. Cette disposition fut censurée par Mr. Baillet dans ses Jugemens des Savans, T. II. p. 20. de l'edition d'Amsterdam en 1725. in 4. En effet, toutes ces Classes pouvoient être reduites à deux Tables alphabetiques; une des noms des Auteurs, et l'autre des ouvrages anonymes. C'est aussi le Plan, que Mr. Beughem suivit dans l' ouvrage intitulé:* Apparatus ad Historiam Literariam nouissimam - - - - *Ces Volumes contiennent tous les Livres, dont il est parlé*

parlé dans les Journaux, depuis 1665. jusqu' en 1700. inclusivement. Mr. Bayle remarque fort bien (v. Lettre 124. p. 481.) que cet ouvrage eſt d'un grand ſecours pour trouver bientôt l'endroit, où les Journaux parlent de tel ou tel Livre. *Il ſeroit à ſouhaiter, qu'on en donnât une nouvelle Edition, où après avoir corrigé quelques inexactitudes, et tiré pluſieurs Livres du rang des ouvrages Anonymes; on reunît les Tables des cinq Volumes, et on marquât les Diſſertations et les Lettres inſerées dans ces Journaux, et les Eloges des gens de Lettres, qui s' y trouvent.* Ab hac vero ſententia diſceſſit REIMMANN. in *Catal. Bibl. Tomo II. p. 765.* vbi exiſtimat, Auctorem varium eſſe ac mutabilem in methodo, et in adpendicibus addendisque, et corrigendis cumulandis ſatis liberalem quidem, ſed non ita ſufficientem, vt non ſexcenta addenda et corrigenda adhuc reliquerit. Librum hunc a Bibliographiae Critico curioſae titulo tam procul diſtare, vt nihil ſit eiusmodi in cella hac vinaria, quod promittit ſuſpenſa hedera. Bibliopolis forte, qualis fuit Beughemius, magis vtilem laborem ſubiungit, quam Bibliophilis et Reipublicae litterariae ciuibus. Verum eſt omnino REIMMANNI iudicium, quocum conferri meretur CAMVSAT *Hiſt. des Journaux Tom. II. p.* 120. *ſq.* Vid. etiam, quae dixi *ſ. IV. huius Capitis* circa finem. Interim dubium non eſt, peropportunum fore iis, qui pleriſque Diariis deſtituuntur, ſi quis, fundamenti loco poſitis Indicibus Beughemianis, libros, et alia, quae intermixta fuerunt, ex omnibus Ephemeridibus, ad hanc vsque aetatem, ſedulo notaret, paucisque iudicia recenſentium adſcriberet, ac methodo idonea in aliquot Voluminum redigeret Commentarios. Praeclara iam hac in re praeſtiterunt Lipſienſes, qui partim in *Nouis littera-*

litterariis Germanicis, partim in *den Beyträgen zu den gelehrten Zeitungen*, vti supra §. *XXII.* memoraui, ex nobilioribus variarum gentium Diariis collegerunt librorum descriptiones, cum Obseruationibus nondum editis, Elogiisque hominum eruditorum. Idem tentatum fuit, quod speciatim attinet ad Germanorum Ephemerides, *Erlangae a. 1747.* Eo scilicet tempore prodiit *Vollständige Einleitung in die Monaths-Schriften der Deutschen*, quo de instituto legantur *die Leipz. Gel. Zeit. a. 1747. p. 596.* Sex Partes explent Volumen *in 8.* Indicibus instructum; neque tamen plures vidi, praeter Voluminis III. Partem priorem, *a. 1754.* excusam. Auctores adcurati sunt omnino, et a partium studio alieni, qua de caussa labor eorundem vtilissimus de meliori commendandus est. Non sine fructu etiam Lectorem dimittet *Extrait de la Litterature de ce tems, contenant ce, qu' il y a de plus curieux dans les Journaux de France, et de plus interessant dans les autres ouvrages periodiques, qui ont quelque reputation en Allemagne*, (v. g. Journal des Savans, Memoires de Trevoux, Bibliotheque Germanique,) *à Mersebourg a. 1754. in 8.* Tomi I. Pars octaua ibidem est absoluta *a. 1756.* Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1754. p. 916. sq.* Eodem anno locoque in lucem pariter exiit *Auszug merckwürdiger Sachen, aus den neuesten MonathsSchriften der Gelehrsamkeit, mit Anmerckungen. Pars nona* subsequuta est *a. 1755.* Iam a. 1704. de simili cogitasse instituto Parisienses quosdam, discimus ex BERNARDI *Nouvell. de la Rep. des Lettres, a. 1705. mense Ianuario, p. 97.* Sed res exitu caruit prospero, vti me scribere memini sub finem.

CAPITIS SEXTI SECTIO II.

DE EPHEMERIDIBVS, IN QVIBVS CERTA ERVDITIONIS VARIAE ARGVMENTA MAXIME PERTRACTANTVR.

§. I. *Anglorum Philosophical Transactions, Miscellanea Academ. Nat. Curiosorum, et Continuationes, Acta Medica Hafniensia.*

§. II *Acta Nouae Academiae Philexoticorum Brixiensia, La Galleria di Minerva, Fabri Europ. Staats-Cantzley, Lehmanni historische Remarques, Obseruationes selectae Halenses.*

§ III. *Europäische Fama, Histoire de l' Acad. Roiale des Sciences, établie à Paris, Hällische auserlesene Anmerckungen.*

§. IV. *Electa Iuris publici Ienensia, Miscellanea Berolinensia, Theod. Crusii Vergnügung müssiger Stunden, Gundlingiana, Heumanni Acta Philosophorum, Noua Acerra philologica Halensis, Reinbeckii Freywilliges Hebopfer.*

§. V. *Miscellanea Lipsiensia Petzoldiana, Academische Nebenstunden, Exercitationes subseciuae Francofurtenses, Breslauer Sammlungen* caet. *Altes und Neues aus der gelehrten Welt.*

§. VI. *Franckii Biblioth. nouiss. Obseruat. ac Recensionum, Bibliotheca hist. philol. theologica Bremensis, eiusque Continuatio, Histoire de l' Academie Roiale des Inscriptions et belles Lettres.*

§. VII. *Bibliotheca litteraria, Londini Anglice edita, Parnassus Boicus, das erleuterte Preussen, Putonei Enunciata et Consilia, Bibliotheca Lubecensis, Schelhornii Amoenitates litterariae, Beyschlagii Sylloge variorum Opusculorum, Christii Noctes Academicae.*

§. VIII. *Nettelbladtii Schwedische Bibliothec, Kuchenbeckeri Analecta Hassiaca, Raccolta d' Opuscoli scientifici e filologici, Commentarii Academiae Scientiar. Petropolitanae, Koeleri Historische Müntzbelustigung, Acta Borussica.*

§. IX. *Saligii Electa Iuris, Miscellaneae Obseruationes in Auctores veteres ac recentiores, Commentarii Instituti Bononiensis, Eslor auserlesene kleine Schriften, Gerdesii Miscellanea Duis-*

Duisburg. et *Groningana*, item. *Scrinium antiquarium.*

§. X. *Acta historico-ecclesiastica, Nützliche Anmerckungen über allerhand Materien, Hessisches Hebopfer, Helmstädtische Nebenstunden, Tempe Heluetica, et Museum Helueticum, Lamii Deliciae eruditorum.*

§. XI. *Parerga Gottingensia, Lochneri merckwürdige Medaillen, Schriften der prüfenden Gesellschaft zu Halle, Oberlausitzischer Beytrag zur Gelahrheit, Nemeitzii vernünftige Gedancken, Abhandlungen der Königl. Schwedischen Academie der Wissenschaften.*

§. XII. *Miscellanea di varie Operette, Selecta Iuris publici nouissima, Lilienthalii Preussische Zehenden, Belustigungen des Verstandes und Witzes, Noua Miscellanea Lipsiensia Menckeniana, von Ludewig gelehrte Hallische Anzeigen.*

§. XIII. *Hamburgische vermischte Bibliothec, Hamburg. Magazin, Preussische Sammlung von Hanouio, Gorii Symbolae litterariae, Leipziger Sammlungen von wirthschaftlichen und Cameral-Nachrichten, Hohenthalii Oeconomische Nachrichten.*

§. XIV. *Marburgische Beyträge, The Student, Moseri kleine Schriften, Commentarii Societatis Regiae Scientiar. Gottingensis, Westphälische Bemühungen, Allgemeines Magazin, Noua Bibliotheca Lubecensis, Hällische Beyträge zur iuristischen gelehrten-Historie, wöchentliche Franckfurtische Abhandlungen, Bremisches Magazin, Winckleri Anecdota Historiae ecclesiasticae.*

§. I.

Nunc de iis dicendum Ephemeridibus, quibus varia eruditionis capita, studiosius pertractata, potissimum exhibentur. Seligam et hic loci eas tantum, quas esse in ista classe vel praecipuas credo, vel non vulgares certe; nec sequar vestigia non nullorum, qui nimis talium scriptorum Indicem extenderunt.

Et aetate, et raritate pretioque superiores omnibus sunt Anglorum *Philosophical Transactions, giving some Account of the present Vndertakings, Studies and Labours of the Ingenious in many considerable Parts of the World,* i. e. *Philosophicae Obseruationes, continentes relationem hodiernorum actorum, studiorum et la-*

et laborum inter ingeniosos homines in potioribus orbis partibus. Sunt haec Acta Regiae fructus Societatis, edita non iussu quidem eius, sed suopte consilio ac Marte, ab HENRICO OLDENBVRGIO, eidem ab epistolis, vti testatur ipse in admonitione ad Lectorem, *Vol. I. p. 160.* Lucem illud adspexit *Londini a. 1666. in 4.* perrexitque Oldenburgerus vsque ad Volumen XII. quod *anno 1679.* prodiit. Mortuo circa id temporis Collectore, coeptum ab eo Opus continuauit ROBERT. HOOKIVS, Mathematicus insignis, nomine tamen non expresso, mutatoque paullisper titulo, quippe illud *Philosophical Collections* inscribens. Debetur huic pars Voluminis XIII. tarde nimis producti, absolutique demum anno 1682. cura NEHEMIAE GREW, qui et priorem titulum atque methodum reddidit instituto. Voluminis XIV. Editor est ROBERT. PLOT, Director Experimentorum in Societate Philosophica Oxoniensi, et Secretarius Societatis Regiae. Volumen XV. profectum a GVIL. MVSGRAVE, Vol. XVI. ab EDMVNDO HALLEY, et sequentia duo a RICH. WALLERO accesserunt. Tum Operis curam suscepit, Volumenque XIX. vsque ad XXIX. exhibuit HANS SLOANE, cuius a. 1753. mortui vita recensetur in *den Gotting. gel. Anzeig. a. 1754. p. 473. sq.* itemque in *Commentar. Societ. Regiae Scient. Gotting. Tomo IV. in fine.* Successorem eius iam quidem ignoro: id certum tamen, a. 1758. *Voluminis quinquagesimi* Partem priorem, in qua Obseruationes anni 1757. leguntur, prelo exiisse. Cf. *die Götting. gel. Anzeig. a. 1753. p. 1379.* vbi de noua Operis dispositione dictum. Ephemerides illae, non iusto semper tempore continuatae, rarius in ipsa Magna Britannia inueniuntur integrae; ideoque tali thesauro merito superbit Bibliotheca Gottingensis Academica. Continent autem Relationes de

nouis

nouis experimentis naturalibus, medicis, chymicis, et mathematicis, quae magni ſunt momenti, Galliſque, Italis, Germanis ac Belgis adeo placuerunt, vt varia exinde in ſuas referrent Ephemerides certatim. Per plures annos aliquae librorum recenſiones intermixtae fuerunt, quod poſtea omiſſum. Nonnulla etiam Volumina in Latinum exſtant ſermonem translata. En! titulum: *Acta Philoſophica Societatis Regiae in Anglia, anni 1665. 66. 67. 68. 69. et 70. auctore Henr. Oldenburgio, Societatis Regiae Secretario, Anglice conſcripta, et in Latinum verſa, interprete C. S.* quibus ſub litteris latere CHRISTOPH. SANDIVM, ſecundum, nunc in aprico eſt. Prodiit hoc *ſex Voluminum* Opus *Amſtael. a. 1672.* vsque ad *a. 1681.* cum figuris aen. *in 12.* typiſque repetitum eſt, adiecto Indice, *Lipſiae a. 1675. in 4.* Neque tamen haec altera editio annum 1669. excedit Ante oculos habeo etiam Vol. primum Amſtaelodamenſe, anno 1674. diuulgatum. Annum ſimiliter 1669. a IOH. STERPINO, erudito quodam Hafnienſi, Latine redditum *Amſtael. 1671. in 12.* iterumque *Francof. eod. anno in 8.* cum tabb. aeneis ſcio ſeparatim eſſe emiſſum. Vterque autem labor diſplicuit, non vna de cauſſa, Oldenburgio, qui Voluminum ſuorum ipſe dare conſtituerat verſionem Latinam, niſi mors interrupiſſet conatum. Vid. IVNCKERVS *de Ephemer. erudit. p. 28. ſq.* Nouiſſimos ſui temporis annos Gallica expreſſit lingua, notiſque doctiſſimis illuſtrauit FRANC. DE BREMOND. Incepit ab a. 1736. hoc quidem conſilio, vt antecedentes proxime annos pedetentim adiungeret. Sed, Auctore a. 1742. in flore aetatis mortuo, non niſi *Vol. IV. in 4.* accepimus, aeneis ornata tabulis, et *Pariſ. a. 1738. 1740. et 1741.* nitide excuſa. Vol. I. *annos* 1735. *et* 1736. Vol. II. *a.* 1734. Vol. III. a. 1733. Vol. IV. denique *annos* 1731. *et* 1732. complectitur.

tur. Iam idem institutum persequi studet PETR. DEMOVRS. Sic enim breuiter scribit FORMEY *in France littér. p. 156. Il continue de traduire en François les Transactions de la Societé Royale de Londres.* Vt eorum consuleretur rationibus, qui a tanti tamque pretiosi Operis vsu exlcuduntur, primum id redigere in compendium tentauit IOH. LOWTHORPIVS. Debentur eidem *Volumina III. in 4. Londini a.* 1705. ac tertium *a.* 1722. hoc excusa titulo: *The Philosophical Transactions and Collections, from the Year* 1665. *to the Year* 1700. *abridg'd and dispos'd vnder general Heads* i. e. *Transactiones et Collectiones Philosophicae ab a.* 1665. *vsque ad a.* 1700. *in epitomen redactae, et per generalia capita dispositae.* Quo de labore ita in *Supplementis Actor. Erud. T. IV. p.* 290. differitur: *Pro dispendiis compendia vulgo habentur: ast Luthorpianum Transactionum Anglicarum compendium si Opere ipso praestare dixeris, a vero non aberraueris. Quae enim per Volumina fere viginti duo sine ordine sparsa, concinno ordine in conuenientia capita ab Auctore digeruntur. Cum in discursibus Auctorum, qui Diariis istiusmodi inseruntur, multa plerumque occurrant, quae ad rem propositam intelligendam apprime non faciunt; ea Noster omisit, in reliquis vero ipsa illorum verba sancte custodiuit, ne sua pro alienis venditasse videretur. Similiter librorum recensiones desuper habuit, nec denuo proposuit, quae iam aliis in scriptis traduntur, ea exhibiturus, quae alibi frustra quaeruntur. - - - Tria sunt compendii Volumina, quorum primum Mathematica, alterum Physica, tertium Anatomica, Medica, Chymica et Miscellanea* (nempe Grammatica, Chronologica, Historica et ad Antiquitates spectantia) *complectitur.* Methodo Lowthorpiana perrexit, et ab anno 1709. vsque

vsque ad a. 1720. *Volumina II. ibid. a.* 1721. addidit BENIAMIN MOTTE, primo Volumine Mathematica, Anatomica et Medica, altero Physica, Philologica et Miscellanea exhibente. Ab anno 1720. vsque ad annum 1732. REIDIVS et IOH. GRAY *ibid.* 1733. *Volumina II.* luci exposuerunt, hosque sequuti sunt IOH. EAMES et IOH. MARTYN, a quibus ab anno 1732. vsque ad a. 1743. itidem *Vol. II.* quae in ordine octauum et nonum efficiunt, continuatio est profecta. Vid. *Leipz. gel. Zeit. a.* 1747. *p.* 730. Verti etiam haec Epitome Italice coepit *Neapoli a.* 1729. studio TOMMASI DERBAM, sequentique inscriptione: *Saggi delle Transazioni Filosofiche della Società Regia*; quod institutum haud scio an felicem habuerit progressum. Cf. *Beytrag zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. IV. p.* 696. Tandem *anno* 1753. *Hafniae* prodierunt: *Neue Anmerckungen über alle Theile der Naturlehre, aus den Englischen Transactionen, und Parisischen Abhandlungen übersetzt.* Pars IV. haud ita pridem *in 8.* in tabernis librariis comparuit. Clariss. STOCKHAVSEN in *dem crit. Entwurf einer auserlesnen Bibliothec p.* 24. *edit. sec.* id saltim desiderat his verbis: *Vielleicht möchten einige Leser nur noch dieses erinnern, dass man verschiedene wichtige Artikel etwas ausführlicher, und oft etwas practischer möchte angezeigt haben.* Praecipua inuenta physica et mathematica selecta sunt ex Opere maiori in libro Anglice *Londini a.* 1705. *sq. tribus Vol. in 8.* edito, tertiumque *ibid. a.* 1726. in lucem producto, cui titulus: *Miscellanea curiosa* caet. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1705. *p.* 539. *sq.* Commodo eorum, qui rerum, in Diario Anglico obuiarum, Indicem exoptant, laudatus supra DE BREMOND *Paris. a.* 1739. *in 4.* edidit: *Table des Memoires, imprimés dans les Transactions philosophiques de la Societé Roiale de Londres, depuis* 1665. *jusqu' en*

 1735.

1735. rangée par ordre chronologique, par ordre des matiéres, et par noms d'Auteurs.

Laudabili, post coeptas Ephemerides has, instituto complures Viri illustres et celeberrimi Acta *Academiae Naturae Curiosorum*, de qua suo loco copiosius dicam, colligere studuerunt. Habemus quippe ab iis *Miscellanea curiosa medico-physica Acad. Naturae Curiosorum, siue Ephemeridum medico-physicarum Germanicarum curiosarum Decurias III.* quae *Lipsiae, Francofurti, Norimb.* et *Vratisl.* ab a. 1670. vsque ab a. 1706. *in 4to*, cum figuris aeneis excusae fuerunt, et ex XXIV. Voluminibus constant, binis non nunquam annis vnico Volumine emissis. Accesserunt duo *Indices generales*, cum Sylloge Auctorum alphabetica, *Norimb. a.* 1695. et *Frf. an.* 1713. *eadem forma* exhibiti, quorum prior, a IOH. PAVLO WVRFBAINIO confectus, Decuriam I. et II. alter Decuriam III. continet, et IOH. CONR. MICHAELI debetur. Interiecto deinde annorum aliquot spatio subsequutae sunt *Academiae Caesareo-Leopoldinae Naturae Curiosorum Ephemerides, siue Obseruationum medico-physicarum, a celeberrimis Viris, tum Medicis, tum aliis eruditis in Germania, et extra eam, communicatarum, Centuriae.* Prior et altera *Frf. et L. a.* 1712. *in 4.* tertia et quarta *Norimb. a.* 1715. quinta et sexta *a.* 1717. septima et octaua *a.* 1719. ibidem, nona tandem ac decima *a.* 1722. *Aug. Vindel.* lucem viderunt, multis tabulis aeneis exornatae. Constat igitur nouum hoc Opus ex Voluminibus V; quibus absolutis *Norimb. a.* 1739. GVIL. ANDR. KELLNERVS dedit *Indicem vniuersalem et absolutissimum rerum memorabilium ac notabilium medico-physicarum, quae in Decuriis III. ac Centuriis X. Ephemeridum Acad. Natur. Curiosorum, ab a. 1670. vsque ad a. 1722. seorsim hactenus editarum, exstant.*

exstant. Hoc Volumen, quod ex Partibus II. *in 4.* compositum, valde commendatur in *den Leipzig. gel. Zeit. a.* 1740. *p.* 13. Iam ante vero, ab *a.* 1727. *et sq. ibidem* complura Volumina, eadem forma, aeneisque itidem tabulis conspicua, prodierant hoc titulo: *Acta physico-medica Acad. Caesar. Leopoldino-Carolinae Nat. Curios. exhibentia Ephemerides, siue Obseruationes, Historias et Experimenta, a celeberrimis Germaniae et exterarum regionum Viris habita et communicata.* Volumen X. idque vltimum *a.* 1754. prelo exiit. Nunc institutum continuatur mutata nonnihil inscriptione; *ibidem* enim *a.* 1757. *in 4.* adornatus est Tomus I. *Nouorum Actorum physico-medicorum* caet. In omnibus hisce Voluminibus notabiles occurrunt Obseruationes physicae, medicae et chymicae, passimque inseruntur etiam praestantissimorum Medicorum Vitae, qua de caussa optandum est, vt nec in posterum languescat Sociorum doctissimorum industria. Rarius interim Opus integrum reperitur hodie in tabernis librariis; ideoque, vt et Chirurgis consuleretur, linguae Latinae plerumque ignaris, *anno* 1755. Norimb. incepta est versio Germanica, aliqua ex parte contracta. Omissae sunt quippe Obseruationes et Quaestiones mere physicae, philosophicae ac mathematicae. Ne tamen cuidam, Obseruationes quaspiam, ad Latini exempli ordinem numerosque alicubi adductas, euoluturo, remorae non nihil obiiciatur, illarum saltim inscriptiones sunt adiectae, vt numerorum series inturbata seruaretur. Superat nouum hoc Opus chartae candore, atque elegantiori, ac factum olim fuerat, tabularum aenearum incisione, Volumina Latina. Iam *anno* 1759. Pars VII. *in 4.* lucem vidit, hoc quidem titulo: *der Römisch-Käyserlichen Academie der Naturforscher auserlesene medicinisch-chirurgisch-anatomisch-*

chymisch-und botanische Abhandlungen. Caeterum cf. IVNCKERVS *de Diariis erudit. p. 32. sq.* et, qui adcuratissime copiosissimeque de hoc Opere, ac variis multorum, antiquiorum in primis, Voluminum editionibus, tam furtim, quam consentiente Academia, paratis, nuper disseruit, Vir illustris, ANDR. ELIAS BÜCHNERVS, in *Acad. Nat. Curios. Historia, Halae Magd. a. 1755. 4. mai.* a §. CVIII. vsque ad §. CXVII. *p. 319. sq.*

Similem, post Germanos, adgressi laborem sunt Dani, quorum *Acta medica et philosophica* ab a. 1673. vsque ad a. 1680. *Hafniae in 4.* Tomis V. prodiere. Auctores, praeter THOM. BARTHOLINVM, seniorem, cui praecipua debentur, recenset IVNCKERVS *l. c. p. 54. sq.* Sunt inter hos e. g. Olaus Borrichius, Simon Paulli, Olig. Iacobaeus, Nic. Benzo caet. Non autem Danorum tantum, sed variorum quoque exterorum Obseruationes hic leguntur physicae, medicae, chymicae, interspersis nonnunquam historicis, philologicis atque numismaticis. Vol. primum *anni 1671. et 1672.* alterum *anni 1673.* tertium quartumque, iunctim excusum, *anni* 1674. 75. *et* 76. quintum *anni* 1677. 78. *et* 79. acta proponit, simulque Opusculorum Hafniae scriptorum catalogum, cum breui quandoque argumentorum recensione. Mors deinde Bartholini continuationem interrupit. Cf. IVNCKER. *l. c. p. 49. sq.* Nuper ad hanc telam pertexendam accessere Regii Collegii medici apud Hafnienses Socii, *ibidem*que *a.* 1753. *in 4.* emisere *Prodromum, praeuertentem continuata Acta medica Hafniensia*, quo de instituto v. *Acta Erud. Lat. a.* 1757. *p.* 111. *sq.*

§. II.

Proximum his locum tribuo *Actis Philexoticorum Brixiensibus*, quae adpellationem traxere a Societate quadam Brixiensi, sub Venetorum ditione, ideo

ideo sic dicta, quia, vt ipsi Collectores in Praefatione scribunt, *sapidioribus exterarum nationum fructibus inhiant*, *atque id propter ea*, *quae in Italico solo nascuntur*, *proferunt*. Nomina quorundam Collegarum ex eorum Actis eruit IVNCKERVS *p. 66.* Sunt ii Hippolithus Fenarolus, Carol. Masperonus, Leonard. Cominellus, Bernard. Tombinus, Bern. de Bonis, Iul. Anton. Aueroldus, et Franc. Tertius de Lanis, seu Lana, qui auctor praecipuus fuit. Edidit haec Acta, Obseruationum physico-medico-mathematicarum plena, HERMES FRANC. LANTANA, Patricius Brixianus, et Societatis ab epistolis, hoc titulo: *Acta nouae Academiae Philexoticorum naturae et artis*, *Brixiae a.* 1687. *in 8.* Coeperunt autem a mense Martio *a.* 1686. et continuata sunt vsque ad m. Februarium anni sequentis. Mors enim Lanae institutum statim in herba suppressit. In fine cuiusque mensis libri aliquot, in Italia recens excusi, perspicue recensentur, et *p. 234.* antiquus numus Augustae Gneae Corneliae Superae, vt et exemplar duorum numismatum Siamensium profertur; *pagina* vero 239. mors Lanae, Religiosi e. S. Iesu, indicatur, tandemque Index additur rerum in Actis propositarum, teste IVNCKERO *p. 67.*

Nouum deinceps huius generis apud Italos emicuit Diarium, inscriptum *La Galleria di Minerva*, *o vero Notizie universali*, *di quanto è Stato scritto da Letterati di Europa*, *non solo nel presente secolo*, *mà ancora ne già trascorsi*, *in qualunque materia*, *sacra e profana* caet. Tomus primus prodiit *Venetiis a.* 1696. alter 1697. tertius 1700. quartus 1704. quintus 1706. sextus 1708. septimus, qui finem conatui imposuit, *a.* 1717. *in f.* Singuli Tomi in duodecim diuisi Partes sunt, in quibus non tam libri noui recensentur, (licet hi quoque interdum) quam variae exhibentur, eaeque dignissimae lectu, Obserua-

ſeruationes, Epiſtolae ac Diſſertationes diuerſi argumenti, antiquae pariter ac recentioris aetatis. Nomina Auctorum, quae ſunt plerumque adiecta, magno numero exſtant in FABRICII *Conſp. theſauri litt. Italiae p.* 7. vbi et memorat, paſſim exponi eruditorum hominum Vitas. Coaluerat certa Societas, *Academia della Galleria di Minerva* dicta, cui Opus hoc debetur, rarius hodie, ſi ſit integrum, in Bibliothecis occurrens. Plura tamen, quam caeteros, ad illius editionem contribuiſſe APOSTOLVM ZENVM et IOH. ANT. ASTORIVM, Academiae ab epiſtolis, FRANC. FARINAM, PASQVALE et IAC. BIONDI, ſuſpicatur IOH. CHR. GOETZIVS in *den Merckwürdigkeiten der Königlichen Bibliothec zu Dresden, Vol. III. p. 30.* Idem, parum illud adcurate eſſe excuſum, nec paginas iuſto ordine numeratas, ipſosque Italos haud admodum probaſſe inſtitutum, adſerit, quamquam et fatetur, magni omnino aeſtimari Diſſertationes Epiſtolasque, ibidem obuias, ex quibus bene multas indicat, tam Italice, quam Latine exaratas. Monet ſimul, frequenter conſpici in eodem figuras aere pariter lignoque expreſſas.

Inter Ephemerides, Iuris publici prudentiam illuſtrantes, ſingulari excepta plauſu fuit ANTONII FABRI *Europäiſche Staats-Canzley.* Sub ficto hoc nomine latet CHRISTOPH. LEONHARD. LEVCHTIVS, Reipubl. Norimberg. quondam Conſiliarius, qui *Norimb. a.* 1697. adgreſſus eſt ampliſſimam hancce Collectionem, permulta omnino ad ſtatum Comitiorum, abuſus opificiorum, commercia, ius monetandi, militaria et curialia Germanorum caet. continentem. *Anno* 1758. prodiit Pars tertia ac decima ſupra centeſimam *in 8.* et iuſtae quidem magnitudinis, vt caeterae. Priores vsque ad

ad octauam et vicesimam attribuendae sunt laudato Leuchtio, post quem ignotus mihi Ictus continuationem suscepit. Partem nonam et septuagesimam, vsque ad Partem quartam et centesimam edidit IOH. CAR. KOENIG, Antecessor tandem Halensis, a. 1753. non sine graui damno Iurisprudentiae numero viuentium ereptus. Qui nunc eiusdem partes agat, adcurate haud scio. In Opus tot Voluminum, quae non nunquam negligenter habita, parumque emendate lucem adspexerunt, octo etiam Indices locupletissimi prostant. Priores quatuor, vsque ad Partem XLVIII. excurrentes, *Norimb. a.* 1729. reliqui *Frf. et L. a.* 1740. 41. 52. *et* 54. editi sunt, semperque vnus Index Partes XII. complectitur, praeter septimum et octauum, qui ad Partes XIV. sunt adcommodati. Atque sic inueniri haud difficulter possunt, quae in centum Voluminibus adferuntur, memorabilia.

Anno 1699. PETR. AMBROS. LEHMANNVS *Hamburgi in 4.* exire iussit *Historische Remarques über die neuesten Sachen in Europa.* Quauis hebdomada plagula vna est exhibita, omnesque, absoluto anno, Titulo et Indice sunt instructae. Sub finem plagulae libri nuper editi plerumque indicari solent: quandoque agitur etiam de controuersiis eruditorum, aliisque rebus, lectu iucundis. Maximum tamen laboris pretium consistit in explicatione nummorum, Germanicorum praesertim, quod factum cum Volumine IV. ab anno 1702. ita quidem, vt numismata, aere expressa, primo statim plagulae adspectu occurrant. Anno 1707. cum Volumine IX. Auctor Operi, de meliori commendando, at hodie rariori, finem imposuit. Additus est a. 1711. Index generalis.

Initio huius saeculi *Halae Magd.* colligi coeperunt *Obseruationes selectae, ad rem litterariam spectantes*

spectantes. Leges instituti erant, vt Historiae omni, cum primis litterariae, lucis aliquid accenderetur, errores communes refellerentur, fabulae et commenta, vulgo recepta, exploderentur, Virorum, errorum, haereseos, aut atheismi perperam suspectorum, iniusteue a posteris ignominia notatorum, vindicaretur existimatio, aliorumque doctrina illustrium Vitae exponerentur. Nec res morales, physicae, medicae, iuridicae, atque theologicae hic desiderantur. Primos Auctores, inita certa Societate, fuisse constat tres Academiae Fridericianae Professores, longe celeberrimos, scilicet CHRIST. THOMASIVM, qui moderator fuit Operis, GE. ERN. STAHLIVM, atque IOH. FRANC. BVDDEVM. Permiserunt hi aliis etiam suas conferre symbolas, ideoque magno numero tales congesserunt BVRC. GOTTHELF STRVVIVS, GVIL. ERN. TENTZELIVS, NIC. HIER. GVNDLINGIVS, GE. BEYERVS, IAC. FRID. REIMMANNVS, caet. Obseruationes complures ex schedis parentis sui, IACOBI, inseruit Thomasius: nomina vero Auctorum nullibi praefixa sunt. Satisfacturus igitur legentium in Scriptores occultos auiditati CASP. HENR. STARCKIVS, Sacerdos olim Dioeceseos Lubecensis, *Rostochii a.* 1716. *in 8.* edidit Επίμετρον *ad Placcii Theatrum Anonymorum, Obseruationum Halensium Latinarum Auctores detegens.* At quum saepius a Starckio erratum esse, obseruaret THEOD. CRVSIVS, instructiorem is ipse dedit Indicem in *Vergnüg. müssiger Stunden*, *P. XI. art. 2. p.* 71. *sq.* Tum STOLLIVS etiam in *der Nachr. von den Büch. seiner Biblioth. Tom. II. p. 425. sq.* Auctores Obseruationum varios nominauit. Multi tamen ipsi fuere incogniti, nec singulas iis tribuit, ad quos iure sunt referendae. Mouit hoc HEVMANNVM, cuius hic non nunquam stilo vsus sum,

vt

vt in *Miſſcellaneis Nouis Lipſienſibus* a MENCKENIO diuulgatis, *Vol. I. p. 292 ſq.* Indicem Auctorum longe pleniorem et adcuratiorem cum eruditis communicaret. Quosdam vero Vir laudatiſſimus explorare plane non potuit, quo pertinet e. g. *Obſeruatio* 15. *Tomi VII. de vita, morte ac ſcriptis Hugi Grotii*, quam deberi IOH. GERH. MEVSCHENIO, poſtea didicit demum ex Catalogo ſcriptorum eius, monente id Appendicula *Vol. II. Lipſienſium Miſcellaneorum p. 736.* Primus quidem et ſecundus *Obſeruationum* Tomus prodiit *Hal. Magd. a.* 1700. tertius et quartus *a.* 1701. quintus et ſextus *a.* 1702. ſeptimus *a.* 1703. octauus et nonus *a.* 1704. decimus *a.* 1705. *in 8.* Acceſſit Additamentum ad omnes Tomos X. quod, aeque vt ii ſinguli, Obſeruationum ac rerum Indice inſtructum eſt. Gundlingiana Opuſcula, iis inſerta, vna cum eiusdem Praefatione *de Dedicationibus, libris praefigi ſolitis*, quae Tomum III. Obſeruat. Halenſium ornat, excuſa ſeparatim exſtant in *Tomo II. Obſeruationum Selectarum a.* 1737. *in 8.* praemiſſo Viri ſummi nomine diuulgatarum, a *pag.* 1. vsque ad *p.* 205. Caeterum varia vtique de Obſeruationibus Halenſibus eruditorum ſunt iudicia. Primi Editores, et caeteri, horum qui ſequebantur veſtigia, quum a. 1704. recederent ab inſtituto fere omnes, vel grauioribus impliciti negotiis, vel aliis de cauſſis: bibliopola, oblato operae pretio, Viros complures inuitauit, vt ſuas ipſi transmitterent lucubrationes. Exinde maximam partem compoſiti ſunt Tomi X. et XI. ſiue Additamentum. Tomi autem IX. Obſeruationes omnes auctorem habent IAC. THOMASIVM, adeoque non merentur titulum *Halenſium*, ſed *Lipſienſium* potius, *Obſeruationum.* Nec eſt haec ſola bibliopolae fraus, ſed Lectori etiam, ſcripta noua, certe nondum edita, exſpectanti

ctanti, talia vnice ſuppeditat, quae iam dudum proceſſerant in publicum. Vid. HEVMANN. *l. c. p.* 314. Multa omnino, pro libertate ſentiendi, tunc in Academia Halenſi introducta, occurrunt, quibus album adiicere calculum dubitarunt inueteratarum opinionum patroni, paſſimque v. g. in Diario theologico, *Vnſchuldige Nachrichten* inſcripto, diſputatum eſt contra nonnulla capita. Neque tamen negari poteſt, inſignem etiam doctrinae adparatum in Obſeruationibus Halenſibus proponi, et argumenta ſingularia pertractari haud vulgariter.

§. III.

Anno 1702. apud Lipſienſes prodiit *die Europäiſche Fama, welche den gegenwärtigen Zuſtand der vornehmſten Höfe entdecket, in 8.* quod vtiliſſimum lectuque iucundiſſimum Diarium res in aulis Principum hoc noſtro ſaeculo geſtas eleganter, quantumque fieri potuit, adcurate, non nunquam et ſatyrice, exponit, quod maxime in prioribus Voluminibus obſeruatur. Caſtigare ideo hanc libidinem ſtuduit IOACH. CHRISTOPH. NEMEITZIVS ſingulari *de modeſtia Hiſtoricorum in cenſuris Principum obſeruanda* libello, *Londini Scanor. a.* 1709. *in 8.* excuſo, iamque rarius obuio. Primus Famae huius auctor fuit PHILIPP. BALTH. SINOLDVS a SCHÜTZ, qui vsque ad annum 1711. circiter Operis curam geſſit. Huic alii ſucceſſerunt, quos inter noui CHRIST. GODOFR. HOFFMANNVM, Ictum tunc Lipſienſem, poſt Viadrinum, cui Partes centeſima et nonageſima nona vsque ad Partem ducenteſimam, quinquageſimam et primam adſcribendae. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1735. *p.* 827. CAROL. etiam GVIL. GAERTNERVM, iam Senatus aulici Imperialis Collegam perilluſtrem, Partes

aliquas

aliquas elaborasse, memoratur in *dem Juristischen BücherSaal*, *Parte IV. p. 356.* Processit labor vsque ad *annum 1735.* quo cum Parte CCCLX. et Volumine XXX. eidem certo est modo finis impositus; statim autem, nullaque interiecta mora, eius est in locum substituta *die Neue Europäische Fama*, cuius parentem dicunt GOTTLIEB SCHVMANNVM, Virum aliis etiam scriptis clarissimum. Bibliopola mutauit propterea titulum, quod non omnium, rerum nouarum cupidorum, rationes ferebant, tot sibi comparare Volumina, per triginta et quod excedit, annos diuulgata. Hi ipsi ergo nouarum Partium Opus minori impendio sensimque acquirere potuerunt. Nunc et hoc desiit cum Volumine XVI. cuius Pars CXCII. vltima est, edita *a. 1756.* Caussae finiti negotii exponuntur *p. 928. sq.* Singulae *Antiquae* et *Nouae Famae* Partes, quarum duodecim Volumen iustae magnitudinis implent Indice instructum, vel Principis, vel hominum omnibus belli ac togae dotibus hoc saeculo eminentissimorum, prae se ferunt effigiem. De pretio huius Diarii laudatus HOFFMANNVS, antequam ipse ad eiusdem continuationem accesserat, ita scribit in *den aufricht. Gedancken über die Iournale*, *Parte III. p. 231: die Europäische Fama hat allezeit eine gute Famam in der gelehrten und politischen Welt gehabt. Die Vorsorge des berühmten Herrn Verlegers* (Ioh. Fr. Gleditschens) *hat hierzu nicht wenig beygetragen. Die Accuratesse und Nettigkeit derer vor jedem Theile sich befindenden Portraits hat viele Liebhaber gefunden - - Ueber dieses ist die Einrichtung von diesem Iournal billig zu loben. Die Herren Autores bedienen sich einer freyen und ungezwungenen Schreibart, welche auch geringe Sachen und unnöthige Vm-*

stände mit einer Anmuth vorträget. Sie eröffnen ihre Gedancken, und verfallen bisweilen auf lustige und satyrische Expressionen, welche dem unordentlichen Appetit derer Leser gemeiniglich gar wohl anstehen. Sie lassen auch Acta Publica, Friedensschlüsse, Briefe, Reden, u. w. d. m. von grossen Herren in ihr Iournal einrücken, damit auch diejenigen ihre Satisfaction finden mögen, welche dergleichen curieuse Piecen conseruiret wissen wollen. Ferner muß man auch mit Danck annehmen, daß sie von grossen Herren und andern bekannten Personen particularia communiciren, welche theils aus einer guten Correspondenz, theils particulieren Obseruation genommen sind, wie denn auch sonst nichts unterlassen wird, was nur einiger massen unter die Nouitaeten und Curiositaeten kann gerechnet werden, daß man davon Nachricht zu geben sich nicht bemühen sollte. Vera haec esse omnino, harum rerum peritiores nullo negotio perspicient. Nunc autem ii, qui vtuntur laudato Opere, in votis habebunt, vt accedat integrum Volumen, Indices vniuersales continens. De aliis Diariis historico-politicis Cf. *Bibl. histor. Struuio-Buder. T. I. p. 136. sq.* et HOFFMANNI *Biblioth. Iur. publ. p. 63. sq.*.

Maximi momenti in rebus physicis et mathematicis Opus est *Histoire de l' Academie Roiale des Sciences, établie à Paris 1666. depuis son renouvellement* (1699.) *avec les memoires de Mathematique et Physique, tirez des Registres de cette Academie, à Paris a. 1702. sq. in 4.* Priora Volumina XLI. edidit BERN. LE BOVIER DE FONTENELLE, qui Vir doctissimus a. 1757. centum fere annorum senex occubuit. Reliqua Volumina, post eum, adiunxit IOH. PAVL. GRANIEAN DE FOVCHY, perpetuus,

vt

vt ille, Academiae Secretarius ab anno 1744. Vid. *La France littér. par* FORMEY, *p. 183.* Praeter eorum, quae singulis annis aciderunt in hac Societate, expositionem adcuratam, exhibentur integrae Dissertationes, a Collegis conscriptae, nec indignae, quae ederentur, ac tandem sequuntur elogia morte sublatorum. Repetere hic loci iuuabit verba CAMVSATI *Hist. des Journaux T. II. p. 169. Le Secretaire* ait, *qui est chargé de publier cet Ouvrage, - - - est maitre de donner aux materiaux, qu' il a entre les mains, la forme, qui lui paroit la plus convenable. On ne sauroit assez se représenter la peine, qui accompagne ce travail. Il exige de celui, qui l' entreprend, une connoissance profonde des Sciences, dont il doit traiter, un esprit juste et methodique, beaucoup de précision et de netteté. L' Academie des Sciences ne pouvoit confier cet Ouvrage à personne, qui fut plus en état d' y réussir, que M. de Fontenelle. On est étonné de voir, comment il sait embellir des sujets, qui par eux-mêmes semblent incapables de recevoir de l' agrément. Sur tout it excelle à mettre les matieres les plus abstruses au niveau des moindres esprits. Plusieurs Academiciens ont reconnu, qu' ils lui étoient redevables d' une clarté, qu' ils n'avoient jamais pû acquerir par eux-mêmes; et M. Parent l' a remercié plusieurs fois, de ce qu' il avoit, disoit il, éclairci.* Idem *p. 170. nota 8.*) *Praefationem*, Volumini I. praefixam, vehementer commendat. Scribit quippe: *Cette Preface, qui roule sur l' utilité des Mathematiques, est un Chef-d' Oeuvre, et peut être mise en parallele avec les plus belles Prefaces, que nous ayons.* Iam Volumina, *Parisiis* diuulgata, habemus tria et quinquaginta, quorum vltimum ad *a. 1753.* spectat. Primum *ibid. 1718.* re-

 cusum

cusum est. Excedit pretium eorundem ducentos Imperiales, ob typorum et chartae nitorem, tabularumque, aere excusarum, insignem copiam. Rationibus igitur eorum, qui tantum nummorum in hocce Diarium impendere vel nolunt, vel nequeunt, consulere studuerunt librarii Amstaelodamenses editione noua, quam inde ab *anno 1706. in 12. mai.* adornarunt. Sed et haec, cuius *a. 1754.* Volumen secundum et octogesimum absolutum est, vix poterit minoris emi, quam quinquaginta Imperialibus. Indicem in grande hoc Opus vniuersalem vsque ad a. 1734. vno Volumine *in 4.* et tribus Voluminibus *in 12.* vt vtrique editioni inseruiat, confecisse PETR. MASSVETVM, Medicum Leidensem, docet Clar. FORMEY *in France littér. p. 234.* Alios tamen Indices Voluminibus quinque *in 4.* exstare noui etiam, quorum Partem aliquam, ab a. 1731. vsque ad a. 1740. editam *Parisiis anno 1747*, elaborauit PETR. DEMOVRS. FORMEY *l. c. p. 156.* Successit eiusdem industria *anno 1758.* nouum Volumen ab a. 1741. vsque ad a. 1750. Apud nos Vir illustris WOLF. BALTH. ADOLPH. DE STEINWEHR, ex Gallico vertit Germanice Commentationes Academiae Parisiensis physicas, quarum ab *a. 1748.* vsque ad *a. 1759.* Partes tredecim *in 8. mai. Vratislauiae* editae sunt. Idem *a. 1749. et sq.* dicta in vrbe diuulgauit quoque anatomicas, chymicas et botanicas. Partem octauam a. 1757. accepimus. Omnes figuris sunt aeneis exornatae. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1748. p. 500.* et *a. 1750. p. 486.* Solam Historiam Academiae, cum elogiis Sociorum mortuorum, et Praefatione modo laudata, vt iis prodesset, qui Opus antea memoratum legere recusant, separatim luci exposuit FONTENELLIVS *Paris. anno 1708. et 1717. Tomis II. in 12.* recusis post cum *Amstael. a. 1709. et 1720. ead. forma*, tum

tum in *Tomo III. Operum Fontenellianorum in f.* Cf. IAC. BERNARDI *Nouv. de la Rep. des Lettr. m. Oct. 1708. p. 460. sq.* Ex hisce, et aliis celeberrimarum in Europa Societatum Ephemeridibus optima quaeuis colligere, et publicos ad vsus producere constituerat IOH. BERRYAT, Doctor medicus. Prodierunt etiam, post eiusdem obitum, *Diuioni* et *Antissiodori* (à Dijon et à Auxerre) *anno* 1754. *in 4. mai. Tomi II.* tabulis aeneis pulchriores hoc titulo: *Recueil de Memoires, ou Collection de piéces academiques, concernant la Médécine, l' Anatomie et la Chirurgie, la Chymie, la Physique experimentelle, la Botanique et l' Histoire Naturelle, tirées des meilleures Sources.* Caeteros tamen, qui, mutato nonnihil titulo, subsequuti adhuc sunt, Tomos IV. non vidi. Commentarios ab hac Academia olim adoptatos, ac diuersis temporibus in typographia Regia excusos, at rarissime obuios, GVIL. IAC. GRAVESANDIVS *Hagae Com. a. 1731. in 4. mai.* Tomis V. hac inscriptione collectos exhibuit: *Memoires de l' Academie Roiale des Sciences, contenant des Ouvrages adoptez, avant son renouvellement.* Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1732. p. 70.* Ad imitationem Obseruationum selectarum Halensium, et vt iis etiam prospiceretur, qui linguae Latinae non satis sunt gnari, *Halae Magd. a. 1704. in 8.* edi coeperunt *Auserlesene Anmerckungen über allerhand wichtige Materien und Schriften.* Partes tamen V. existunt modo, Indicibus singularibus locupletatae. Postrema non habet annum adiectum, at videtur 1708. successisse. Pars I. varia de Scholis Germanice reddita continet, quae iam Latine leguntur in *Obseruationum Halensium Tomo I.* et a CHRIST. THOMASIO fuerant suppeditata. In posterioribus autem non nulla exstant, quae noua sunt, nec indigna notatu. Inter auctores nomen suum profitetur REIMMANNVS in *Catal. Bi-*

bliotb. Tomo II. p. 702. Nos etiam, ait, *non paucas ex iisdem Obseruationibus elucubrauimus. Quas certis de caussis silentio praeterire, quam digito monstrare malumus.* Exploratum est, ex eius calamo profluxisse *Obseruat. VII. Partis II. p. 134. sq.* Nec dubito, eidem adscribendas esse *Obseruationes XI.* et *XIV.* hac ipsa in *Parte, p. 207.* et *p. 380. sq.* Quae occurrunt in *Parte V. Obseruationes I. III. IV.* et *V.* eas fecit GVIL. TVRCKIVS, teste *Praefatione*, huius *Specimini Histor. sacrae Hal. 1712. in 8.* praefixa: GOTTLIEB autem STOLLIVS binas sequentes adiecit. GVNDLINGIO etiam et FRID. HOFFMANNO partem laboris tribuit DAN. EBERH. BARINGIVS in *Praef. Clauis diplomat. p. 47. edit. prioris.* Tantum interim hoc Opus eruditionis non redolet, quantum decerpi potest ex Obseruationibus Latinis. Taceo, quaedam argumenta Codicis sacri exposita multorum Theologorum indignationem excitasse.

§. IV.

Inter recentiores Actorum publicorum Collectiones de meliori commendari debent *Electa Iuris Publici, worinnen die vornehmsten Staats-Affairen in Europa, besonders in Teutschland, aus bewährten Actis Publicis, mit Beyfügung der Schreiber, Memorialien, Conclusorum, Informationen*, caet. *in forma, oder durch accuraten Extract, recensiret werden.* FABRICIVS in *Diarior. litter. Notitia, Polyh. Morhof.* praemissa, Cassandrum Thucelium, seu Christ. Leonh. Leucht, supra laudatum, auctorem dicit, at falso. Causam errandi sine dubio dederunt *Electa Iuris Publici curiosa, Frf.* seu *Ienae a. 1694. in 4.* ab eodem edita. Iam nemo facile ignorabit, prioris Operis initia referenda esse ad GE. MELCH. DE LVDOLF, Consiliarum tunc in aula Isena-

Isenacensi, tandem Camerae Imperialis Adsessorem; quod ipse docet in *Vita* a se scripta, et, HEVMANNO adiutore, *Gottingae a.* 1740. *in 8.* excusa. En! verba integra *p.* 53. obuia: *Prodierunt meo consilio et opera Electorum Iuris Publici Tomi duo, et pars aliqua tertii. Reliquum in tertio, et omnia Tomorum sequentium, si excipias in quarto Tomo vnum alterumque caput a me additum, sunt aliorum, quos tamen ab instituto meo multum deflexisse vidi.* Continuationem postea suscepisse IOH. IOACH. MVLLERVM, intimum Secretarium Vinariensem, Virum scriptis aliis celeberrimum, quaedam tamen inserta esse quandoque, quae tecto nomine sint transmissa, indicat illustris BVDERVS in *Bibliotheca Iuris selecta, Cap. XVI. §. 8. p. 673. edit. nouiss.* Tomus I. *Ienae a. 1709. in 8.* lucem vidit: Tomus XX. *ibid. a. 1724.* Accesserunt *Supplementorum Partes V. a. 1725.* Quilibet Tomus, quorum primus *a.* 1711. et 1713. recusus est, Partes complectitur XII. CHRISTIAN. GODOFR. HOFFMANNVS in *Biblioth. Iur. Publ. p.* 43. ita scribit: *Insigni haec prae aliis gaudet Collectio praerogatiua, quod in ea instructissimae reperiantur Obseruationes de grauissimis iuris publici materiis, et quod illustrium controuersiarum argumenta neruoso ordine recenseantur.* Nominat postea praecipua capita, quae in singulis tomis pertractantur. Index adcuratus et vniuersalis, iam pridem exspectatus magno desiderio, nunc, post tot annorum spatium, vix est sperandus.

Dicendum quoque de *Miscellaneis Berolinensibus, quae sunt ad incrementum Scientiarum ex scriptis, Societati Regiae exhibitis, edita.* Initium factum *Berolini a.* 1710. Continuatio I. sequuta est

ibid. 1723. Cont. II. *ibid.* 1727. Contin. III. *ibid.* 1734. Cont. IV. *Hal. M.* 1737. Contin. V. *Berol.* 1741. Contin. VI. *ibid. a.* 1743. adeoque ſunt generatim *Volumina ſeptem*, mediocris molis, figuris aeneis Indicibusque exornata *in* 4. Ad tres vero claſſes reuocanda ſunt ſcripta et Obſeruationes non Sociorum tantum, ſed aliorum etiam Virorum eruditorum, aut experientia valentium: ſcilicet ad phyſica et medica, ad mathematica, et ad litteraria i. e. hiſtorica et philologica. Poſt haec illuſtris Academia nouos laborum ſuorum fructus nouo habitu orbi offerre litterato coepit, diuulgata *Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences et des belles Lettres de Berlin, année 1745. avec les Memoires pour la même année, tirez des Regiſtres de cette Academie.* De inſtituto vid. *Acta Erudit. Lat. a. 1748 m. Aug. p. 453.* ex quo loco transferre ſequentia licebit: *Varia ſunt, quibus hoc Opus ab eo, quod antea ſub titulo* Miſcellaneorum Berolinenſium *prodiit, differt. Primo non merae hic apparent Diſſertationes integrae, ſed ad modum Academiae Pariſienſis praefigitur* Hiſtoria, *qua partim ipſae hae Diſſertationes*, Commentariorum *nomine inſignitae, recenſentur; partim quoque aliae Obſeruationes breuiores afferuntur, variaeque in iis materiae ſuccincte diſcutiuntur; partim laborum, a Sociis ſuſceptorum, ratio redditur; additis Sociorum, eo anno defunctorum, elogiis. Dein Gallicam linguam prae Latina eligere placuit iis, quibus praeſentis Operis editio debetur; cuius rei rationem, neſcimus quam recte, eam reddunt, quod huius campus quotidie anguſtioribus circumſcribatur limitibus, illa contra magis magisque optimorum quorumuis Operum interpres euadat.* (Vera forſitan mutatae linguae cauſſa

caussa haec est, quod Rex Borussiae Gallicam praecipue in deliciis habet.) *Denique*, *quum huc usque tribus tantum classibus*, *mathematica*, *physica*, *historica*, *omnia comprehensa sint*, *his additur quarta*, *philosophica*, *qua materiae*, *ad Metaphysicam*, *Philosophiam practicam*, *et Ius Naturae pertinentes*, *tractantur*. Hac methodo lucem adspexit Tom. I. *Berol.* 1746. *in* 4. *mai.* annisque sequentibus caeteri accesserunt, et nunc quidem prostat Tomus XIII. *a.* 1759. editus. Singuli multis figuris in aes incisis conspicui sunt, totiusque Operis curam adhuc sustinuit clariss. FORMEY.

THEODORI CRVSII, in Ducatu quondam Suidnicensi et Iaurauiensi Aduocati doctissimi, *Vergnügung müssiger Stunden*, *oder allerhand nützliche zur heutigen galanten Gelehrsamkeit dienende Anmerckungen*, prodire coeperunt, nomine Auctoris non adiecto, *Lipsiae a.* 1713. *in* 8. Non nisi *Partes viginti*, quae Volumina II. implent, at rarius hodie inueniuntur integrae, me videre memini. Vltima excusa est *a.* 1732. Varia illustrantur Historiae litterariae capita; praecipue autem agitur de singularibus eruditorum, et scriptorum, ab iis editorum, fatis. In fine Partis Vita docti Silesii plerumque locum occupat, cuius et effigies in fronte adparet.

Longe autem sunt maioris momenti *Gundlingiana*, quae Viro memoriae immortalis, NICOL. HIERON. GVNDLINGIO, Academiae olim Fridericianae Professori, debentur. Partes pulcherrimi Operis habemus quinque et quadraginta, quarum prima *Halae Magd. a.* 1715. postrema *ibid. a.* 1732. post Auctoris obitum typis impressa. Quinque semper Partes, Indice Scriptorum ac rerum instructae, Volumini satis commodo adsignatae sunt.

Insignis hic adparatus proponitur Dissertationum et Obseruationum, quibus selecta argumenta Iurisprudentiae omnis, Philosophiae, Historiarum, artis criticae reique litterariae, nonnunquam etiam Theologiae, solita tanti Polyhistoris doctrina pertractantur. Lingua vtitur is modo Germanica, modo Latina. Non tamen omnia exacte respondent veritati. Occurrunt enim, quae ingenium produnt magis, quam rationum grauitatem ac pondus. Recte pariter REIMMANNVS iudicat *Catal. Biblioth. T. II. p.* 608. vbi sic loquitur: *Docet αὐτοψία, non parem diligentiam ad hasce Dissertatiunculas collatam, sed plus industriae in vna, quam in altera consumtum; et παραδοξοφιλίαν exserere se in omnibus.* Cf. CHR. FRID. HEMPELII *Leben Gundlings, als ein Anhang zu dessen Discours über Heumanni Compend. Hist. Litter. p.* 7290. *sq.*

Annus itidem 1715. *Hal. Magd.* protulit *Acta Philosophorum, d. i. gründliche Nachrichten aus der Historia Philosophica, nebst beygefügten Vrtheilen von denen dahin gehörigen alten und neuen Büchern.* Auctor est, vti nemini non constat, CHR. AVG. HEVMANNVS, Academiae Gottingensis ornamentum. Partes horum Actorum sunt decem octoque, vltima *a.* 1727. excusa. Sex earundem in Tomum singularem, cum Indice Auctorum ac rerum, sunt redactae, adeoque *Tomi III. in 8.* exstant. Quaelibet Pars in tres est diuisa sectiones, quarum prior argumentum aliquod ex Historia philosophica copiosius pertractatum; altera commentationem de re separata, eodem tamen spectante; tertia vnius alteriusue libri, Historiam istam illustrantis, recensionem exhibet. Insertae sunt non nullorum Philosophorum, veterum ac recentiorum, Vitae: vario-

variorum etiam imagines accesserunt. Nec illud tacendum, passim hic antiquorum librorum loca vel emendari, vel explicari. Cf. *Acta Erud. Lat. anno* 1716. *p.* 463. *sq.* et *Supplementorum T. VII. Sect. II. p.* 473. *sq.* itemque *Acta Erud. a.* 1727. *p.* 519. *sq.* vbi omnes Tomi sermone vberiori describuntur. De praestantia laboris audiamus IAC. BRVCKERVM, harum rerum longe peritissimum, in *Dissert. praeliminari, Tomo I. Historiae criticae Philosoph. praemissa, p.* 38. vbi, post dicta de variorum in Historiam philosophicam meritis ita pergit: *Quia vero horum diligentia, etsi ad leges artis criticae et historiae exacta, et cum iudicio philosophico suscepta, intra angustos compendiorum cancellos substitit, rem altius aggredi, et accuratam historiam philosophicam condere suscepit vir celeberrimi nominis magnaeque eruditionis,* CHR. AVG. HEVMANNVS. *Cuius initia in* Actis philosophorum *lingua patria exaratis ita fecit, vt facile sperari posset, et lectionis copia, et iudicii dexteritate, et acuto artis criticae sensu, et magno ad eiicienda praeiudicia animo, palmam illum omnibus surrepturum. Verum et haec inuiderunt orbi erudito fata, quoniam maioribus occupatus vir eruditissimus, cum tertio volumine totum laborem curamque abiecit.*

Antiquitatum studiosi non sine fructu vsurpare queunt *die Neue Acerram philologicam, oder gründliche Nachrichten aus der Philologie, und den Römischen und Griechischen Antiquitaeten, darinn die schwersten Stellen aller Autorum classicorum der studirenden Jugend zum besten in einer angenehmen Erzehlung kürtzlich und gründlich erkläret werden.* Pars I. *Halae M. a.* 1715. Pars XII. eademque vltima

ma, 1723. prodiit, omnesque complectuntur Tomi II. tabulis aeneis ornati, ac tribus instructi Indicibus, 1.) rerum memorabilium, 2.) formularum solemnium, vocum propriarum, phrasiumque perspicue explicatarum, 3.) difficiliorum in veterum libris locorum explicatorum. Primi Tomi auctorem esse PETR. ADOLPH. BOYSEN, Sacerdotem quondam Halberstadiensem, iam neminem credo ignorare. A quo vero alter profectus fuerit, indicare non licet. Dolendum sane, caetera Antiquitatum capita, eadem exposita methodo, lucem haud adspexisse.

Moderatore Theologo celeberrimo, IOH. GVSTAVO REINBECKIO, qui et ipse multa elaborauit, *Berolini a.* 1715. *in 8.* exiit *das freywillige Hebopfer von allerhand in die Theologie laufenden Materien.* Sunt generatim Partes, vel *Symbolae, octo et quadraginta.* Decem implent Volumen, quorum quintum cum Parte octaua abruptum est *a.* 1730. Cf. NEVBAVERI *Nachricht von Lutherisch- und Reformirten Theologen, P. I. p.* 314. Exhibentur argumenta exegetica, critica et polemica contra Atheos, Fanaticos, Socinianos, simulque interspergunturs cripta nondum edita, quae ad Historiam ecclesiasticam pertinent. REIMMANNVS in *Catal. Bibl. T. II. p.* 721. a plerisque hunc laborem in deliciis esse habitum, et velut merces Attalicas certatim coëmtum, adfirmat.

§. V.

Anno 1716. *Lipsiae in* 8. colligere instituit CAROL. FRID. PETZOLDVS variorum eruditorum Obseruationes philologicas, criticas, philosophicas, mathematicas, historicas, imo et saepe theologicas, raro iuridicas, medicasque. Nata sunt inde

inde *Miſcellanea Lipſienſia, ad incrementum rei litterariae edita.* Singulis trimeſtribus Tomum ſingularem promiſerat Editor, niſi forte tempus, aut aduerſa fata, impedimento eſſent. Et prodierunt ſane dicto a. 1716. Tomi IV. quorum vltimo Indices varii, in hunc et priores, acceſſerunt. *Anno* tamen 1717. non niſi duo, totidemque *ſequenti* diuulgati ſunt, ſcilicet ſeptimus et octauus, qui, more antea adſumto, Indices habet in quatuor Tomos. Nonus *a. 1720.* decimus *a. 1721.* vndecimus *a. 1722.* duodecimus, cui etiam adiecti fuere Indices, *1723.* ſucceſſit. Is terminum conſtituit Operi, rerum optimarum pleniſſimo, et, ſi pauca exceperis, admodum commendabili. Inter Obſeruationum enim Auctores, quorum praefixa ſunt nomina, Viri reperiuntur longe doctiſſimi, multisque in Rem publicam litterariam conſpicui meritis. Pertinent huc Salomo Deylingius, Ioh. Laur. Moshemius, Iac. Guil. Feuerlinus, Chr. Aug. Heumannus, Iac. Bruckerus, Ioh. Matth. Geſnerus, Io. Ge. Schelhornius, Ioh. Fr. Weidlerus, Tobias Eckhardus, aliique plures. In *Praefatione Tomi VIII.* inſertae Relationes de vita, fatis ac ſcriptis quorundam Collegarum, viuis ereptorum, paſſimque occurrunt etiam tabulae aeneae. Ingens autem errorum typographicorum ſylua deformitatem quandam adfert Collectioni, de qua plura honorifica diſſerit FRID. OTTO MENCKENIVS in *Praef. Vol. I. Miſcellan. Lipſ. Nouorum* praemiſſa, *p. 18. ſq.* Inter alia haec ſunt notatu digna Viri celeberrimi verba: *Cum numero Sociorum ita creuit ipſa fama Operis, vt, qui Miſcellanea haec nominaret, videretur officinam eruditionis et induſtriae, et quaſi diuerſorium nobilium ingeniorum, nominare.* Nimis igitur acerbe iudicat THEOPH. SIGFR. BAYERVS in *litteris ad Joh. Matth. Geſnerum*

rum, vbi ſic ſcribit, poſtquam eiusdem Commentationem *de eruditione Graecorum*, Tomo II. obuiam, commemorauerat: *Miſeret me tui, quod tam praeclara commentatio tua loco tam tenebricoſo eſt edita. Non poſſum diſſimulare, me ita de Miſcellaneis Lipſienſibus iudicare, vt malim eiusmodi librum exſtare nullum. Praeter tuum, et Siberi Thryllitiique ſcriptum, nihil placuit. Duo ſunt Germanorum vitia: primum, quod ſcriptillandi de quauis inaniſſima re morbo laborant; alterum, quod, cum ſcribunt, paſſim ſine omni cura, retractatione, aut imitatione maiorum ſcribunt.* Vid. illuſtris VHLII *Sylloge noua Epiſtolarum varii argumenti, Norimb. a. 1758. in 8. mai. libro I. p. 11.*

Die Academiſchen Nebenſtunden, worinnen allerhand Obſeruationes von beſondern zur Gelahrheit dienenden Materien, desgleichen auch Auszüge von alten und neuen Schriften, und bisher ungedruckte Briefe enthalten ſind, labores exhibent Ephr. Gerhardi, Herm. Vlr. a Lingen, Ioh. Henr. Kromayeri, Ioh. Conr. Schwartzii, Gottlieb Stollii, et aliorum. Sunt modo Partes ſex, quarum tres priores *Jenae a. 1717.* quarta *a. 1718.* quinta et ſexta denique *a. 1719. in 8.* editae. Excellunt prae caeteris Obſeruationes philoſophicae et criticae, dignumque erat inſtitutum, moderatore STOLLIO ſuſceptum, quod per longius temporis ſpatium continuaretur. *Anno 1723.* bibliopola nouo librum titulo, Indice duplici, et Praefatione de Auctoribus Obſeruationum inſtruxit. Hos etiam indicatos leges in laudati STOLLII *Nachr. von den Büch. ſeiner Biblioth. Parte VIII. p. 789. ſq.*

Eodem *anno 1717.* in Academia Viadrina Latino ſermone coeptae ſunt *Exercitationes ſubſeciuae*

Franco-

Francofurtenses a variis Professoribus, v. g. Bern. Henr. Reinoldo, Andr. Ottom. Goelicke, Arnoldo Wesenfeld, Iusto Chr. Dithmaro, et Iac. Hermanno, Mathematico insigni. Offeruntur hic ergo Commentationes iuridicae, medicae, philosophicae, mathematicae atque historicae argumenti selectioris. Tomi saltim III. *formae octauae* prostant, in binas semper Sectiones diuisi, quarum quaelibet quatuordecim plus minus plagulas continet. Vltima Tomi III. Sectio *a. 1722.* absoluta est. Reinoldianae Exercitationes nunc locum habent in Auctoris doctissimi *Opusculis iuridicis*, studio meo qualicunque L. B. *a. 1755. in 8. mai.* luci expositis. Addere iuuabit adhuc, nonnulla moneri contra Tomi I. Sectionem priorem in *der Hällisch. vermischten Bibliothec*, *P. II. p. 57. sq.*

Apud Vratislauienses, auspiciis IOH. KANOLDI, qui adiutores praecipue habuit IOH. GE. BRVNSCHWITZIVM et IOH. CHRISTIAN. KVNDMANNVM, eiusdem et in Praxi medica, et in Acad. Nat. Curiosorum, Collegas, Annales, seu Collectiones rerum naturalium et artificialium non in Germania tantum, sed aliis quoque regionibus, sunt inchoatae, eo quidem consilio, vt mutationes tempestatis adnotarentur studiosius, morbi epidemici describerentur, vegetabilium et animalium prouentus indicaretur, quae singularia in firmamento, vt vulgo dicunt, in aëre, in terra, et sub eadem, in aqua, in hominibus et caeteris animalibus, obtigerint, commemoraretur, quae in Philosophia naturali et Medicina non ita pridem fuerint inuenta, consignaretur, Noua item litteraria physico-medica subiungerentur, additis breuibus librorum ac Dissertationum Academicarum recen-

recensionibus. Et haec omnia, quae singulari paullo ante schedula *Lipsiae in 8.* diuulgata, moxque recusa in *Miscell. Lips. Pezoldianis Tomo V. p. 250. sq.* annunciata eruditis fuerunt, sex plerumque Classes occupant. Opus inscriptum est: *Sammlung von Natur- und Medicin- wie auch hierzu gehörigen Kunst- und Litteratur - Geschichten, annoque 1717.* et *1718.* Trimestre aestiuum et auctumnale prodiit *Vratislauiae;* postea singulis annis et continua serie, vsque ad finem anni 1730. quo Specimen (*Versuch*, ita enim adpellata sunt trimestria) octauum. et trigesimum vltimum anni 1726. Partem exhibuit, quatuor Trimestria elaborarunt Auctores. Accesserunt etiam *Budissae a. 1726.* vsque ad *a. 1729. Supplementa IV.* quae in vnum commode Volumen possunt redigi. Mors Kanoldi exeunte anno 1729. remorata est nobilissimi conatus progressum, nec ipse, sed ANDR. ELIAS BÜCHNERVS, Medicus tum Erfordiensis celeberrimus, dictum Specimen XXXVIII. adiecit. Vid *die Leipz. gel. Zeit. a. 1730. p. 519.* Eidem Viro illustri tribui debet *Vollständiges Vniuersal - Register aller merckwürdigen Materien, welche in den von a. 1717. bis 1726. herausgegebenen acht und dreyssig Versuchen, und vier Supplementis der so genannten Sammlungen von Natur- und Medicin-Geschichten befindlich.* Typis exscriptus est hicce Index *Erford. a.* 1736. *in 4.* Continuauit deinde BÜCHNERVS institutum Kanoldianum, et *ibidem anno* 1731. quatuor Trimestria, ad annum 1727; *anno* 1732. totidem, ad annum 1728; *anno* 1733. totidem, ad annum 1729; *annoque* 1734. quatuor etiam Trimestria, ad annum 1730. in lucem emisit. Placuit autem ipsi mutare nonnulla, nouumque laborem hoc insignire titulo: *Miscellanea physico-medico- mathematica, oder angenehme, curieuse, und nützliche Nachrichten von Physical- und Medicinischen,*

ſchen, auch dahin gehörigen Kunſt- und Litteratur-Geſchichten. Plura poſt annum 1734. haud ſunt ſequuta. Auctor quippe Director Ephemeridum Acad. Nat. Curioſorum hoc eſt pacto conſtitutus, vt ab his Miſcellaneis ſuis deſiſteret, omnemque potius curam illi Diario conſecraret. Vid. *Hiſtoria Acad. Nat. Curioſ. Buchneriana p. 433.* Integrum igitur Opus habet, qui poſſidet *Vol. quinque et viginti*, quae ſunt omnia, praeter Indicem, figuris aeneis quam plurimis ornata. Cf. de hisce Ephemeridibus, in quibus permulta egregia, varia ſimul plagia detecta obſeruantur, *Acta Erudit. Lat. a.* 1731. *m. Oct. p. 484. ſq.* et IOH. HENR. BVRCKHARDI *Catalog. Biblioth. Parte IV. p. 37.*

Ab Heluetiae ciue quodam *Tiguri a.* 1717. *in 8.* accepimus *Altes und Neues aus der gelehrten Welt.* Verum auctorem eſſe IOH. CONR. HOTTINGERVM, cuius *de Decimis Iudaeorum* Commentar. philologicus recenſetur in *Actis Erud. Lat. a.* 1713. *p.* 155. *ſq.* memorant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1720. *p.* 302. ex *Biblioth. hiſt. philol. theol. Bremenſis Faſc. 2. Claſſis II.* In hocce Diario leguntur Vitae hominum eruditorum, Obſeruationes diuerſae ad Antiquitates, Hiſtoriam eccleſiaſticam et litterariam, itemque rem Heluetiae numiſmaticam pertinentes, nec non librorum quorundam deſcriptiones. Singulis menſibus Pars promiſſa, tardius vero proceſſit negotium, annoque 1719. *Pars* demum *duodecima* prodiit, et ea quidem vltima. De *Miſcellaneis Tigurinis*, quae, editore IOH. IAC. VLRICHIO, *a.* 1722. *ibidem* ſucceſſiſſe videntur, at, quantum ſcio, cum *Parte* ſtatim *IV.* deſierunt, v. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1722. *p.* 970. *ſq.*

§. VI.

Exemplo Obſeruationum Halenſium, quae Latine ſunt ſcriptae, IOH. CHRISTOPH. FRANCKIVS, paſſim iam adductus, molitus eſt *Bibliothecam nouiſſimam Obſeruationum ac Recenſionum*, cuius Sectio I. *Halae Magd. a.* 1718. *in 4.* exiit. In Praefatione praefixa ſic diſſerit Editor: *Conſtitutum eſt, cum omnis generis liberales diſciplinas nouis inuentis illuſtrare, tum antiquas veritates aduerſus recentes innouationes, nulla neceſſitate factas, nouis rationibus defendere. Ne crambe bis vel ſaepius cocta apponatur, ſedulo cauebimus, pridem ab aliis dicta minime repetituri, ſed ea tantum prolaturi, quae ſuo quisque Marte reperit, nec aliis iam obſeruata fuiſſe credet. Libertatem ingenuos Reipublicae litterariae ciues decentem ita tuebimur, vt tamen ab effreni huius aetatis licentia ſtudioſe nobis temperaturi ſimus, nec quidquam ſcripturi, quod virorum cordatorum indignationem merito prouocare, vel imbecillioribus offendiculo eſſe poſſit. Adiungentur meditationes ad hunc modum elaboratae, nec nimis prolixae, aliorum, ſi qui forte ſuas obſeruationes his adiici deſiderauerint, eoque fine mihi transmiſerint. Quod qui facient, ſua nomina pro lubitu vel adſcribere, vel omittere, vel mutare poterunt. Nobis eadem libertate vti, ac modo nomina noſtra profiteri, modo poſt tabulam latere, decretum eſt. - - Singulae ſectiones ſex plagulis conſtabunt. Editio ſtato tempori haud adſtringetur. Opera tamen dabitur frequentibus continuationibus. Quo fine, quoties vna tantum vel altera obſeruatio defuerit, eius vice fungetur recenſio ac cenſura noui cuiusdam libri, cuius non modo inter Germanos noſtros, ſed etiam*

inter

inter exteros, vsus esse possit, nec adhuc aliqua in vernaculis Bibliothecae miscellaneae vel separatae excerptis mentio fuerit iniecta. Hactenus Franckius. Librorum recensiones minimum laboris explent spatium. Potior pars consistit in Obseruationibus iuridicis, medicis, mathematicis et criticis. Pauca etiam theologica sunt inserta. Inter auctores, quorum nonnulli latere voluerunt, obseruaui, praeter ipsum Franckium, Ioh. Gottl. Heineccium, Ioh. Henr. Schultzium, Ioh. Henr. Kromayerum, caet. Substitit autem conatus *a.* 1721. intra *Sectiones XI.* nec plures vnquam oculis meis obuenerunt.

Bibliotheca historico- philologico- theologica Bremensis industriae THEOD. HASAEI, et FRID. ADOLPHI LAMPII, Theologorum Reformatorum, debetur. VIII. *Classes*, siue Volumina, huius laboris habemus, quolibet in Fasciculos sex diuiso. Primus editus est *Bremae a.* 1718. vltimus *ibid.* 1725. *in 8.* Larga hic seges offertur Dissertationum et Obseruationum litteras et sacras, et profanas illustrantium, quarum diuersi sunt auctores, partim anonymi. Inter celebriores eminent Hasaeus et Lampius, Ioh. Laur. Moshemius, Campeg. Vitringa, Ioh. Ge. Eccardus, Christoph. Aug. Heumannus, Iac. Elsnerus, caet. Insertae simul Theologorum doctorum Vitae, Epistolae nondum editae, et alia anecdota, imo integra etiam Opuscula minora, ne plurimorum vsui subtraherentur, recusa. Nec plane desunt recensiones librorum, at eorum saltim, qui non facile sunt in Germania obuii, ac theologica tractant. Noua, quae saepe accesserunt, theologica, historica et litteraria, varia certe continent memoratu lectuque dignissima. A Volumine V. hoc saxum soli Hasaeo

voluendum reliquit Lampius, tunc temporis Brema vocatus ad Professoris theologi in Academia Vltraiectina dignitatem suscipiendam. Cf. *Supplem. Actor. Eruditor. Tomo IX. p. 439. sq.* et REIMMANN. in *Catal. Biblioth. T. II. p. 540.* vbi ita differit Vir doctus: *Multum ex hoc labore vtilitatis in Ecclesiam et Rem publicam litterariam manauit, tot obseruationibus theologico- philologico- criticis in hanc Bibliothecam congestis, totque librorum optimorum recensionibus, cum virorum doctorum vitis, scriptis, memorabilibus etc. vt instar Amaltheae cornu, et mensae variis cupediis instructae, haberi valeat.* Reprehenderunt quidem nonnulli, haud omnia eadem eruditione, eodem iudicio, stiloque esse exarata, vel passim adiici, quae ad rem propositam nihil faciant. Ideoque doctrinam, loco alieno monstratam, saepe obscuriorem reddere caussam principalem, et fatigare Lectores. Sed respondetur ad haec in *Praefatione, Classi quartae* praemissa. Operae adhuc est pretium, adscribere his MOSHEMII de Bibliotheca Bremensi iudicium. Ita vero ille in *Thesauro epistolico Lacroziano, T. I. p. 292: Duo mihi semper*, ait, *in isto displicuere libro. Primo, quod sacrarum litterarum explicationes tot plane ineptas continet, quae aliis forte risum, mihi indignationem mouent. Certe nihil grauius fero, quam in eum sensum sacra detorqueri oracula, de quo scriptorem ne cogitasse quidem iuratus adfirmare possum. Quid stultius, exempli caussa, quam ex septem diaconis, in actis legatorum Christi commemoratis, septem eruere periodos? Deinde controuersias inter Christianos agitatas durius interdum in eo libro explicari, molestum mihi est. Nihil se de istis commemoraturos esse, in praefatione polliciti*

sunt

ſunt editores. caet. Recudendum curaſſe Opus, Theologis praecipue conſecratum, bibliopolam quendam Amſtaelodamenſem, lego in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1720. p. 825.* Ignoro tamen, an abſolutum plane fuerit inſtitutum. In adducta ſupra Praefatione deſideratur diligentia Belgarum, ad tollendos, qui auxerint priores, typographicos errores neceſſaria. Bibliothecae huius in locum ſubſtitutum eſt *Muſeum hiſtorico-philologico-theologicum,* quod laudatus HASAEVS et NICOL. NONNENIVS *Bremae a. 1728* aperuerunt. *Octo* ſunt *Partes*, in Voluminibus II. incluſae. Poſtrema *anno 1731.* edita. Morte nimirum Haſaei laboris eſt interrupta continuatio.

Supra laudaui Academiae Regiae Scientiarum Pariſienſis Diarium. Ab hoc vero longe diuerſum eſt aliud, quod Academia Inſcriptionum et humaniorum litterarum euulgauit. Haec itidem Pariſiis adhuc illuſtris in eo primum erat occupata, vt partim nummos ederet, quibus Ludouic. XIV. res geſtae indicantur, partim locis auguſtis infigeret inſcriptiones, munificentiae Regiae ac ſplendori conſecratas. Poſtea vero latiores ipſi conſtituti fines ſunt, ideoque omnia ſtudia elegantiora ſumſerunt ſibi quotannis excolenda, publiceque, humeri quid valerent, oſtenderunt Socii. Proſtat ſcilicet *Hiſtoire de l'Academie Roiale des Inſcriptions et belles Lettres, depuis ſon etabliſſement* (a. 1663.) *jusqu' à preſent, avec les Memoires de litterature, tirez des Regiſtres de cette Academie* caet, Tomus I. et II. *Pariſ. a.* 1717. ſeu potius *a.* 1718. *in 4. mai.* Tom. III. et IV. demum *a.* 1723. prodiit, Tom. V. et VI. *a.* 1729. et ſic caeteri paullo tardius ſequuti ſunt. Cauſſa fuit, praeter alia impedimenta, diutina valetudinis infirmitas, qua Tomorum XV. editor, CLAVDIVS GROSAEVS DE

BOZE, Academiae a secretis, laborauit. Post nouas moras Tomos XVI. et XVII. in ordinem redegit STEPH. FONCEMAGNE; quo ad alia vocato, demandata rei cura est IOH. PETRO de BOVGAINVILLE. Is igitur editis Tomis XVIII. et caeteris vsque ad Tom. XXI. suppleuit, quae deerant in annorum serie, omnia. Tomi XXIII. et XXIV. *anno*, si recte memini, 1756. ab eodem sunt absoluti, singulique figuris aeneis quam plurimis superbiunt. Tomi XI. et XXII. nil nisi Indices, et eos quidem dexterrime confectos, in binas Decades continent. Ne et iis deesset Bozius, qui Historiam Academiae, cum Sociorum elogiis, habere separatim exoptauerant, *ibidem a.* 1740. Tomis III. *in 12.* exhibuit *Histoire de l' Academie Roiale* caet. *depuis son établissement, avec les Eloges des Academiciens, morts depuis son renouvellement.* Laudantur in primis Elogia, quae elegantissimo Bozii calamo debentur. Mouit maiorum praestantia Commentariorum, bonae frugis plenissimorum, raritas item et pretium editionis Parisiensis, (quoduis enim Volumen vix minoris, quam quinque Imperialibus, redimi potest. in Germania) librarios in Belgio, vt *Amst.* et *Hagae Com. in 12. mai.* de recudendis iisdem cogitarent, quod et strenue factum ab *a.* 1719. vsque ad *a.* 1743. vidique generatim *Tomos octo et viginti*, qui desinunt in anno 1737. Nec sperandi nunc videntur plures. Diu enim remisit ardor pristinus, nescio quam ob caussam. Posteriores Tomi II. hoc sunt titulo insigniti: *Histoire suivie de l' Acad. Roiale* caet. *Avec les Eloges des Academiciens morts, l' Catalogue et les differentes Editions de leurs Ouvrages. A quoi l' on a joint* 1.) *une Table chronologique de tous les changemens arrivez dans les Listes de l' Academie depuis son renouvellement jusqu' à present.* 2.) *La*

2.) *La Liste particuliere des Academiciens actuellement en place.* 3.) *Table disposée par ordre de matiéres des titres des Ouvrages, contenus dans XXIV. Volumes de l' Histoire et des Memoires de l' Academie.* Quum autem ne sic quidem Virorum doctissimorum labores satis obuii apud nostram gentem essent, vt merebantur omnino: laudabili consilio ignotus mihi Auctor versionem Germanicam est molitus, prodiitque Pars I. *Erfordiae a.* 1749. *in 8.* cum illustris BVDERI *Praefat. de meritis Potentissimae Domus Austriacae in litteras elegantiores.* Mox tamen suppressus est hicce conatus, (de quo vid. *die Ienaisch. gelehrt. Zeit. a.* 1749. *p.* 766.) simili instituto honestissimae matronae, LVD. ADELG. VICTOR. GOTTSCHEDIAE, cuius quippe translatio feliciter successit ab *a.* 1749, quo Pars I. *Lips. in 8. mai.* edita est, vsque ad *a.* 1757. quo Partem XI. Indices continentem accepimus. Auctor est eorundem IOH. IAC. REISKIVS, V. C. qui et variis additamentis atque emendationibus Gallorum Opuscula illustrauit. Versio Gottschediana sic est inscripta: *Geschichte der Königl. Academie der Aufschriften und schönen Wissenschaften zu Paris, darinne zugleich unzählige Abhandlungen aus allen freyen Künsten, gelehrten Sprachen und Alterthümern enthalten sind.* Haec ipsa editio, chartae typorumque nitore, figuris aeneis, stili elegantia, GOTTSCHEDII que, mariti, Obseruationibus haud raro subiectis, de meliori commendanda, longo post se interuallo relinqueret Erfordiensem, si maxime coepta fuissent peracta. Nunc, quod dolendum, plures Partes vix exspectandae. Vid. GOTTSCHEDII *Neuestes aus der anmuth. Gelehrs. a.* 1757. *num. VI. p.* 457. *et num. XI. p.* 853. *sq.* Ad ipsius Operis pulchri dispositionem quod attinet, praemisso Sodalium Catalogo, quos aut amisit, aut nouissime nacta est

Academia, aliisque, quae in eadem euenerunt, memoratis, breuiter recenferi fcripta folent, fingulis annis ab Academicis elaborata: tum fequuntur Collegarum morte exftinctorum Elogia: tandem vero obuiae funt vberiores productioresque Academicorum Differtationes, raritate argumentorum ac delectu infignes plerumque, nec pauca proferentes in apricum, antea haud fatis cognita. Feftas profecto dapes in hoc Opere inuenient, qui Hiftoriae ciuili ac litterariae, Antiquitatum, reique criticae et numifmaticae ftudiis nomen dederunt. Cf. GOTTSCHEDIVS *l. c.* et CAMVSAT *Hift. des Journaux*, *T. II. p.* 172. *fq.* vbi et illud ipfum Opus recte vocat *un affemblage eftimable et précieux de Differtations fur toutes fortes de fujets de litterature tant ancienne, que moderne.* Add. *Journal des Savans a.* 1730 *m. Januar. art. 6.* Quum haec iam fcripfiffem, fuccurrit adhuc, laudatam GOTTSCHEDIAM Germanico etiam fermone *Lipf. a.* 1753. et 1754. *in 8. mai.* adieciffe Partes II. *der ausführlichen Schriften der Königl. Academie der Aufschriften und fchönen Wiffenfchaften.*

§. VII.

Londini a. 1722. *in 4.* emiffa *Bibliotheca litteraria*, *being a Collection of Infcriptions*, *Medals*, *Differtations* caet. Auctor dicitur IOSEPH. WASSE, qui colligere ftuduit varia fcripta minora, facile pereuntia, itemque interpretationes Infcriptionum antiquarum et nummorum rariorum. Ipfe non nulla inferuit, eius ab ingenio nata. In fine Partium, (Anglice has expreffit voce *Numbers*) quarum non nifi *decem* diuulgate funt, addi folet Index librorum, in Anglia, vel apud exteros, prelo fubiectorum. Cf. *die Leipz. gel. Z. a.* 1722. *p.* 987. *fq.* et *Bibliotheque Angloife*, *Tom. X. Parte* 2. *art.*

art. 6. vbi admodum honorifice de labore isthoc differitur.

Nunquam vidi, neque tamen ex hac Ephemeridum classe eiiciendum esse arbitror, *Parnassum Boicum, oder den neu eröffneten Musenberg, worauf verschiedene Denck- und Leswürdigkeiten aus der gelehrten Welt, zumahl aus Bayrischen Landen, abgehandelt werden.* Prodiit Opus *Monachii anno* 1722. vsque ad *a.* 1727. *in 8.* et Colloquia, seu Partes XXIV. in *Volumina quatuor* redactas complectitur. Successit deinde *der neufortgesetzte Parnassus Boicus*, et alia tandem Continuatio, hoc titulo: *Etwelche, meist Bayrische, Denck- und Leswürdigkeiten, zur Fortsetzung des Parnassi Boici*, cuius libri Pars quinta *anno* 1740. prelo exiit. Rarissimum est Opus, in quo varias eruditorum Bauarorum Vitas, historica item ac mathematica, disquisitionesque de Gentis nostrae *lingua* exstare intellexi. Vid. *die Beyträge zur crit. Histor. der deutsch. Sprache, Vol. IV. p. 264. sq.* et *Catal. Biblioth.* CHR. GOTTL. SCHWARTZII *Parte I. p. 63. 64.*

Plenum est rerum optimarum, statumque ecclesiasticum, ciuilem ac litterarium regni Borussiae eleganter illustrat, Diarium Germanicum, *das erleuterte Preussen* inscriptum. Coepit illud *Regiomonti a.* 1723. *in 8.* moderatore et auctore praecipuo MICH. LILIENTHALIO, Viro plurimis aliis doctrinae monumentis clarissimo. Socios is laboris habuit Theophil. Siegfr. Bayerum, Ioh. Iac. Rhodium, Ioh. Christoph. Volbrechtum, Dan. Henr. Arnoldum, et Ge. Dan. Seylerum. Vid. reuer. GOETTENII *Gelehrt. Europa, P. I. p. 285.* vbi et obseruatur, Lilienthalium, propter hoc institutum, non parum in se odii deriuasse. Cf. *Acta Borussica, Vol. III. p. 838.* Partes duodecim iusti Voluminis, cui Obseruationum rerumque Indices

accedunt, formam exhibent. Primum abſolutum eſt *a.* 1724.; alterum *a.* 1725.; tertium *a.* 1726; quartum *a.* 1728. quintum denique *a.* 1742. Poſtremum illud exſtat etiam nouo hoc titulo a bibliopola inſignitum, vt iis conſuleretur, qui priora comparare nollent: *Preuſſiſche Merckwürdigkeiten* caet. *Zur Fortſetzung des Erläuterten Preuſſens.* Sunt in eo ipſo partim Obſeruationes recentiores, partim Supplementa et emendationes priorum, quales iam ſingulis additae Voluminibus. Paſſim varia numiſmata, vel alia notatu digna, aere fuerunt excuſa. Referendae ad Hiſtoriam litterariam ſunt Obſeruationes de Bibliothecis publicis Regiomontanis, Regia et Wallenrodiana; de Codicibus MStis Simonis Grunauen, ibidem obuiis; de ortu et progreſſu Academiae Regiomontanae; de Vita doctorum Boruſſorum, ſcilicet Simon. Dachii, Lucae Dauidis, Chriſtoph. Sandii, ſenioris, Ioh. Heuelii, Mart. Chemnitii, Ioh. Phil. Pfeifferi, et aliorum; de Gregorii Mölleri Annalibus Boruſſiae manuſcriptis et caet. Taceo, breuitatis cauſſa, Commentationes, quibus ſingularia Hiſtoriae eccleſiaſticae et ciuilis, itemque rei numiſmaticae, capita docte pertractantur.

Iureconſulti, qui verſantur in foro, commode adhibere poſſunt PVTONEI *Enunciata et Conſilia* diuerſorum Ictorum et Dicaſteriorum, collecta, et Obſeruationibus illuſtrata. Opus hoc lingua Germanica editum eſt *Lipſiae* ab *a.* 1720. vsque ad *annum* 1739. ſeptem Voluminibus *in 8.*, quae Partes generatim continent *ſeptem et ſexaginta.* Praeter Indices, cuiuis Volumini adiectos, quorum aliqua octo, aliqua duodecim Partes complectuntur, Repertorium generale *a.* 1742. ſequutum eſt, quod Volumini vltimo finem imponit. Auctor praecipuus Diarii huius iuridici fuit IOH. CHR. MEI-

NIGIVS, Ictus Lipsiensis: Pars nona vsque ad quartam ac decimam tribuenda IAC. AVG. FRANCKENSTEINIO, Viro scriptis compluribus notissimo: IOH. HENR. ROTHERVS etiam ab anno 1730. Collectoris partibus fuuctus est, teste WEIDLICHIO in *den Geschicht. ietztlebend. Rechtsgelehrten*, *P. II. p. 389.* Proponuntur a laudatis Ictis casus, vt vulgo dicunt, memorabiles, partimque rarioris argumenti, et quidem ex omnibus Iurisprudentiae classibus, qui, praemissa facti specie, Responsis et Consiliis deciduntur.

Successit *a.* 1725. *in 8. Lubecae Tomis III*, quae Volumina duodecim exhibent, *Bibliotheca Lubecensis.* Auctores sunt HENRIC. SCHARBAV, SAM. GERARD. A MELLEN, et IOH. HENR. VON SEELEN, omnes Viri eruditissimi. Plures tamen alii suas contulerunt symbolas. Finitum est Opus *a.* 1731. quod refertum Obseruationibus philologico- exegetico- criticis, ac historico- ecclesiastico- litterariis; Epistolis etiam et Schediasmatis hominum doctorum ineditis, Biographiis porro et librorum nouorum recensionibus, aliisque de rebus litterariis Commentationibus. Non omnia quidem eiusdem sunt metalli, quoniam non omnes Collegae eodem facultatum genere abundarunt; omnia tamen sunt lectu digna, et in iis quaedam de Scriptoribus ac scriptis Suecicis, quae in aliis eiusmodi libris vix, ac ne vix quidem, reperias. Ita iudicat REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. T. II. p. 538.* Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1724. *p.* 571. De Noua Biblioth. Lubecensi dicetur infra *§. XIV.*

Quae IOH. GE. SCHELHORNII studio debentur *Amoenitates litterariae*, eae profecto iam dudum laudem consequutae sunt ciuitatis eruditae. *Tomos* earundem habemus *XIV*; quorum primus Frf. et Lipsiae; seu verius *Vlmae a.* 1725. vltimus *a.* 1731. *in* 8.

in 8. luci est publicae expositus, non sine dolore plurimorum. Ita enim *Acta Erudit. Lat. a.* 1731. *p.* 467. indicant instituti iucundissimi terminos: *Sicuti Aristodemus quondam indigno vultu victoriam nunciasse fertur; ita nos fere, non sine animi quadam molestia, contractaque fronte, nosmet iam accingimus ad recensendos Tomos* (posteriores) *Amoenitatum Cl. Schelbornii: non quod caeteris vllo modo inferiores, minusue suaues, sed quod sunt vltimi, et Opus, magno reipublicae litterariae plausu hactenus exceptum, mature nimis coronant.* Auctor, qui nomen suum adponere titulo noluit, in *Praefatione* breui, *Tomo I.* praefixa, scribit, se rariorum librorum notitiam, Virorum litteris illustrium Vitas, variasque amoenioris argumenti dissertatiunculas, per otium sibi natas, esse cum Lectoribus communicaturum, vtque his aliquam conciliet gratiam, pretiosam semper panno suo subtextam purpuram exhibiturum, rariora videlicet, nec vbiuis obuia, quaedam Opuscula, et non nulla monumenta anecdota diuersi generis, notatiunculis eius subinde explicanda. Et stetit omnino promissis Vir doctissimus, belleque destinata exsequutus est. Cf. STRODTMANNI *Beyträge zur Historie der Gelahrheit, P. I. p.* 185. *sq.* vbi singulorum Tomorum, quorum duo semper Indice rerum adaucti sunt, argumenta studiose recensentur. Priores quatuor Tomi ob raritatem recudi debuerunt. Accesserunt postea, continuationis quasi loco, *Amoenitates Historiae ecclesiasticae et litterariae, quibus variae obseruationes, scripta item quaedam anecdota et rariora opuscula, diuersis vtriusque historiae capitibus elucidandis inseruientia, exhibentur:* Tom. I. *in* 8. *a.* 1737. Tom. II. 1738. *ibidem* prodiit. Plures autem desiderantur. Vid. STODTMANN. *l. c. p.* 223. *sq.*

Vtilita-

Vtilitate quoque sua non destituitur FRID. IAC. BEYSCHLAGII *Sylloge variorum Opusculorum, Programmatum, Orationum, Epistolarum, Poematum, Dissertationum, aliarumque Obseruationum, quae vel ante edita, ob raritatem, aliasue caussas, recuduntur, vel adhuc inedita in lucem proferuntur, vel recens elucubrata cum orbe erudito, in qualecunque rei litterariae incrementum, communicantur.* Tomi I. *anno* 1727. *Halae Sueuorum in* 8. coepti Fasciculi quinque prostant, Indicibus tribus instructi: Tomi vero II. Fascic. primus *a.* 1731. editus, iusto citius interrupit conatum. Pleraque alios habent quidem auctores: multa tamen ipse Editor interspersit, suo in fundo nata. Sub finem Fasciculi leguntur Noua litteraria, cum Obseruationibus variis. Non admodum frequens est haec Sylloge, qua de re vid. *Leipz. gel. Zeit. a.* 1729. *p.* 101.

Longiorem similiter aetatem *Noctes Academicae* merebantur, quas IOH. FRID. CHRISTIVS, Professor deinde Lipsiensis, sub idem tempus luci exposuit. Primum quippe Specimen *Hal. Magd. a.* 1727. quartum, et id quidem vltimum, *a.* 1729. *in* 8. prelo subiectum est. Varia in iis Iuris Iustinianei, Auctorumque veterum loca, Antiquitatum item et rei litterariae capita pulchre illustrantur. Accesserunt tenui, si molem spectes, Volumini Scriptorum rerumque Indices: cuiuis autem Specimini praefixa est tabula, ipsius Christii manu aeri incisa. Cf. FRIDERICI PLATNERI V. C. *Lanx satura, Altenb. a.* 1758. *in* 8. nitidissime producta, vbi in *Vita* CHRISTII *p.* 12. recte scribit: *Ex isto solo libro, si alia quoque testimonia deficerent, doctrinae, quae in Christio iam ea aetate erat, varietas intelligi posset. Sunt enim istae Obseruationes*

tiones miscellae, quibus Gellii exemplo noctium nomen dedit; fructibus diuturnae et adsiduae lectionis refertae, quibus quanta simul capere Christii ingenium potuerit, clarissime adparet. Dolendum est, hunc librum, raro emere volentibus obuium, ab Auctore ipso redditum non fuisse. Auxerat enim multis in rebus, deinde, vt fere in omnibus solebat suis Christius, in eo exemplo, quo ipse vtebatur, emendarat et correxerat multa in non paucis locis, in quibus posteriore tempore a superiori opinione recesserat.

§. VIII.

Ad res Suecorum cognoscendas admodum facit *die Schwedische Bibliothec*, auctore CHRIST. NETTELBLADT, hodie Camerae Imperialis Adsessore grauissimo. Pars I. iam *Hamburgi a.* 1726. *in 4.* fuerat edita; sed quum infiniti typothetae errores irrepsissent, ac bibliopola mutilasset quodammodo exemplar manu exaratum, Vir illustris, indigne ferens hanc audaciam, ad piper, et quicquid chartis amicitur, ablegauit editionem Hamburgensem, ac *Stockholmiae a.* 1728. Partem primam, in aliam plane formam redactam, excudendam curauit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1728. *p.* 522. *sq.* Pars altera *ibid. eodem* que *anno*, tertia 1729. quarta 1731. quinta denique et vltima 1736. successit. *Duobus* hae omnes *Voluminibus in 4.* comprehendi possunt. Auctoris institutum eo spectat, vt his, qui vel ignari sunt linguae Suecicae, vel, propter locorum longinquitatem, scriptorum Suecicorum comparandorum occasione carent, ante oculos ponatur, quid egerit gens, a studiis neutiquam aliena, cum in statu ecclesiastico, tum ciuili, litterarioque. Itaque hic occurrunt scripta theologica, historica, etymologica, numis-

numismatica, heraldica, et typis impressa, et nondum edita; Acta publica; Vitae Heroum; Relationes de rebus memorabilibus; Noua litteraria, praecipue ex Academiis Sueciae, cum librorum quorundam recensionibus. Saepius Dissertationes, Orationes, Epistolas, Carmina, et alios minoris molis libellos, siue Latine, siue Germanice, exaratos, inseruit integros, vt ab interitu vindicarentur. Pars VI, cum Indice promissa, lucem non adspexit.

Analecta Hassiaca, quae *a. 1728. Marburgi in 8.* coepta fuerunt, editore IOH. PHIL. KVCHENBECKERO, primum titulo Latino, post, a Collectione tertia, Germanico prodiere. Sunt in iis Varia, ad Historiam, Iurisprudentiam et rem litterariam Hassorum pertinentia, partim Latine, partim Germanice scripta. Interserta passim quoque Documenta nondum excusa, vel libelli olim diuulgati, sed rarius nunc obuii. Pleraque ex scriniis Viri illustris, IOH. GE. ESTOR, et IOH. ADOLPHI HARTMANNI exierunt. Inter Obseruationes nouas magna pars laudato ESTOR, et CHR. FRID. AYRMANNO, qui et nomen suum professi sunt, est tribuenda. Aliqua ipse addidit KVCHENBECKERVS. *Collectiones* prostant *duodecim*, vltima *a. 1742.* absoluta. Duae semper mediocre sunt in Volumen redactae, tribus instructum Indicibus. Nonnunquam accedunt sigilla, aere expressa. Cf. *Biblioth. histor. Struuio-Buderiana, Tom. II. p. 1245. sq.* vbi Editoris quoque in Historiam Hassiacam merita laudantur.

Eodem *anno 1728.* ANGEL. CALOGIERA *Venetiis* molitus est Collectionem Opusculorum scientificorum et philologicorum, seu, vt Italica est inscriptio, *Raccolta d' Opuscoli scientifici e filologici.* Theologos, morum Doctores, Historiae sacrae ac pro-

profanae ſtudioſos, Poetas, Rhetores, Mathematicos, rerumque ad naturam ſpectantium curioſos, aequali ſibi beneficio is obſtrinxit. Quicquid enim ab Italiae eruditis in ſua arte politiſſime et ſapientiſſime modo Latina, modo patria lingua ſcriptum iudicauit, id vel ex ſchedis nondum editis, vel ex magna librorum rariorum copia ſelegit, dapibusque his menſas ſuas philoſophicas et philologicas inſtruxit. Certe in Tomi I. *Praefat.* ad VALLISNIERVM, Medicum celeberrimum, directa, qui et, vna cum IAC. FACCIOLATO, ipſum initio adiuuit ſtrenue, teſtibus *den Leipz. gel. Zeit. a. 1733. p. 769*, recepit Calogiera, non niſi ea, quae nouo aliquo inuento, vel facti cuiusdam raritate, viderentur memorabilia, vel quae parari difficulter poſſent, eo in Opere proditura; haec vero, quorum maior moles obſtaret, contracta ſeſe in epitomen daturum eſſe. Vide, vnde profeci hic, *Acta Erud. Lat. a. 1738. p. 254.* et *die Beyträge zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. V. p. 680. ſq.* Ipſum enim Opus adcuratius inſpicere non licuit. Hoc ſcio tamen, verum id dici poſſe theſaurum, praeterque Obſeruationes medicas, phyſicas et mathematicas, quarum eſt larga ſeges, varia etiam reperiri de Vitis eruditorum, de argumentis criticis, numiſmaticis, et ex Antiquitate petitis, quae alibi vel nunquam, vel non facile occurrant. Opto itaque, vt apud Germanos noſtros editio ſuſcipiatur Latina, translatis, quae ſunt Italice exarata, ſeparatisque diſciplinis, quibus lumen ab Auctoribus accenditur. Poſſent enim, ne omnes omnia emere cogerentur, alii Tomi medicis, phyſicis et mathematicis, alii philologicis, alii theologicis et moralibus compleri. Hac ratione ingens ceſſaret raritas Operis, *anno 1754.* cum Tomo quinquageſimo *in 12.* ad finem perducti: Mox tamen Vir

doctus

doctus aliam adgressus est Collectionem, priori simillimam, exclusis tantum scriptis, quae nil nisi ingenium spirant. Nominauit eandem *Nuova Raccolta d'Opuscoli scientifici e filologici*, Tomusque I. *ibid. a. 1755. in 12.* prelo exiit, ac nuper accessit Tomus IV. Vid. *die Götting. gel. Anzeig. anni 1757. m. Nov. p. 1259.*

Illustris Academia Scientiarum Petropolitana, exemplo Londinensis, Parisiensium ac Berolinensis incitata, *Petropoli a. 1728. in 4. mai.* edere coepit *Commentarios* suos, quorum Tomus I. ad a. 1726. pertinet. Opus insigne, plurimorumque memorabilium copia refertum, in tres semper diuisum classes est, quarum prior mathematica, secunda physica, tertia historica et philologica complectitur. Sub finem Obseruationes occurrunt astronomicae. Tom. II. *a. 1729.* Tom. III. *a. 1732.* Tom. IV. *a. 1735.* Tom. V. *a. 1737.* Tom. VI. *a. 1739.* Tom. VII. *a. 1740.* Tom. VIII. *a. 1741.* Tom. IX. *a. 1744.* Tom. X. *a. 1748.* Tom. XIV, qui ad annum vsque 1746. excurrit, *a. 1751.* prodiit, et colophonem imponit vetustioribus Academiae laboribus. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1750. p. 769. sq.* Adiectae sunt singulis Tomis multae figurae aeneae, interque Auctores reperiuntur Iac. Hermannus, Bernoullii, Goldbachius, Bülfingerus, Eulerus, du Vernoi, Kraftius, Bayerus, caet. Viri studiis litterarum longe clarissimi. Priores Tomos *Bononiae* fuisse recusos, IOH. ANDR. FABRICIVS tradit, *Vol. I. des Abrisses einer Histor. der Gelehrs. p. 855.* Interea temporis, et antequam posteriores Tomi euulgarentur, *ibidem eademque forma a. 1750.* successerunt *Noui Commentarii Acad. Scientiar. Imperialis Petropolitanae*, quorum Tomus I. annos exhibet 1747. et 1748. Plerumque institutum seruatum est pristinum. Quatuor tantum Classes fecerunt Socii, ita quidem, vt in

prima mere mathematica, in altera physico-mathematica, in tertia mere physica, in quarta tandem astronomica argumenta proponantur. Historicis hic locus est nullus adsignatus. Tomus II. *a. 1751.* Tom. III. *a. 1753.* Tom. IV. *a. 1759.* sequutus est.

Nec taceri hoc loco debet IOH. DAV. KOELERI *historische Müntzbelustigung, darinnen allerhand merckwürdige und rare Thaler, Ducaten, Schaustücke, und andere sonderbare Müntzen accurat in Kupfer gestochen, beschrieben, und aus der Historie erkläret werden.* De instituto differitur in *Actis Erud. Lat. a. 1738. p. 348.* et his quidem verbis: *Quotquot celeberrimi Koeleri exquisitam norunt in rebus historicis, Iuris publici, bibliothecaria, et numismaticis peritiam, eis iam ex titulo libri apparet, nihil nisi egregium in hac Collectione reperiri. Arrisit viro celeb. institutum hebdomadarium, quo singulis hebdomadibus vnum numum memoratu digniorem illustrandum et exponendum suscepit, quem nitide aeri incidendum curauit primo, deinde descripsit, ac tandem commentario historico illuminauit, adiectis Historicorum in calce testimoniis, summatim indicatis. Index librum reddit vsui accommodatum.* Pars I. cuius Praefatio de IOH. IAC. LVCKII *Sylloge Numismatum* agit, *Norimb. a. 1729. in 4.* prodiit, caeteraeque deinceps excepe-runt se inuicem vsque ad *Partem XXII.* annum 1750. exhibentem, demumque *a. 1756.* ex schedis Viri optimi editam paullo ante viuis erepti. Quae ibidem a *p. 209.* vsque ad *p. 224.* occurrunt, filium, IOH. TOB. KOELERVM, auctorem habent; sequentia vsque ad *p. 393.* desumta sunt ex Norimbergensi Calendario, a beato Koelero per triginta, et quod excedit, annos confecto; (*der durchlauchtigen Welt Geschichts- Geschlechts- und Wapen-Calender*) quae deinde

deinde leguntur, ea IOH. CHRISTOPH. GATTERER, Hiſtorico iam Gottingenſi doctiſſimo, huiusque vltimae Partis Editori, qui et *Vitam* KOELERI praemiſit, tribuenda ſunt. Quaelibet Pars binis inſtructa Indicibus eſt, altero numiſmatum explicatorum, altero rerum memorabilium. Exſpectantur nunc tamen Indices vniuerſales ad totum Opus adcommodati, quos Vir in his rebus probe exercitatus parare dicitur. Habent igitur, Koeleriano beneficio, harum rerum amatores Opus, ex quo complura diſcere argumenti amoenioris, doctrinaeque ſelectiſſimae, poſſunt. Prima Pars a clariſſimo FORMEY Gallice reddita, *Berol. a. 1740. in 4.* lucem vidit, isque ſine dubio eadem lingua protuliſſet reliquas, niſi res librarii inclinatae obſtitiſſent conatui.

Acta Boruſſica, eccleſiaſtica, ciuilia, litteraria, oder ſorgfältige Sammlung allerhand zur Geſchichte des Landes Preuſſen gehöriger Nachrichten, Vrkunden, Schriften und Documenten, MICH. LILIENTHALIVS *Regiom. ab a. 1730.* vsque ad *a. 1732.* Tomis III. *in 8.* edidit. Singuli Tomi Partes continent ſex, plerumque ornatas effigie Viri celebris, vel nati in Boruſſia, vel ibidem, ob inſignia in Rem publicam merita, conſpicui. Praeter varia Hiſtoriae eccleſiaſticae et ciuilis capita, Vitae doctorum hominum, recenſiones librorum, qui exſtant manu ſaltim exarati, vel excuſorum etiam, at rarius obuiorum, itemque Noua litteraria, imo et integra nonnunquam ſcripta recuſa, hic leguntur. Accedunt Indices neceſſarii. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1731. 1732. et 1733.* quibus in Voluminibus omnia trium horum Tomorum argumenta memorantur. Sunt autem hi ipſi velut continuatio Boruſſiae illuſtratae, (*des erläuterten Preuſſens*) cuius eſt ſupra mentio iniecta.

 §. IX.

§. IX.

IOH. CHRISTIANI SALIGII *Electa Iuris theoretico-practica, bestehend in einer Sammlung unterschiedener Anmerckungen über besondere Fragen und Casus, welche nach denen Principiis Iuris untersuchet, beantwortet und entschieden, auch mit berühmter Dicasteriorum Responsis und Vrtheln illustriret werden,* prodire coeperunt *Lips. a. 1730*; integrum autem Volumen primum *anno* demum 1733. alterumque *a. 1738. in 8.* absolutum est. Hoc aeque ac illud duodecim ex Partibus constat, Indicibusque instructum Lectoris commoditati inseruit. Neque tamen alter Index rerum, in Vol. II. obuius, et ab homine confectus haud satis perito, Auctoris meruit adprobationem; ideoque pleniores et adcuratiores promisit, finito Volumine III, Indices: at cum *Parte prima ac trigesima*, septimaque tertii Voluminis, *a. 1743.* imperfectam reliquit hancce Collectionem. Sunt certe in eadem Obseruationes bonae frugis, quae Responsis Ictorum idoneis illustrantur. In Parte octaua et vicesima *p. 327. sq.* recusa exstat GE. CHR. HANSEMANNI *Irenarcha restitutus, seu ad L. vn. C. de Irenarchis Dissertatio, Argent. a. 1715.* (seu rectius *a. 1665.*) eruditorum examini submissa, quae antiquitatum etiam studiosis lectu iucunda erit. Caeterum alios quosdam, et inter hos IOH. SALOM. SEMLERVM, Ictum olim Weissenfelsensem, suas hic symbolas contulisse, obseruat Clar. WEIDLICHIVS *Vol. II. der Geschichte ietztlebender Rechtsgelehrten, p. 408.*

Apud Anglos, et *Londini* quidem, inde ab *anno 1731. in 8. mai.* diuulgabantur *Miscellaneous Observations upon Authors ancient and modern;* quod institutum vt iis magis proficuum esset, qui vel ignari sunt linguae huius, vel non compotes facile Anglicorum

glicorum fieri librorum possunt, eruditi Belgae versionem Operis Latinam susceperunt. Itaque *Amstael. eadem forma sequenti* statim *anno* lucem viderunt *Miscellaneae Obseruationes in Auctores veteres et recentiores, ab eruditis Britannis a. 1731. edi coeptae, cum notis et auctario variorum virorum doctorum.* Tres Tomi, quorum singuli plagulas decem continent, Volumen efficiunt, placuitque binos libellos Anglicos in vnum transformare bimestrem. Quumque Britanni post Voluminis secundi editionem plura dare desiissent, Belgae ipsi coeptam diutius pertexere telam studuerunt. Qua de re operae pretium est audire Collectores *Act. Erud. Lat. a. 1736. p. 40.* quo loco sic differunt: *In secundi quidem Voluminis Praefatione iam significant Belgae, minui paullatim Britannicas copias, quod ipsum futurum praedixerant, cum patrio sermone illas scribere incepissent Auctores, quo fit, vt extra illam insulam non vendantur, in ipsa autem pauci nimis sint, qui legere eas, quam libellos alios de Philosophia, aut de re publica, malint. Cum vero continuari suum Opus optarent Belgae, idque eodem loco significarent; res ita cecidit, vt in quarti Voluminis, eiusque Tomi III, Praefatione et defecisse iam Britannorum Obseruationes querantur, et tamen indicent, eas sibi tum ex Belgio, tum ex Germania, tum ex ipsa denique Anglia, copias vel adesse iam, vel promissas sperari, vnde porro continuari Opus vtilissimum possit. Igitur etiam in titulo aliquid mutatum, qui a Voluminis quinti Tomo I. talis est:* Miscellaneae Obseruationes in Auctores veteres et recentiores, ab eruditis Britannis inchoatae, et nunc a doctis Viris in Belgio et aliis regionibus continuatae: *et deprehendent, qui iudicare de his rebus possunt, etiam hic esse, quorum Britannos*

tannos non pudeat, quaeque solari defectum illum possint. Processit Opus, cuius PETR. BVRMANNVS et IAC. PHIL. D'ORVILLE curam sustinuerant, vsque ad *Volumen X.* quod *a. 1739.* abrupit huncce laborem, a Vol. V. trium mensium, et cum Volumine postremo, quatuor mensium interuallo interiecto, continuatum. Eorum is maxime studiis expedit, qui artem criticam tractant, et in legendis Graecorum Romanorumque libris haud negligenter sunt occupati. Partes priores Germanice prostare etiam, adserit SCHWABIVS in FABRICII *Notit. Ephemeridum, Morhofiano Polyh.* praefixa, quas vero me videre non memini. Cf. omnino STRODTMANNI *Neues gelehrtes Europa, P. II. p. 348. sq.* Successere postea, solius D'ORVILLII conatu, *Miscellaneae Obseruationes criticae nouae in Auctores veteres et recentiores, in Belgio collectae et proditae.* Tomus primus, plagularum decem, *Amstael. a. 1740. in 8. mai.* exiit, nonus autem *a. 1749.* hique omnes tria commode Volumina implent. An plures Tomi prodierint, ignoro: videtur tamen, referente STRODTMANNO *l. c. p. 351.* Volumen quartum paullo ante Editoris obitum, *anno* nempe *1751*, absolutum esse. Non obseruauit in hoc nouo Opere D' ORVILLIVS mensium ordinem, sed tunc saltim exhibuit Tomum, si iustus ipsi Obseruationum adparatus ad manus esset. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1742. p. 84.*

Disciplinas physicas, medicas et mathematicas egregie adiuuant, laboribusque Societatum Londinensis et Parisiensis merito sunt aequiparandi *Commentarii de Bononiensi Scientiarum et Artium Instituto atque Academia.* Vol. I. *Bonon. 1731.* recusum *a. 1748.* Vol. II. Pars prima *1745.* Pars altera *1746.* Pars tertia *1747.* Vol. III. *a. 1755.* Vol. IV. *anno 1757. in 4. mai.* lucem adspexit. Omnia sunt figu-

ris aeneis ſplendidiora. Tria vero proponuntur potiſſimum. Partim enim origo, progreſſus ac forma Inſtituti, adiunctaeque Scientiarum Academiae, memoratur: partim de iis diſſeritur, quae in Academia pertractata fuere ad varias illuſtrandas diſciplinas: partim denique Academicorum proferuntur Opuſcula. Editor eſt FRANC. MARIA ZANOTTVS, Academiae a ſecretis, qui tam adcurate partibus eſt ſuis functus, nemo vt melius potuiſſet. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1732. *p.* 263. *anno* 1748. *p.* 649. et *anno* 1749. *p.* 293. *ſq.*

Non ſine cauſſa refero etiam ad hanc Ephemeridum claſſem IOH. GE. ESTOR *auserleſene kleine Schriften.* Illuſtris ille hac noſtra aetate Haſſiae Ictus more Gundlingii, praeceptoris olim ſui, varia ſcripta minora, tam a ſe ipſo, quam ab aliorum calamo, litteris conſignata, collegit; perque partes diuulgauit. Coeptum eſt inſtitutum *Giſſae a.* 1732. quo Pars prima lucem vidit: reliquae ita ſunt additae, vt modo vna, modo duae, modo tres, quotannis ſe inuicem ſequerentur. Quatuor Partes iuſti formam habent Voluminis, Indice rerum praecipuarum adaucti. *Duodecima a.* 1738. Volumini tertio *in 8.* ſimulque toti Operi finem impoſuit. Agitur vero in eodem de vtiliſſimis Iurisprudentiae vniuerſae, cumprimis publicae ac feudalis, interdum etiam de Hiſtoriae ciuilis litterariaeque argumentis. Nec pauca intermixta occurrunt aliorum ingeniorum monumenta, vel typis repetita, vel primum ex ſchedis manu exaratis producta. Spectant huc e. g. praeſtantiſſimi Viri, FRID. ESAIAE PVFENDORFII *de tutela fructuaria Obſeruationes, ad Ius hodiernum Luneburgicum accommodatae*, quae et nunc in eiusdem *Obſeruationibus Iuris vniuerſi Tomo I. p.* 119. *ſq.* locum inuenerunt:

runt: nec non complura Ganerbica in *Parte VII.* et *VIII.* Tot ſtatim emtores nactus eſt labor ille Eſtorianus, vt priores nouem Partes, diuerſis annis, denuo prelo ſubiici a bibliopola deberent. In altera tamen editione facta haud leuis mutatio. Praeterquam enim, quod auxerit paſſim et emendauerit Vir celeberrimus antea dicta, quaedam demſit plane, quaedam e contrario noua ſubſtituit. Sic deſunt hic, quae in priori editione leguntur, ſcripta *Partis quartae art. 2. 3. et 5.* vbi GRAEVII *de iure praediatorio Diſſertatio; Murium in Campegianis hortis degentium, aduerſus Nicol. Beſtii Edictum, Oratio pro ſemet ipſis; et Obſeruatio, wie Kayſerliche Maieſtät des heil. Röm. Reichs Ritter- und Edlen Stand ertheilen?* Horum ſcriptorum locum occupat *Vita Euricii Cordi p. 765. ſq.* Quae porro *Partis quintae art. 1. et 4.* membra erant ANTON. DADINI ALTESERRAE *ſex Praelectiones ſolemnes, habitae pro inſtaurandis ſcholis, et Collegarum Societatis Regiae apud Londinenſes Deſignatio*, nunc aliis ceſſerunt; quemadmodum et in altera editione *Partis ſextae art. 4.* GRAVINAE *de corrupta morali doctrina Dialogus*, et *art. 9.* Commentatio Germanica *de Iure Romano, Hiſtoria litteraria et arte Inſignium* deſideratur. Acceſſerunt autem quatuor articuli noui, a tertio vsque ad ſextum, *p.* 199-293. Atque haec ideo monere viſum, vt quantum ſit intelligatur inter vtramque Operis eruditi editionem diſcriminis.

Anno 1732. cuius mentio eſt in titulo neglecta, *Duisburgi* ad Rhenum ſuam nacta originem ſunt *Miſcellanea Duisburgenſia, ad incrementum rei litterariae omnis, praecipue vero eruditionis theologicae, publicata.* Diuulgauit eadem Vir celeberrimus, DAN. GERDESIVS, qui paullo ante ſcripto ſingulari *Conſilium edendorum Miſcellaneorum Duisburg.* eruditae pietatis

pietatis amatoribus aperuerat, eosque inuitarat ad ſymbolas ſuas conferendas. Exſtant in hacce Collectione edita iam olim, et inedita, inter quae ipſius Gerdeſii, et aliorum hominum doctiſſimorum, v. g. HOTTINGERI, LAMPII, OFFERHAVSII, WEISMANNI, HEBENSTREITII, ZORNII, Obſeruationes occurrunt, quae in Hiſtoria eccleſiaſtica et litteraria, praecipue autem Philologia ſacra, ſtudioque exegetico, multiplicem vſum praeſtant. Quatuor Faſciculi, quibus Indices accedunt, Volumen *in 8.* implent, eorumque duo prodierunt. Continuatum deinde eſt inſtitutum Editore Groningam euocato, hac noua inſcriptione: *Miſcellanea Groningana, in Miſcellaneorum Duisburgenſium continuationem publicata*, quorum Volumen I. *a.* 1736. etiam *Duisburgi*, reliqua vero *Groningae* excuſa fuere. Vltimum eſt *Vol. IV. anno* 1745. exhibitum. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. anno* 1746. *p.* 420. qui locus admodum eſt honorificus Editori doctiſſimo. Idem poſtea *Scrinium antiquarium* aperuit, *ſiue Miſcellanea Groningana noua, ad Hiſtoriam eccleſiaſticam Reformationis praecipue ſpectantia.* Inſeruntur huic Operi Tractatus varii generis, Epiſtolae, Orationes, Biographiae caet. vel nondum diuulgatae, vel nunc rarius obuiae. Tomi I. Pars I. *Groningae a.* 1748. *in 4.* Tomi. IV. Pars II. cum Indicibus in quatuor Tomos *Groning.* et *Bremae a.* 1755. lucem vidit. Subſequuta eſt Tomi V. Pars prior *anno* 1756. et poſterior *a.* 1758. Vid. STOSCHII *Neues Gel. Europa Parte IX. p.* 234. *ſq.*

§. X.

Ad cognoſcendam Hiſtoriam eccleſiaſticam recentiſſimi temporis adprime faciunt *Acta hiſtorico-eccleſiaſtica, oder geſammlete Nachrichten von den neueſten Kirchen-Geſchichten, nebſt nöthigen Beylagen, und*

 kurtzen

kurtzen theologischen Bedencken. Pars prima *Vinariae a.* 1734. *in* 8. est excusa. Initium instituti laudabilis debetur IO. CHRISTOPH. COLERO, qui Partes priores quinque in ordinem redegit ediditque: tum reliquas, vsque ad Partem sextam et nonagesimam, adiunxit GVIL. ERNEST. BARTHOLOMAEI, Theologus itidem Vinariensis, quo a. 1753. rebus humanis exemto, continuationem suscepit frater eiusdem, IOH. CHRISTIANVS, Vir clarissimus, Ducalique Bibliothecae praefectus. Inueniuntur hic partim documenta de rebus in Ecclesia gestis; partim Vitae Theologorum mortuorum; partim variae Obseruationes, a Viris doctis suppeditatae; partim Nouorum, ex Ordine sacro memorabilium, Relationes. Nonnunquam paucis etiam recensentur scripta theologica, vel integra interseruntur. *Viginti* prostant *Volumina*, quouis Partes continente sex, Indicibus instructas. Cuilibet etiam Volumini Adpendix singularis accessit. Tria praeter haec, sex itidem Partium Volumina, *Beytræge* insignita, adiuncta fuerunt. *Anno* 1758, quo finis impositus est Operi, Indicem vniuersalem promisit doctissimus Editor; quem vt propediem perficiat, plures optabunt. Statim incepit idem, ne pretium Diarii prioris multos arceret a lectione rerum eiusmodi, *Noua acta historico-ecclesiastica*, quorum Pars I. *a.* 1758. exhibita est, altera vsque ad sextam *sequenti.*

Anno similiter 1734. *Lipsiae*, laudato COLERO collectore, prodierunt *Nützliche Anmerckungen über allerhand Materien aus der Theologie, Kirchen- und gelehrten Historie, wie auch aus der Critic und Litteratur, in 8.* Mors Coleri post editam Partem quartam interrumpere videbatur conatum. At, ne hoc eueniret, operam dedit GVIL. ERN. BARTHOLOMAEI, qui *Vinariae a.* 1737. continuationem molitus

litus eſt, hoc quidem titulo: *Fortgeſetzte nützliche Anmerckungen* caet. Collectio duodecima clauſulam impoſuit *a.* 1742. Vol. I. Indicibus, et hac noua inſcriptione, inſtructo: *Sammlung nützlicher Anmerckungen aus der Theologie, Kirchen- und gelehrten Hiſtorie.* Cf. NEVBAVERI *Nachricht. von den Lutheriſch. und Reformirten Theologen in und um Deutſchland p.* 12. *ſq.* vbi exponitur, quid in hoc Volumine, duabusque ſequentibus Collectionibus, pertractatum fuerit. Collectio viceſima ac tertia exiit *a.* 1747. pluresque ego quidem non vidi; ſuſpicor tamen, Volumen alterum penitus eſſe abſolutum. Inter Auctores Obſeruationum celebriores occurrunt HEVMANNVS, GVDIVS, IOH. DIET. WINCKLERVS, LEMKERVS, GE. VENZKY, et BIEDERMANNVS. Ipſi etiam Editores, Colerus ac Bartholomaei, multa inſeruerunt bonae frugis.

Similis argumenti eſt *das Heſſiſche Hebopfer theologiſch- und philologiſcher Anmerckungen.* Pars I. *Giſſae*, vel *Francofurti ad Moenum* potius, *a.* 1734. *in* 8. cum caeteris quinque diuulgata eſt a Theologo magni nominis, IOH. IAC. RAMBACHIO, quo a. 1735. ex hac vita vocato, penſum ab eo relictum imponi ſibi paſſus eſt ERN. FRID. NEVBAVERVS. Hic ipſe igitur a Parte ſeptima cum IOH. PHIL. FRESENIO, olim Giſſenſi, iam Francofurtenſi Theologo, perſequutus eſt coepta vsque ad annum 1748. quo itidem naturae debitum reddidit. Qui poſtea ſucceſſerit eidem, non comperi. Forte laudatus Freſenius nunc principem Operis curam ſuſtinet, qua in coniectura me confirmant, quae leguntur *Vol. II. p.* 5. Anno 1758. Pars prodiit ſexageſima, adeoque *Volumina ſex* abſoluta ſunt, quolibet Partes decem cum variis Indicibus continente. Non nullas olim Obſeruationes ſuppeditauit HEVMANNVS, complures ab ipſis Editoribus etiam, a IOH.

GOTT-

GOTTLIEB BIEDERMANNO, IOH. LEONH. RECKENBERGERO caet. profectae sunt. Praeter Commentationes theologicas Vitae Theologorum, et, sub finem Partium, Noua litteraria exhibentur. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1735. *p.* 430.

Anno 1735. IOH. GVIL. A GOEBEL, Ictus egregius, *Helmstadii in 8.* inchoauit *die Helmstädtischen Nebenstunden*, at, quod dolendum est, Partes tantum sex, numero plagularum admodum impares, edidit. Vltima *sequenti anno* in lucem est emissa. In singulare Volumen redegit easdem, Praefatione et Indice rerum praecipuarum, nouoque hoc titulo: I. W. *von* GOEBEL *gründliche und vollständige Abhandlungen aus dem Staats-Rechte und den Geschichten, wie auch allen andern Theilen der Rechtsgelehrsamkeit* instruxit Vir clarissimus, HENR. GOTTL. FRANCKIVS. Selecta in primis Iuris Publici argumenta scite pertractauit Goebelius v. g. de reditibus, bonisque Principum Imperii; de domaniis Brunsuico-Luneburgicis; de Ducatu Castrensi, et Comitatu Ronciglionensi, Ducumque Parmensium iure in vtrumque; de Polonis, non facile, in electione Regis, defuncti proximos sanguine praetereuntibus, caet.

Tempe Heluetica, Dissertationes atque Obseruationes theologicas, philologicas, criticas, historicas, exhibens, ortum suum debet IOH. GE. ALTMANNO, olim Professori Bernensi. Sectio prima *Tiguri a.* 1735. *in 8. mai.* prodiit. Quatuor Sectiones Tomum implent, quorum *sex* prostant, vltimo 1743. finito. Leguntur hic variorum, praecipue Heluetorum, lucubrationes eruditae, quibus ipse Editor passim suas adiecit. Quaedam iam ante cognitae, ob raritatem et praestantiam, recusae fuerunt. Nonnunquam Vitae hominum doctorum, et, sub finem

finem Sectionis, Noua etiam Heluetiae litteraria occurrunt. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1736. *p.* 13. vbi Sectio I. recensetur. De reliquis dictum est eodem, sequentibusque annis.

Huius Diarii in locum substitutum est *ibidem a.* 1746. *Museum Helueticum, ad iuuandas litteras in publicos vsus apertum.* Conditum id esse a IOH. IAC. ZIMMERMANNO, et IOH. IAC. BREITINGERO, Professoribus Tigurinis, BRVCKERVS refert in *Miscell. hist. philos. p.* 291. In hocce Opere scripta potissimum Heluetorum, vti iam de *Tempe Heluetica* monui, et Obseruationes, sacri Codicis loca illustrantes, offeruntur: nec desunt tamen, quae rei litterariae, studiorumque humaniorum, cultoribus placeant. *Volumen septimum*, quod Particula octaua et vicesima terminat, *a.* 1753. exhibitum est *in 8. mai.* Possunt enim Partes quatuor in vnum commode Tomum coarctari. Plures accessisse postea non audiui. De totius instituti ratione vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1747. *p.* 139. et *a.* 1748. *p.* 851. *sequ.* nec non *Acta Erud. Lat. a.* 1749. p. 688. vbi perampla Tomi I. recensio exstat.

In Diariorum quoque numero collocare licebit IOH. LAMII, celeberrimi Professoris Florentini, *Delicias eruditorum, seu veterum ἀνεκδότων Opusculorum Collectanea*, quorum Vol. primum *Florent. a.* 1736. *in 8.* prelo exiit. De conatu Editoris ita differitur in *Actis Erud. Lat. a. 1742. p. 511. sequ. Gratias haud vulgares debent elegantioris litteraturae studiosi Celeb. Lamio, quod consilium ceperit, non nulla scripta ἀνέκδοτα in publicam lucem et doctorum hominum conspectum proferendi. - - Omnibus impedimentis feliciter remotis, animus est doctissimo Lamio, XXIV. plus minus Voluminibus praeclaras atque eximias Virorum eruditorum, qui ante saeculum p. Chr. nat.*

nat. XVI. floruerunt, Commentationes ἀνεκδότυς certo ordine et ratione comprehendere, vt singulis Voluminibus diuersi argumenti, aut linguae, aut compositionis, Opera continenantur. Breues autem lucubrationes hoc in loco seligentur; ampliores enim et longiores Commentarios alio loco dabit. Initio quidem eo spectabat institutum Autoris, vt Opuscula talia in lucem emitteret, quae in Florentinis Bibliothecis ignota huc vsque delituerant; nunc tamen statutum ipsi est; ex aliis etiam Bibliothecis remotiorum prouinciarum ad se missis Opusculis non prorsus locum denegare. Simili exceptione vsurus est, quando aliquid transmittetur, quod saeculo XV. sit posterius. Carmina et Orationes, quamuis vetustas, omnes ex hac Collectione excludet, reliqua tamen omnia admittet, quae ad Historiae supplementum et illustrationem, aut aliarum liberalium artium et disciplinarum ornatum et incrementum, aliquid facere possunt. Singulis etiam Opusculis, quae in hac Collectione comparebunt, breuibus vita Autoris praefigetur, Bibliotheca, ex qua prodibunt, indicabitur, variantes lectiones adiicientur, cum criticis animaduersionibus. Haec est ratio instituti, quod eruditorum delicias *appellare visum est Cel. Lamio, quia eiusmodi labor plenus suauitatis et voluptatis est.* Argumenta Commentationum collectarum ad Theologiam, Philosophiam, Mathesin, Historiam et ecclesiasticam, et naturalem, itemque ad Antiquitates pertinent. De singulis Voluminibus, vsque ad quintum ac decimum, quod a. 1744. prodiit, breuiter agitur in STRODTMANNI *Beyträgen zur Historie der Gelahrtheit, Parte I.* in qua Vita Lamii exposita est, *p. 27. sq.* Postea tria adhuc Volumina successere, imo plura forsitan, quae

in

in hac bellorum calamitate, bonis etiam litteris perniciosa, nondum apud Germanos innotuerunt.

§. XI.

Argumenta ex omni fere disciplinarum genere petita, si solos, qui nihil dederunt, Medicos exceperis, complectuntur *Parerga, siue accessiones ad omnis generis eruditionem, Gottingae a. 1736. in 8.* coeptae. Celeberrimi quidam nouae tunc Academiae Professores, v. g. Heumannus, Treuerus, Gebauerus, Mascouius, Senckenbergius, Gesnerus, Segnerus, selectas, quas conscripserant, Commentationes obtulerunt in his Parergis orbi litterato. Nec exclusi hic fuerunt exteri, id est tales, qui non erant Academiae Gottingensis membra, quod nomina Virorum insignium, Dav. Ge. Struben, Ioh. Christoph. Koecheri et Harenbergii luculenter ostendunt. Mox tamen, nescio quo fato, elanguit Collegarum conatus. *Anno* quippe 1738. cum *Tomi I. libro quarto*, cui breuis rerum Index adiectus, desiit institutum, de quo recte in *Actis Erud. Lat. a.* 1739. *p.* 473. his verbis iudicatur: *ingenue fatemur, et argumenta harum Dissertationum sua se partim raritate, partim nouitate, commendare, et elaborationes earum non esse perfunctorias, sed demorsos sapere vngues. Quare vehementer optamus, vt Tomo huic primo non solum secundus succedat, sed aliquando etiam centesimus, atque sic ex nouae Academiae Georgiae Augustae conatibus plurimum ad litterariam rempublicam commodi redundet.*

Numismaticum KOELERI Opus, supra laudatum, incitauit forsitan IOH. HIERON. LOCHNERVM, vt idem voluere saxum tentaret. Dedit quippe *eine Sammlung merckwürdiger Medaillen, in wel-*

welcher wöchentlich ein curieuses Gepräge, meistens von modernen Medaillen ausgesucht, und nicht nur fleissig in Kupfer vorgestellt, sondern auch durch eine historische Erleuterung hinlänglich erkläret wird. Natalis huius instituti incidit in *annum* 1737. cuius initio ita Vir doctus labores suos exhibuit, vt singulis hebdomadis vna plagula, aeneis numismatum expressorum tabulis ornata, ederetur. Atque hac methodo perrexit strenue, vsque ad *annum* 1744. quo *Volumen octauum in 4.* riuos clausit. Non denegarunt Lochnero laudem eiusmodi rerum satis periti; desiderarunt saltim delectum in adductis scriptoribus, quorum fide ac testimonio nititur, itemque maiorem passim in nummis aere excusis elegantiam, quae a chalcographo certe adhibenda erat. Cf. *die Leipz. gelehrte Zeit. a.* 1745. *p.* 668.

Apud Halenses *a.* 1738. *in 8.* lucem adspexerunt sermone Germanico *die Schriften der prüfenden Gesellschaft zu Halle, welche allerhand wichtige, in alle Theile der Gelehrsamkeit laufende Materien zu erörtern sich angelegen seyn lässet.* Specimen octauum *a.* 1741. Tomum I. absoluit, quodam rerum Indice instructum. Sequebantur mox *der prüfenden Gesellschaft zu Halle fortgesetzte, zur Gelehrsamkeit gehörige Bemühungen;* at huius Continuationis non nisi Partes duodecim vidi, quarum octo priores Tomum alterum explent. Post Partem duodecimam, *anno* 1747. editam, plures accessisse non audiui. Argumenta pertractata sunt varii generis; modo enim theologica, modo iuridica, modo medica, modo philosophica, historica et litteraria occurrunt, quae plerumque gratiam nouitatis habent. Iurisprudentiae studiosi, vt hoc addam speciatim, non nulla ibidem inuenient, quae legisse non poenitebit

nitebit eosdem. At parum nunc obuium eſt Opus integrum, quoniam Tomus II. ipſius Societatis impenſa prodiit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1741. *p.* 292. Inter Obſeruationum auctores, quorum aliqui reticuerunt nomen ſuum, Viri clariſſimi, IOH. FRID. STIEBRITZ, SAM. LENTZIVS, ANDR. ELIAS ROSMANN, IOH. FRID. IOACHIM, GEORG. VENZKY, et IVSTVS ISRAEL BEYERVS digni ſunt vtrique honorifica hic loci mentione.

Eodem *anno* 1738. eruditi quidam Luſatiae ſuperioris ciues, ſingulis hebdomadis, *Goerlicii in 4.* ediderunt *den Oberlauſitziſchen Beytrag zur Gelahrheit und deren Hiſtorie.* Non parum ſe commendarunt ſchedae iſtae et propter varietatem, et propter delectum rerum expoſitarum. Anno peracto collectae fuerunt illae ipſae, praeterque Indicem, titulo ſingulari exornatae. Perrexerunt Auctores diligenter vsque ad *Volumen quartum*, quod vltimum eſt, *anno*que demum 1743. poſt interpoſitum aliquod ſpatium tabernas librariorum intrauit. Lipſienſes *in den gel. Zeit. a.* 1743. *p.* 638. ita de hoc Diario iudicant: *Es ſind darinnen ſchöne und wohl ausgeſuchte Anmerckungen aus allen Theilen der Hiſtorie, gründliche und beſcheidene Beurtheilungen neuer Bücher, und gelehrte Abhandlungen aus der Gottesgelahrheit, den Rechten und der Naturlehre, enthalten, welche insgeſammt von ihrer Verfaſſer Einſicht und Geſchicklichkeit gute Proben ablegen.* Recenſio librorum minima eſt Operis dos; itaque illud merito ad claſſem Diariorum ſecundam pertinere arbitror.

Vtile dulci admodum miſcetur in IOACH. CHRISTOPH. NEMEITZII, a. 1753. Francofurti mortui, *vernünftigen Gedancken über allerhand hiſtoriſche, critiſche und moraliſche Materien, nebſt verſchie-*

schiedenen dahin gehörigen Anmerckungen. Pars prima *Francof. a.* 1739. sexta, eademque vltima, *ibid.* 1745. *in* 8. prodiit. Quaelibet commodum rerum Indicem adiunctum habet. Eminent hic praecipue litteraria et historica, et quamquam non omnia pari diligentia et soliditate pertractata sint, vt ipse Auctor diffiteri nequit; multa tamen inuenient, passim ipsis vsui futura, elegantiorum studiorum dulcedine capti. Confirmatur sententia mea in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1746. *p.* 263. vbi sequentia leguntur: *Es finden sich unter diesen Stücken verschiedene, so mit einer artigen Belesenheit abgefasset sind; zuweilen aber scheinet es doch, als ob man zu viel durch Muthmasungen beweisen wollen.* Quae de Parte quidem postrema dicta sunt, at recte ad priores etiam transferre licebit.

Medio anno 1739. Academia Regia Scientiarum Stockholmensis vt, quae priuatim egerat, nunc publice prodessent, quouis trimestri Commentarios suos ex rebus physicis, oeconomicis et mechanicis *Holmiae* edidit. Initium factum a mense Iulio dicti anni, posteaque Socii ita sunt persequuti, ordine haud interrupto, institutum, vt Lectores quatuor Partes, singulis annis, acciperent. Quum vero lingua patria, exteris parum familiari, cogitationes suas aperire Viri optimi soleant, plausu apud nos mirifico excepta est interpretatio Germanica, hoc titulo instructa: *der Königl. Schwedischen Akademie der Wissenschaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungskunst und Mechanik.* Volumini I. quod cum sequenti *anno* 1749. *in* 8. *mai. Hamburgi* prodiit, et a CHRIST. MELCH. HOLTZBECHERO de authentico conuersum est, Praefationem praemisit V. C. ABR. GOTTH. KAESTNERVS, qui et a Volumine III. interpretis ipse partes suscepit, passimque

que adiecit notas eruditas. Iam *anno* 1759. absolutum *Volumen vicesimum*, variis aeneis tabulis, vt omnia priora, decoratum. A Parte quinta Indices accesserunt demum, cum iis simul, qui antea praetermissi fuerant, adeoque hoc etiam pacto plus vtilitatis in eiusmodi rerum amatores redundat. Cf. *die Leipz. zuverl. Nachrichten Vol. XII. Parte 134. p. 93. sq.*

§. XII.

Locum hic etiam occupare debent *Miscellanea di varie Operette*, auspice IACOBO FACCIOLATO, vt MENCKENIVS in *Miscell. Lips. nouis, Vol. I. p. 91.* suspicatur, *Venetiis a. 1740. in 12.* edi coepta. Singulis annis tres promittebantur Partes, sed *anno* demum 1744. octaua prodiit, cui plures, ni fallor, haud accesserunt. In eo Opere litterarum elegantiorum, cum primis autem Antiquitatum ac Philosophiae naturalis, cultores inuenient delicias. Nec dissertationes tantum, sed carmina etiam, Orationes et epistolae, modo Latine, modo Italice ab antiquioribus aeque nostrique aeui auctoribus scriptae, occurrunt. Varia igitur obseruabis vel antea non excusa, vel ob raritatem typis repetita. Sed, vt fieri adsolet in eiusmodi Collectionibus, quaedam bonis mixta sunt mala, talia saltim, si mitissime loqui velimus, quibus facile carere Res eruditorum publica poterat. In Tomo VIII. prae caeteris legi merentur Viri clarissimi, IOSEPHI AVERANII, de non nullis veterum ludis Commentationes.

Ad continuandum MOSERI Opus, *die Reichs-Fama* inscriptum, cuius ab *a.* 1727. vsque ad *a.* 1738. Partes tres ac viginti *in 8.* diuulgatae fuere, et ad supplenda, quae in recentissimis Partibus Diarii Leuchtiani, quod *Europäische Staats-Cantzley*

 vocatur,

vocatur, ob instituti rationem omitti debuerant, vtilissimo consilio IOH. CAROL. KOENIGIVS, Antecessor quondam Academiae Marburgensis et Halensis celeberrimus, *a.* 1740. exhibuit *Selecta Iuris Publici nouissima, worinnen das merckwürdigste, was sich an grosser Herren Höfen, ingleichen bey allgemeinen Reichs- und Creys- Versammlungen, oder sonst im heil. Röm. Reich vor kurtzem zugetragen, und sowohl in die Staats- und Reichs- Angelegenheiten, als in die Kirchen- Policey- Iurisdictional- Lehn- Militar- Commercien- und Cameral- Sachen einschläget* caet. *Frf. et Lipsiae in 8.* Parti primae ac secundae nullum, tertiae quartaeque fictum ANTONII FABRI, reliquis autem verum nomen adposuit Editor. Pars quinta vsque ad nonam *Marburgi*, decima e contrario, et sequentes, *Vlmae* prelo exierunt. Deduxit ita filum doctissimus Vir vsque ad Partem octauam et vicesimam, anno 1753. editam, cuius sub finem ex vitae humanae miseriis ad coelestem transiit. Quae mox successerunt Partes nona et vicesima itemque tricesima, eae nomen adhuc eiusdem prae se ferunt, repertae forsitan inter schedas ab ipso relictas: postea vero, a Parte prima et tricesima, quidam continuauit institutum adiectis titulo siglis G. R. S. sub quibus latere IOH. GE. GRITSCH, spectatissimum Reipublicae Ratisbonensis Senatorem, indicatur in recentissima *Bibliothecae iuridicae Lipenianae* editione, *Tomo I. p. 13.* Iam, quum haec sub manu typographi versantur, ante oculos habeo Partem nonam ac tricesimam; quam vt longe plures sequantur, omnes merito exoptant, qui Iuris publici R. G. studio se consecrarunt. In sex semper Partes Indices copiosi, duodecim plus minus plagularum, separatim confecti sunt, primusque *a. 1744. Marburgi*, alter *Vlmae*

mae a. 1747. prodiit. Accesserunt deinde iusto tempore, reliqui, sextusque Index, ad Partes tricesimam primam, vsque ad sextam, adcommodatus, ibid. *a.* 1757. absolutus est. Qui laudatum Opus possidere integrum velit, is addat, necesse est tres Koenigii Commentationes *von den hohen Reichs-Vicariats-Gerechtsamen*, quarum prior *Frf. et Lips. a.* 1741. altera *Marburgi* 1742. tertia *Halae Magdeb. a.* 1753. lucem *in 8.* adspexit.

Qui supra *§. VII.* laudatus est, Diarii cuiusdam caussa, MICH. LILIENTHALIVS, is *Regiom. a.* 1740. nouum inchoauit, hoc titulo: *Preussische Zehenden allerhand geistlicher Gaben, von mancherley in die Gottesgelahrtheit, Kirchen- und gelehrten Geschichte laufenden Materien, zum Dienste des Heiligthums und Verpflegung der Kinder Levi wohlmeynend mitgetheilet.* Varii sunt hae Decimae argumenti; partim enim dogmatica, partim exegetica, partim polemica, partim philologica, partim critica, partim historica exhibent. Nec vnus est auctor, cuius ex calamo manarunt Obseruationes. Inter easdem antiquiores etiam occurrunt, cum chartis et Epistolis; quae omnia vel nondum fuere antehac edita, vel, propter insignem raritatis notam, recusa. Placebit Theologis praecipue institutum. Triginta vero Partes, vsque ad *annum* 1744. productas, vidimus tantum, haeque *Tomis III. in 8.* continentur.

Gallici Diarii, *Mercure de France* dicti, aliqua ex parte methodum repraesentant *die Belustigungen des Verstandes und des Witzes.* Initium factum est *Lipsiae a.* 1741. in percelebri Breitkopfii officina. Editoris, IOH. IOACH. SCHWABII, consilium eo spectabat, vt singulis mensibus ciuium Germanicorum, ingenio valentium, carmina partim, partim alia scripta minora, patrio sermone nuper elaborata,

colligeret, atque hoc pacto inseruiret poeseos, eloquentiae ac philosophiae omniumque humaniorum litterarum amatoribus. Et sunt certe plurima ab instituto laudabili haud aliena. Placuerunt maxime, quae Musa Gellertina, Schlegeliana, Kaestneriana, Rabeneriana, peperit. Caeteri auctores nominantur in *Tomo secundo p. 480.* Ad finem perductum est Opus *a. 1745.* cum Parte octaua et quadragesima, adeoque *Tomo VIII. in 8.* Quilibet enim eorundem Partes sex complectitur. Oppositum quasi huic Diario fuit aliud *Bremae a. 1744. sq. eadem forma* hoc titulo: *Neue Beyträge zum Vergnügen des Verstandes und Witzes*; quae variorum symbolae v. g. Gellerti, Klopstockii, Crameri, Rabeneri, Giesekii, Zachariae, caet. luculenter docent, ex Germanorum etiam ingeniis lepida et concinna nasci. Collectio debetur, qui et ipse multa egregia inseruit, Viro clarissimo, CAROLO CHRIST. GAERTNERO. Tomus quintus tamen sextusque, qui est postremus, ab Hamburgensibus accessit, prioribus longe inferior. Cf. *Ienaische gel. Zeit. a.* 1749. *p.* 39. Adpendicis fere loco addebatur deinceps *Sammlung vermischter Schriften von den Verfassern der Bremischen neuen Beyträge*, cuius Operis, ab *anno* 1749. vsque ad *a.* 1753. *Lipsiae in 8.* excusi, *tria* prostant *Volumina*, quouis ex partibus sex constante.

Miscellaneorum Lipsiensium institutum quum renouari optarent vsquequaque omnes, tandem FRID. OTTO MENCKENIVS, iucundum illud Musis nomen, *Lipsiae a. 1742. in 8.* luci exposuit *Miscellanea Lipsiensia noua, ad incrementum Scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum nouis Actis occupati.* Per Partes publicatus est labor, ita quidem, vt quatuor Volumen iustae molis expleant, eleganti Editoris Praefatione, Indicibusque binis instructum. Vltimum est Volumen IX. *anno* 1753.

ab

ab ipſo abſolutum, atque huic, poſt mortem demum Menckenii, ſucceſſerunt Voluminis X. Partes tres. Plures exſpectandae in poſterum. Praecipuam in hiſce Miſcellaneis Philoſophiae, Matheſeos, rei medicae et naturalis rationem ſe habiturum, nec tamen neglecturum Hiſtoriae et ſacrae, et ciuilis, et litterariae, Antiquitatum omnis generis, Criticae item et Philologiae ſacrae ſtudia, in *Praefatione prima* pollicitus eſt Editor. At in *altera*, Volumini II. praemiſſa, *p. 9.* cauſſam adfert, cur medica et mathematica offerre nequeat. Itaque caeterae tantum, quas nominaui, diſciplinae Obſeruationibus doctiſſimis illuſtrantur: in primis autem hic eminent ſingularia Philologiae ſacrae, artis grammaticae et criticae, Antiquitatum, Hiſtoriaeque litterariae argumenta. Interſperguntur frequenter vel Epiſtolae eruditorum, vel alia iam pridem exarata, atque nunc primum publicis exhibita vſibus. In numero eorum, qui Obſeruationum ſunt auctores, occurrunt paſſim Ioh. Chriſt. Harenberg, Petr. Zornius, Chr. Aug. Heumannus, Ioh. Conr. Schwartzius, Car. Henr. Zeibichius, ipſe Menckenius, aliique Viri doctrina commendabiles.

Nec ſilentio praetermitti hic loci debent IOH. PETRI DE LVDEWIG, Ducatus olim Magdeburgici et Acad. Fridericianae Cancellarii, *Gelehrte Anzeigen in alle Wiſſenſchaften, ſo wohl geiſtlicher als weltlicher, alter und neuer Sachen, welche vormahls den wöchentlichen Hälliſchen Anzeigen einverleibet worden, nunmehro aber zuſammen gedrucket und mit einem vollſtändigen Regiſter verſehen.* Vol. I. exiit *Halae a.* 1743. et poſt Auctoris obitum Vol. II. *ibid.* 1744. Vol. III. vero, in fine aliquot HEINECCII Obſeruationibus adauctum, 1745. *in 4;* Opusque integrum,

vt plurimorum emtorum desideriis fieret satis, *anno* 1749. *ibidem* recusum est. Audire hic fas est FRIDER. WIDEBVRGIVM in eleganti *de vita et scriptis Ludewigii* Commentario, vbi *p. 112. sq.* ita loquitur: *Pertinuerat huc vsque Diurnorum vsus in aliis Borussicis terris ad commoditatem duntaxat vtilitatemque vitae ciuilis, et ad politicas vnice rationes spectabat; sed nostris Halensibus duplo maiorem gratiam conciliatum iri Ludewigius augurabatur, si cuiuis plagulae commendabilis de re scitu digna insereretur tractatio, huiusque laboris communio quaedam et consociatio ordinariis in Fridericiana Professoribus imponeretur. Probatum valde Serenissimo Regi consilium, nec detrectatum a quopiam nostratium gloriosum onus. Fuit tamen protinus in Ludewigio tantus praeclare merendi ardor, vt, sicut foecundissimo ingenio erat, opibusque ac diuitiis multifariae eruditionis diffluebat, omnibus hanc prouinciam praeriperet, ac fere solus eo labore perfungeretur, paucis exceptis aliorum obseruationibus, quas interdum suis, si mererentur, interserebat, a tralatitiis et exilibus commentis mirifice abhorrens, vnde singularem in tuenda laude et commendatione instituti huius prouidentiam atque curam agnoscas. Quotusquisque vero consideret, vniuerso hoc temporis tractu, pulchritudinem et varietatem materiarum, rerum, quae lectores constanter intentos habent, nouitatem, enunciandi suauitatem et elegantiam, abundantissimam vndiquaque eruditionem, haud facile mirabitur, in ore oculisque mille hominum versata tum Diurna Halensia, cupideque ab exteris etiam lecta et requisita fuisse.* Veritate haec vtique nituntur, certumque est, instituti auctorem in aliis Germaniae prouinciis excitasse

citasse complures, vt similia tentarent. Prouocare saltim liceat ad Commentarios diurnos, qui postea Brunsuigae, Hanquerae caet. coepti sunt, et adhuc strenue continuantur. Maximam tamen famam auctoritatemque Halenses obtinuerunt. Quamquam enim Ludewigius ingenio indulsit saepe, nec vbique dicta eius solido sunt fundamento imposita; quam plurima tamen attulit bonae frugis; maxime ex omnibus Iurisprudentiae partibus, Antiquitatibus, Historia et re numismatica, quae in succum sanguinemque conuertere poterunt omnes melioris doctrinae studiosi. In theologicis, quae intermiscentur passim, varia damnarunt sacrarum litterarum interpretes. Exemplo Ludewigianae Collectionis alii deinde Professores Academiae Fridericianae coniunctim ediderunt, quas antea in Diurnis hisce produxerant, Obseruationes. Quo nomine laudari certe merentur KNORRIVS, WIDEBVRGIVS, et IOACHIMVS. Tantopere accreuerunt enim Diurnorum Halensium Volumina, vt multos eorundem deterreat pretium, nisi et insignis priorum annorum raritas obstaret. Si quis nunc simili ratione, quod iam pridem optaui, Boehmerianas congereret Commentationes, non est dubium, quin tali beneficio Rempublicam litterariam haud parum deuinciret.

§. XIII.

Successit *anno* etiam 1743. *in 8. mai.* collectore, atque editore IOH. PETRO KOHLIO *die Hamburgische vermischte Bibliothec*, caet. Sex Partes iusti formam Voluminis habent, prodiitque *tertium*, et id quidem vltimum, *a.* 1745. Cuiuis accesserunt Indices idonei. Omnium Auctorum Catalogum hic loci exhibere non attinet: sufficit inter celebriores nominasse Magnum Crusium, Ioh.

Car. Henr. Dreyerum, Ioh. Matth. Gesnerum, Alb. Hallerum, Chr. Aug. Heumannum, Ioh. Diet. Trekellium, Ioh. Henr. Pratie et Ioh. Diet. Wincklerum, ipsum etiam editorem, qui varia lectu digna adiecit. Praetermitto alios, non minus doctrinae praestantia commendabiles. Iustitutum erat, vt noua inuenta et cogitata patefierent cum in studio theologico, iuridico, medico physicoque; tum in Philosophia, Historia quacunque, Antiquitatibus, arteque critica. Ex omni hoc eruditionis genere specimina proferuntur haud contemnenda, quaedam vero plane egregia. Plurimum tamen spatii explent Obseruationes theologicae, Codicisque sacri interpretationes. Intermiscentur aliquoties Epistolae eruditorum nondum editae: non nunquam occurrunt quoque scripta, iam ante cognita, ideoque recusa, ne multorum paullatim vsibus subducantur. Sub finem Partium problemata exstant, in quibus soluendis occupata tum aliorum fuit industria. Varia exinde transtulerunt Belgae in nouum Diarium, quod publici iuris factum *L. B. a.* 1748. *in 8.* atque inscribitur: *allgemeene oeffen School en Bibliothek der Geleerden.* Qua de re vid. *Berlinische Bibliotb. Vol. II. Parte 2. p. 269.*

Apud Hamburgenses *a.* 1747. *in 8.* prodire porro coepit *Hamburgisches Magazin, oder gesammlete Schriften zum Vnterricht und Vergnügen aus der Naturforschung und den angenehmen Wissenschaften überhaupt.* Auctores diuersi, quos inter praecipuus dicitur ABRAH. GOTTH. KAESTNERVS V. C. olim Lipsiensis, nunc Gottingensis Professor, eo rem vtilissimam consilio adgressi sunt, vt maximi momenti scripta, quae in Commentariis Societatum eruditarum, a cultioribus gentibus conditarum, dispersa leguntur, inque paucorum exstant manibus

bus, lingua Germanica cum patriae nostrae ciuibus communicarentur. De omni instituto ipsi sic disserunt in *Praef. Vol. I.* praemissa: *In den Schriften der Academien der Wissenschaften liegt ein Schatz, woraus unsere Nachkommen noch den Vorrath zu einem vollständigen Gebäude der Natur nehmen werden. Aus diesem wollen wir unsern Landesleuten ein Kleinod nach dem andern hervor langen, damit wir sie zu dem grossen Lichte, welches die folgenden Zeiten erleuchten wird, vorbereiten, und ihnen inzwischen einen und den andern Strahl davon mittheilen mögen. Alles, was von der Ostsee an, bis an das atlandische und mittelländische Meer in den Schriften der gelehrten Gesellschaften hievon enthalten, und wegen seiner Seltenheit und der mancherley Sprachen den Deutschen größtentheils unbekannt geblieben ist; das wollen wir ihnen in der gegenwärtigen Sammlung nach und nach übersetzt, oder in einem Auszuge, mittheilen. Wir wollen aber ihre Einbildungskraft nicht mit algebraischen Rechnungen und krummen Linien erschrecken; sondern nur dasjenige daraus wählen, was am brauchbarsten und nützlichsten ist, und sich ohne diese Tiefsinnigkeiten verstehen läßt. Wir nehmen die Naturlehre in ihrem weitesten Vmfange, und wollen auch die Arzeneykunst nach allen ihren Theilen darunter begreifen. Iedoch soll dieselbe nicht unser einziger Gegenstand seyn. Die Haushaltungskunst, die sich gutentheils auf die Naturlehre gründet; die Geschichte, wenn sie eine wichtige Begebenheit in sich faßt, oder eine gewisse Schwierigkeit auflöset; die angenehmen Wissenschaften, wenn wir regelmässige und nützliche Stücke darinnen antreffen, sollen gleichfalls von uns mitgenommen werden. Die eigenen Arbeiten unserer Landesleute*

desleute wollen wir gar nicht ausschliessen; sondern wenn jemand in diesen Wissenschaften etwas Bemerckenswürdiges besitzet, oder entdecket hat, gesetzt, daß es auch nur eine Beobachtung von einem klugen Landmanne wäre, und uns solches unter seinem Nahmen mittheilen will: so wollen wir es mit Danck annehmen und bekannt machen. Nur diejenigen werden sich betrügen, die ein hertzbrechendes Liedgen auf ihre Doris gemacht haben, und das Andencken derselben in unsern Blättern aufbehalten wollen. Diese mögen ein anderes Behältniß für ihre Kleinigkeiten und für ihr Nichts suchen. Exinde, praeter alia, intelligitur, nullum hic disciplinis mathematicis concedere locum voluisse Auctores. At mutarunt paullo post sententiam, et in *Praefat. Vol. II.* earum quoque se rationem esse habituros interdum, verbis sequentibus declararunt: *Da wir bemercket haben, daß das Magazin bey Männern von höherem Geschmacke einigen Beyfall gefunden; so haben wir den ersten Vorsatz aufheben, und den Mathematikverständigen das Recht einräumen müssen, welches den Arzeneygelehrten schon beym Anfange dieser Sammlung zugestanden ist. Wir wissen mehr als zu deutlich, daß die Mathematik einer gründlichen Naturlehre eben so unentbehrlich, als sie einer gründlichen Arzeneywissenschaft ist, und daß nur diejenigen Männer in diesen beyden Wissenschaften groß geworden sind, welche sich mit jener vorher genau bekannt gemacht haben.* Iam Volumen huius Operis tertium ac vicesimum prostat. Singula Partes continent sex, tabulis non nunquam aere expressis, rerumque Indice ornatas. Inter Germanorum scripta varia hic occurrunt, quae Kaestneriano ingenio debentur.

Eodem

Eodem anno *Gedani* prelo exiit *Preuſſiſche Sammlung allerley bisher ungedruckter Vrkunden, Nachrichten und Abhandlungen.* Volumina ſunt III. vltimo *a.* 1749. diuulgato. Quoduis ex Partibus duodecim conſtat. STRODTMANNVS in *den Beyträgen zur Hiſtorie der Gelahrh. Parte IV. p.* 35. Editorem dicit MICH. CHRISTOPH. HANOVIVM, Prof. Gedanenſem. Honorifica huius Collectionis mentio iniicitur a Lipſienſibus in *den gel. Zeit. a.* 1748. *p.* 539. tandemque additur: *Man ſiehet hieraus, wie trefflich die Rechte, die Geſchichte der Kirche, des Staats, und der Gelehrten, beſonders im Pohlniſchen Preuſſen, durch dieſe Nachrichten erläutert, verbeſſert, und ergäntzet werden können.*

Meliorum quoque Diariorum numerum augent ANT. FRANC. GORII, ornamenti Florentini, *Symbolae litterariae, Opuſcula varia, philologica, ſcientifica, antiquaria, ſigna, lapides, numiſmata, gemmas, et monumenta medii aeui, nunc primum edita, complectentes*, quibus magnam omnino gratiam ab elegantiorum ſtudiorum cultoribus iniit. Volumen I. atque II. *Florent. a.* 1748. *in 8. mai.* lucem adſpexit. *Anno* deinde 1749. diuulgatum eſt, et in *Actis Eruditorum Lat. eod. anno p.* 630. *ſq.* recuſum, *Programma de continuatione Symbolarum*, in quo Vir ſummus bona fide promittit Volumina XII. quidque in futuris Voluminibus ſex exſpectandum ſit, adcurate docet. Adiungit ſimul catalogum Opuſculorum, quae vel ipſe inſerere conſtituit, vel ab aliis hominibus doctis, ſecundum litterarum ordinem commemoratis, elaborata partim in manibus ſe habere iam, adfirmat, partim breui habiturum confidit. Quum autem luculenter pateat exinde, ampliorem eſſe talium ſcriptorum adparatum, quam vt in duodecim paruae molis Volumina redigi commode poſſit; Gorius, abſoluta Decade, incepit mox

mox alteram, cuius Volumina quatuor *Romae a.* 1751. et 1752. excuſa fuere. Cf. *Catal. Bibl. Bunauianae, Tomo II. p. 456.* An plura nunc Decadis II. Volumina proſtent, ignoro adhuc; ea eſt enim librorum Italicorum apud nos conditio, vt non facile, niſi in Bibliothecis inſtructiſſimis, rariſſime autem in tabernis, eorundem inſpiciendorum copia detur. Ipſe doctiſſimus STOSCHIVS, qui Vitam Gorii in *dem Neuen gelehrten Europa, Parte X. p. 301. ſq.* data opera deſcripſit, priora ſaltim Volumina quinque, quorum certe nouit editionem, recenſet. Nec multa tamen, ſi quae praetermiſſa abs me ſunt, reſtabunt, Editore a. 1757. e rebus humanis ſublato. Scripta exhibita modo Latine, modo Italice, plerumque tamen illa lingua, ſunt compoſita, et, praeter alia quantiuis pretii monumenta, multa etiam continent, quae Antiquitates eccleſiaſticas mirifice illuſtrant. Qua in re conſentientes habeo ad vnum omnes, ipſam licet Syllogen Gorianam legere mihi nondum contigerit. Paſſim accedunt figurae aeri inciſae.

Qui ſtudio oeconomico, noſtris temporibus egregie exculto, intentiori cura ſeſe dicarunt, iis non parum proderunt bina Diaria Lipſienſia, aetate quidem non nihil diſparia, ſed quae commode tamen coniungi hoc loco poſſunt. Primum ita inſcribitur: *Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadtwirthſchaftlichen Policey- Finantz- und Cameralweſen dienenden Nachrichten caet.* Pars prima *Lipſiae a.* 1743. *in 8.* prodiit, ac nuper vidi centeſimam ſeptimamque et quinquageſimam, quae Volumen XIV. inchoat. Promiſſi etiam ſunt haud ita pridem Indices vniuerſales in priora Volumina duodecim. Singula eorum Partes complectuntur duodecim, ac Praefatione atque Indice inſtru-

instructa sunt. Auctor instituti est Vir harum rerum peritissimus, GE. HENR. ZINCKIVS, quem alii nonnulli suis symbolis adiuuare studuerunt. Praeter varias Commentationes et Consilia, ad Oeconomiae culturam adcommodata, scripta etiam huius generis indicantur quandoque et recensentur, vna cum Vitis eorum, quorum sunt magna in hoc ipso studio merita. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1743. *p.* 261. *sq.* vbi tandem ita de Opere laudato iudicatur: *Einem ieden, der ein Liebhaber von Cammer- und Wirthschaftssachen ist, wird diese gründliche Monathsschrift angenehm, denen aber, die mit Land- und Ackerbau sich beschäftigen, unentbehrlich seyn.*

Alterum Diarium sequutum est *ibidem a.* 1749. vocatumque *Oeconomische Nachrichten.* Verus eius parens est Vir perillustris. PETRVS L. B. AB HOHENTHAL, Lipsiae suae decus, cuius mihi iucundissima semper recordatio erit, quod contigit olim, studia eius ac mores moderari. Is, adscitis quibusdam sociis, in hoc maxime animum defixit, talium studiorum amore vehementer inflammatum, vt publice proponeret, quicquid ad agrorum, hortorum, vinearum, reique pecuariae, saltuum item ac piscinarum culturam, nec non ad zythum coquendum, horumque omnium emendationem, spectat. Ex quo haud difficulter cognoscitur, angustioribus, quam Zinckianum, hoc Diarium cancellis circumscribi. Nec tamen cedit eidem grauitate rerum ac praestantia. Plenum est vtique inuentorum nouorum atque obseruationum vtilissimarum, quae vel ipsis debentur Auctoribus, vel, ex monumentis exterorum prudenter delecta, Germanicum in sermonem translata fuere. Duodecim Partes Volumen implent *in 8.* hisque semper Index accedit. Centesima haud ita pridem Pars ac tricesima

tricesima secunda Volumen XI. absoluit, cui vt succedant longe plura posthac, industria efficiet Hohenthaliana.

§. XIV.

In dictum supra *annum* 1749. incidunt adhuc natales *der Marburgischen Beyträge zur Gelehrsamkeit, nebst den Neuigkeiten der Vniuersitäten Marburg und Rinteln*. Quatuor Partes, Praefatione Viri illustris, IO. GE. ESTOR, et copioso rerum Indice ornatae, non exiguae molis Volumen *in 8*. constituunt, quotannisque vnum promiserant Auctores, inter quos cogniti sunt Ioh. Arckenholtz, Aemil. Ludov. Hombergk zu Vach, Ge. Ern. Ludov. Preusch, Iurium tunc Candidatus doctissimus, Ioh. Adam. Bernhard, Tabulario Hanouiensi praefectus, et ipse laudatus Estor, qui licet occultare sese voluerit, facilè tamen, ni plane fallor, obductum retrahi velum potest. Sed post Partem quintam, quam *Marb. a.* 1750. accepimus, deferbuisse conatum credo: plures certe, quas diligenter in taberna non vna requisiui, adipisci haud licuit. Multa continent hae Symbolae inedita, eaque ad Ius patrium et publicum in primis Historiamque, ciuilem ac litterariam, pertinentia. Speciatim Hassiae habita est ratio; ideoque et Edicta Principis, et res inter eruditos Marburgenses, Rintelienses, Cassellanos atque Hanouienses gestae, diuersis Capitibus exponuntur.

Oxonii a. 1750. *in 8. mai.* nescio quo Auctore prodiit: *the Student, or the Oxford and Cambridge monthly Miscellany*. Minora hic offeruntur Opuscula, versusque Anglici et Latini. Delecta sunt quaedam ex omnibus litterarum humaniorum partibus, ne quid, pro varietate ingeniorum, desideretur. Scripta, sermone soluto exarata, modo critica sunt, modo

modo ſatyrica, modo moralia, modo iocoſi, modo ſerii argumenti, eaque omnia primum hic in lucem, nec inſciis iis, a quibus originem habent, proferuntur. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1752. *p.* 41. *ſq.* Neſcio autem, an diu ſucceſſerit inſtitutum. In *Catalogo librorum* FRID. OTT. MENCKENII *P. II. p.* 206. inueni tantum *ſedecim Numbers*, ſiue Particulas, quarum poſtremae *a.* 1751. editae fuerunt. Decem tenue Volumen explent.

Adiungo huic longe vtilius apud nos Diarium, ſcilicet illuſtris Viri, FRID. CAROLI MOSERI *kleine Schriften, zur Erläuterung des Staats- und Völcker-Rechts, wie auch des Hof- und Cantzley-Ceremoniels.* Vol. I. *Frf. ad M. a.* 1751. *in 8.* diuulgatum eſt. Inſcriptio Operis iam ſatis docet, quo potiſſimum conſilio celeberrimus Auctor hoc ipſum ſuſceperit. Commendandum igitur de meliori eſt iis, qui in aulis verſantur, Principumque negotia tractant. Selecta ſunt autem talia capita, quae nemo vel tetigit ante, vel vllo veritatum inter ſe, et cum principiis ſuis connexarum, ordine propoſuit. Iura ſigillatim Legatorum in omni Europa ſolidius copioſiusque, quam factum eſt ab aliis, explicare ſtudet Moſerus. Idem quouis bimeſtri peracto Volumen promiſit, quod et praeſtitum initio: deinde vero neſcio quae cauſſae morae non nihil ac tarditatis attulerunt. Anno enim 1759. Volumen demum octauum accepimus. Plura exſpectant eiusmodi rerum amatores, exſpectant quoque Indices, quorum bis facta ſpes eſt. Nunc ii accedent forſitan vna Decuria abſoluta.

Multa in rebus mathematicis, phyſicis, medicis, atque hiſtorico-philologicis praeclara docent *Commentarii Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis*, qui ſtudio V. C. IOH. DAV. MICHAELIS adhuc

huc diuulgati sunt. Tomus primus *Gottingae a.* 1752; alter *a.* 1753; tertius *a.* 1754; quartus *a.* 1755. *in 4. cum fig. aen.* lucem vidit. Tanta est in hisce studiis doctrina Halleri, Segneri, Hollmanni, Kaestneri, Mayeri, Gesneri, Ernestii, ipsius Michaelis, et aliorum Obseruationum Auctorum, vt ex eorundem ingenio non nisi nouae veritates, vel antea haud satis expositae, nascantur. Itaque in Commentariorum etiam Voluminibus laude, qua florent, digna obtulerunt.

In Westphalia docti quidam Viri Diarium adornarunt, hoc titulo insignitum: *Westphälische Bemühungen zur Aufnahme des Geschmacks und der Sitten.* Lectu iis erit iucundissimum, quibus elegantiores litterae in deliciis sunt. Quoduis Volumen Partes complectitur sex, primaque *Lemgouiae a.* 1753. *in 8.* prodiit: quarta vero ac vicesima, quae *Volumini IV*, eidemque postremo, clausulam imponit, *ibid. a.* 1755. Ipsi Auctores de instituto sic disserunt in *Praefat.* Parti I. praemissa: *Vnsere Bemühungen sollen sich, ausser dem Geschmacke, auch auf die Sitten erstrecken. - - - Alle mögliche Arten der Abhandlung sollen uns dazu dienen. Bald werden wir ernsthaft, bald aufgeweckt und belustigend schreiben. Erzählungen, Briefe, Gespräche, Betrachtungen, Characters, Fabeln, Träume, Vebersetzungen, und mit einem Worte, allerley Auffätze werden willkührlich mit einander abwechseln.* Inspexi olim schedas hasce, quantumque memoria repetere lecta possum, varias etiam librorum recensiones criticas deprehendi.

Ad *annum* quoque 1753. referri origo debet *des allgemeinen Magazins der Natur, Kunst und Wissenschaften.* Opus *Lipsiae in 8. mai.* excudi solet. Certa quaedam doctorum hominum societas illud ipsum

ipsum eo adgressa est consilio, vt praestantissimae Obseruationes, argumenti maxime physici, quae in exterorum pariter et Germanorum Commentariis vel rarioribus, vel saltim pretiosis, dispersae inueniuntur, patria lingua legi, communemque ad vtilitatem adhiberi a plurimis possent. Multa igitur hic obuia sunt ex *Transactionibus Anglicanis*, aliisque huius gentis Ephemeridibus, ex *Commentariis Bononiensibus*, *Academiarum Petropolitanae*, *Berolinensis et Gottingensis*, *ex Museo Heluetico*, *Journal Oeconomique*, *Saggi di dissertazioni academiche di Cortona*, *Raccolta d' Opuscoli scientifici e filologici* caet. desumta, passimque interpretum notis illustrata. Quaelibet Pars mediocris Voluminis formam habet. Decima prodiit *a.* 1758. Nonnunquam intermixtae sunt tabulae aeneae. Cf. *die zuverläſſigen Nachrichten*, *Vol. XVI. Parte 185. p. 352. sq.* et *Götting. gel. Zeit. a.* 1753. *p. 739. sq.*

Ad continuandam, quae supra §. V. memorata fuit, Bibliothecam Lubecensem *eodem anno Lubecae*, studio FRID. IOACH. SCHNOBELII, IOH. HACKII, Sacerdotum, et IOH. DAN. OVERBECKII, Conrectoris Lubecensis, prodire coepit *Noua Bibliotheca Lubecensis*, labor Theologiae, et in primis artis exegeticae, studiosis potissimum consecratus. Non nulla tamen, vt in priori Bibliotheca litterariae Historiae capita, eaque haud contemnenda occurrunt, v. g. *Seelenii* Notitia libri rarissimi, *Speculum humanae saluationis* inscripti, caet. Quatuor et hic Volumina Tomum implent primum *in 8.* eleganti clarissimi Overbeckii Praefatione ornatum: cum altero autem, *a.* 1757. absoluto, finitum est hocce negotium, cuius in locum succeſſere, auctoribus doctissimis Viris, OSTERMEIERO et SCHNOBELIO, Sacerdotibus, atque IOH. DAN. OVERBECKIO, *Miscellanea Lubecensia*. Volumen I. *Rostoch.*

et *Wismar. a.* 1758. alterum 1759. *eadem forma* est productum. Quoduis vndecim explet plagulas.

Iis, qui Iurisprudentiam tractant, et cum re litteraria coniungunt, de meliori commendari debent *die Hallischen Beyträge zu der juristischen gelehrten Historie.* Architectus iucundissimi huius Diarii est illustris Fridericianae Antecessor, DANIEL NETTELBLADT, vti aperit ipse in *Praef. Vol. II.* praefixa. Pauca saltim initio aliorum industria suppeditauit, scilicet *Parte I. art. 2. et 4; Parte II. art. 3;* ac *Parte III. art. 2.* Prima Pars lucem vidit *Halae M. a.* 1754. *in 8.* quatuorque in Volumen sunt redactae, Indice rerum praecipuarum instructum. Iam haec scribenti Pars decima, quae Voluminis tertii secunda est, ante oculos versatur, ac verendum omnino, ne hoc propediem vltimum sit, nisi, quod spero, plausus publicus remittentem paullatim ardorem excitet rursus innouetque. Triplex autem Operis dos est; respicitur enim partim ad Historiam Iurisprudentiae, partim ad Biographiam, partim ad Bibliographiam iuridicam. Pleraeque Commentationes nouae sunt: nonnullae tamen recusae etiam, si difficulter hac aetate comparari queant. Pertinent huc, quae LVDOV. AVG. WÜRFFELIVS *de Tiberio Coruncanio;* ADR. STEGERVS et CHRISTOPH. WOLLIVS *de Vlpiano, eiusque Hebraismis;* CAR. OTTO RECHENBERGIVS *de origine et historia Professionis de V. S. et R. I. in Academ. Lipsiensi;* MICH. HENR. GRIBNERVS *de incrementis, quae proximis temporibus sensit Iurisprudentia,* ac *de titulis veterum Ictorum, quum Iuris auctores, conditores, adpellantur;* CAROL. FRID. SCHOEPFIVS *de Sagi-Baronibus in Mallobergiis* olim scripserunt. Inter praestantissimorum, quos mors dudum viuentium eripuit numero, Ictorum vitas, diligenter expositas, nec ita obuias alibi, referri merito debent Re-

latio

lationes de Franc. Duareno, Casp. Zieglero, Corn. van Eck, Henning. Goden, Hieron. Schurffio, Melch. Klingio, Ioh. Sam. Heringio, Arnoldo Vinnio. Singulis Partibus adiuncta est cum recentissimorum, quae ad Historiam Iurisprudentiae litterariam faciunt, scriptorum, tum Nouorum iuridicorum Halensium enumeratio.

Longissimam omnino aetatem merebantur *die wöchentlichen Franckfurtlischen Abbhandlungen, zu Erweiterung der nothwendigen, brauchbaren und angenehmen Wissenschaften.* Per *annum* 1755. singulis hebdomadis plagula *in 8. Francof. ad Moenum* edita, omnesque deinceps titulo vniuersali in tabernas productae librarias fuerunt. Argumenta, quae pertractantur, desumta potissimum sunt ex Iure gentium et publico, ex Philosophia morali, atque ex Scientia Politiae et Oeconomiae. Moderator instituti fuit FRID. CAROL. MOSERVS, Vir scriptis limatissimis celeberrimus, cuius Commentationes in fine libri simplicis stellulae signo notantur. Parentem, IOH. IAC. MOSERVM, indicant, quibus triplex est stellula subiecta: caeterae, duplici distinctae, auctorem mihi haud cognitum habent. Eae, quas Moserus, filius, dedit, et propter delectum rerum, et propter venustatem stili, mirifice Lectoribus placebunt. Dolendum igitur, fructus hosce, quos multi sibi promiserant vberrimos, in ipsa statim herba esse suppressos. Caussas *in Epilogo* Diarii sequentes adfert laudatus Moserus: *Die Vmstände derer, welche daran den mehresten Antheil haben, und die sie zu wo nicht wichtigern, iedoch dringendern Geschäften abrufen; der Mangel der Mitarbeiter, die bey einer Schrift unumgänglich erfordert werden, welche sich so mancherley Arten von*

 Lesern

Lesern angenehm und brauchbar machen soll, und zum Theil auch der herrschende Geschmack hiesiger Gegend, vvo vielleicht ein Journal von Wein- und Waaren-Preisen, und eine pragmatische Geschichte der neuesten Banquerouts und der hangenden Processe (dann vvir haben zvvar laufende Gelder, aber keine solche Iustitz) dem Verleger mehrern Abgang, als eine christliche Sittenschrift, zuvvege bringen vvürde, machen dieser Schrift ein kurtzes Ende.

Agmen hoc amplificat *das Bremische Magazin, zur Ausbreitung der Wissenschaften, Künste und Tugend von einigen Liebhabern derselben mehrentheils aus den Englischen Monathsschriften gesammelt und herausgegeben.* Principem huius Diarii curam sustinet, quantum ego quidem sciam, Vir doctissimus, IOH. PHIL. CASSEL, factumque rei initium est *anno* 1756. Rationem instituti luculenter docet adscriptus iam titulus Germanicus. Argumenta Obseruationum, ex Anglicis plerumque Ephemeridibus translatarum, mixta sunt, vt multos alliciant Lectores. Itaque inueniuntur hic, quae ad Philosophiam naturalem ac moralem, quae ad Medicinam, quae ad Antiquitates et rem criticam, quae ad Historiam litterariam caet. spectant. Adiecta simul sunt loca, ex quibus depromta fuere singula. Sub finem autem Partis memorantur libri, nouissime apud Anglos excusi. Tres Partes implent iustae molis Volumen *in 8. annoque* 1759. absolutum est Volumen tertium, cui vt Editores, boni publici studiosissimi, longe plura succedere iubeant, eo magis optandum, quo rarius Ephemerides Anglicae vel acquiri, vel legi in Germania possunt.

Nuper-

Nuperrime demum inſpicere contigit Viri celeberrimi, IOH. DIETER. WINCKLERI, iam Theologi Hamburgenſis, *Anecdota Hiſtoriae eccleſiaſticae nou-antiqua*, *oder Sammlung ungedruckter gelehrter Merckwürdigkeiten*, caet. Quae quum iuſto indicare loco non amplius mihi ſit integrum, hic ſatius eſt eadem ſubnectere, quam plane tranſire ſilentio. Pars I. et II. *Chemnitii a.* 1751. ſequentes ab *anno* 1754. *Brunſuigae in 8.* prodierunt. Sexta, cum Adpendice ac rerum Indice, Volumen primum terminat. Septima Pars, Voluminis II. prima, *anno* 1759. eſt exhibita. Profert autem diligentiſſimus Wincklerus partim ex ſuis, partim aliorum ſcriniis, varia memorabilia, largaque manu notas interſpergit, maxime litterarias. Non nulla horum Anecdotorum ſuppeditauit, vt exemplo vtar, ſumme reuerendus ſacrorum Luneburgenſium Antiſtes, IOH. IVST. EBELINGIVS. Dubium non eſt mihi, quin Hiſtoriae eccleſiaſticae cultores auide exſpectent inſtituti praeclari prorogationem. Manum nunc retraho a labore, qui, vix dictu eſt credibile, quantum temporis eripuerit mihi, quantum moleſtiae attulerit. Reſtare adhuc inſignem Diariorum copiam, haud ignoro: locum tamen hic omnibus dare nec potui, nec volui. Satis enim ſpatii iam occupauit hocce Caput in Bibliotheca ſelecta, tantumque abeſt, vt addere plures eiusmodi libellos liceat, vt deſecandi potius nonnulli eorundem videantur. Multi etiam indigni ſunt, meo quidem iudicio, qui ſtudioſius recenſeantur, atque ex tenebris in hanc ſaeculi lucem procedant. Plerique certe, a me, quantum in poteſtate mea ſitum fuit, adcuratius deſcripti, praeſtantiſſimorum, ni plane fallor, Diariorum laudem habent; a quibus vero ſi praetermiſſa quaedam excluſerim, facile culpae me veniam ab aequo Lectore ſpero

 impe-

impetraturum. Malui aliquam eorum partem omni cura ſtudioque proponere, quam horum ingredi veſtigiis, qui ante me horrendam Diariorum farraginem leui brachio, iudicioque nonnunquam deſtituti, corraſerunt.

CAPVT SEPTIMVM

DE

SCRIPTORIBVS VITARVM.

§. I.

Praecipuam Historiae litterariae partem Vitarum constituere scriptores, iam olim recte dixit MORHOFIVS in *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 19. princ. Quum enim,* pergit, *duplex proficiendi in litteris via sit, altera per praecepta, altera per exempla; haec posterior priori praeferenda omnino est, quo magis ipse vsus in rem praesentem deducit. Prout enim incidimus in vitam vel Philosophi, vel Icti, vel Medici, vel Politici; ita multa discimus, quae ad scientias illas spectant, e* τύπῳ *illo* περιστατικῷ, *singularia, de quibus nunquam cogitarunt, qui praecepta tantum proponunt. Ex illis arcana quaedam colligi possunt, quae non scientiam tantum, sed et prudentiam hominis litterati augent. Vt enim in vita ciuili, ita quoque in vita hominis litterati, prudentia quadam opus est in omni negotio. Conuersationis sane eruditae ratio e vitis virorum doctorum formari quam maxime potest.* Accedit, Vitas

tas hominum ingenio doctrinaque illustrium legendo, non solum praeiudicium, vt vulgo dicimus, auctoritatis antiquitatisque sensim exui, sed cognosci etiam, quanti Viri, Musarum ope ac beneficio, euaserint, adeoque alios, vt similia tentent, incitari. Cf. HEVMANNI *Consp. Reip. litt. Cap. I. §. 4.* Idem breuiter docet *Cap. VII. §. 1.* quidnam in perfecta Vitae descriptione sit obseruandum. Haec omnino eiusmodi digna est laude, quae primo familiam Viri docti, natiuitatem, educationem, peregrinationes, quo et referri debent scholae et Academiae, in quibus litteris didicit, munera, coniugium liberosque, fata singularia, morbos obitumque, praecipue vero ingenium, mores ac viuendi rationem exponit; deinde studia eius litteraria, commercium epistolicum, controuersias litterarias, scripta non edita solum, adiecto loco, anno formaque, qua prodierunt, sed etiam nondum excusa, itemque adfecta, diligenter commemorat. Paullo fusius haec ab Heumanno adlata repetiit Clar. CHR. FRID. GE. MEISTERVS in *Diss. epistol. de vtilitate, virtutibus et naeuis Histor. litt. biographicae Gottingae* 1742. *in 4.* Exempla Vitarum eiusmodi, quae magni aestimantur vtique, infra producere animus est. Iam id adhuc tangere licebit, an in Vitae descriptione indulgendum sit etiam rerum minimarum recensioni? Damnauit hoc ROLAND. MARESIVS *lib. II. epist. 5.* et *epist. 44.* In eiusdem *libri epist. 25. p. 366. edit. Lips.* Germanos praecipue vituperat, quod ex his quidam eorum, de quibus scribunt, parentes referant, diem, et aliquando horam, qua nati sint, et talia, quae in Regibus solum, et in Viris maxime illustribus, requirantur. In quo non sequi eos, addit, Suetonium, optimum auctorem, qui in libellis de claris Rhetoribus et Grammaticis, relictis eius-

modi

modi inutilibus ea tantum, quae ad rem faciunt, adducta, nempe de eorum conditione fortunae, de scriptis, et aliis rebus maxime notabilibus. Sed, praeter MORHOFIVM *l. c.* inspiciendum, data opera Maresium refutare studuit CHRIST. FEVSTELIVS in Schediasmate, *quo in genere de eruditorum Germanorum vitis contra iniquas nonnullorum Gallorum censuras, in specie de* Βιογραφοις *Germanorum, contra Rol. Maresii iudicium agitur.* Prodiit *Lipsiae a.* 1707. *in 8.* insertumque postea eiusdem *Miscellaneis sacris et eruditis, ibid. eademque forma a.* 1715. exhibitis. Homo interim, non prorsus a mente desertus, prudenter versabitur in vita describenda, nec ita moleste sedulus erit, vt omnia, quae sunt puerilia et inepta, interserat. Nemo certe risum tenere poterit, qui Beniam. Bieleri legerit vitam, vel ELIAE FRID. SCHMERSAHLII, illam obuiam in RATHLEFII *Geschichten ietzt lebend. Gel. Parte IV. p.* 523. *sq.* hanc itidem Germanice *Langensaltzae a.* 1758. *in 8.* Partibus IV. editam, de qua vid. *die Götting. Anzeig. von gel. Sachen a.* 1759. *Parte LXIII. p.* 558. *sq.* et *Parte CXXXVIII. p.* 1199. Quantum hic nugarum! Non difficile foret, plura congerere exempla: at nolim crabrones irritare. Diuiditur Historia litteraria biographica in *vniuersalem, particularem,* et *singularem.* Vniuersalis vel omnium, quotquot ab orbe condito ad recentissima vsque saecula innotuere, Virorum doctorum vitas continet, vel certae saltim patriae, disciplinae, aetatisue non habet rationem: particularis tales proponit eorum, qui certam gentem, vel vrbem, certum ordinem, certam disciplinam, vel artem, certum item tempus illustrarunt: singularis denique est, si vnius tantum vita recenseri solet. De his omnibus commoda, quantum rerum copia permittet, methodo nunc agemus.

§. II.

§. II.

Operosus admodum fuit PHIL. LABBEVS in designandis Scriptoribus, qui Elogia et Vitas clarorum hominum cum generatim, tum certarum nationum Ordinumque, imo particulares etiam, composuere. Factum id in *Bibliotheca* eius *Bibliothecarum*, aliarum simul rerum fertili, quae primum *a.* 1653. cum Specimine nouae Bibliothecae MStor. librorum, deinde curis secundis perpolita *anno* 1664. *in* 4. *Parisiis*, adiecta Bibliotheca nummaria et Mantissa antiquariae supellectilis; praeterea *Rothmagi a.* 1678. *in* 8. SELDENI libello *de nummis* auctior; denique *Lips. a.* 1682. *in* 12. prodiit. Singulos Scriptores ordine alphabetico, secundum cuiusque praenomen, recenset Labbeus, at non sine multis erroribus, siue nomina spectaueris Auctorum et librorum titulos, siue ipsa scripta, quae aliud haud raro institutum habent, quam vt hic occupare locum possent. Quod quum probe perspiceret ANTON. TEISSERIVS, emendatiorem longe nouisque subsidiis instructiorem is parauit editionem, *Geneuae anno* 1686. *in* 4. *mai.* ita productam: *Catalogus Auctorum, qui librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum litteratorum Elogia, Vitas, aut Orationes funebres, scriptis consignarunt: cum* PHIL. LABBEI *Bibliotheca nummaria, et Mantissa antiquariae supellectilis.* Fundamento vtique Labbeano niti hoc Opus, dubio caret: ex titulo tamen, nisi et Praefatio legatur, facile credendus esset solus Teisserius architectus eiusdem. Deleuit is iniurias contra Protestantes simul, quae apud Labbeum passim occurrunt. Accessit postea *ibid. a.* 1705. *Auctarium*, in quo supplentur quidem antea omissa, sed complura etiam typothetarum menda irrepsere. Cf. *Supplementa ad Acta Erud. Tomo II. p.* 5. et REIMMANNI *Catal. Biblioth. Tomo II. p.* 82. *sq.* vbi

vbi nec ea ſunt neglecta, quae iure Teiſſerio vitio vertuntur. Poſt huncce veluti Prologum accedamus ad ipſos Biographos vniuerſales, quo et Elogiorum Scriptores, Iconumque Editores, referendi. Primum quodammodo inter eos locum obtinet PETR. OPMEERVS, Amſtaelodamenſis, quippe qui ſcripſit *Opus chronographicum Orbis vniuerſi, a mundi exordio vsque ad a.* 1570, continuatum deinde vsque *ad a.* 1611, quo ipſo *Antwerp. Tomis II. in fol.* per LAVR. BEYERLINCKIVM eſt typis impreſſum. Optima haec editio et rariſſima. Cf. FELLERI *Monum. ined. Trimeſtri VII. p. 421. ſq.* Maxima laboris pars Hiſtoriam quidem ciuilem complectitur; at inueniuntur tamen in eo Icones etiam et Elogia Pontificum caet. Virorumque illuſtrium. Vſus Operis hodie perexiguus eſt, praecipue quum Opmeerus, morte praeuentus, vltimam ei limam adferre non potuerit. Addenda IOH. IAC. FRISII *Bibliotheca Philoſophorum claſſicorum Auctorum chronologica*, caet. Liber *Tiguri a.* 1592. *in 4.* excuſus, deinde inſertus IANI GVALTERII, i. e. GRVTERI, *Chronico Chronicorum eccleſiaſtico, Tomo II. p. 820. ſq.* Centum quoque exemplaria *Hamburgi, anno* circiter 1655. Auditorum gratia, ſuo aere PETR. LAMBECIVS edidit. Scriptores autem non philoſophos tantum, quos indicat titulus, ſed alios pariter, qui a mundi origine, vsque ad annum 1540. inclaruerunt, recenſet Friſius, eosdemque per temporum ſeriem diſtinguit, vbi vixerint, et quid ſcripſerint, breuiſſimis exponens. Nec ſatis tamen ea in re verſatus eſt diligenter, iamque LAMBECIVS in *Prolegomenis ad Prodrom. Hiſtor. litter.* oſtendit, vilioris hunc eſſe librum conditionis. *Haec quidem*, ait, *Bibliotheca inſcriptione ſua aureos mihi pollicebatur montes, adeo, vt, quod quaeſiueram, certo iam crederem me inueniſſe; verum vbi Opus illud penitius inſpexi,*

ſpexi, *pro theſauro*, *vt aiunt*, *carbones*, *et pro virgine ceruam repperi.* Comprobat haec dicta variis argumentis. Primum enim in Chronologia fallitur Auctor saepius, multosque modo antiquiores, modo iuniores, quam re ſunt vera, reddit; deinde ſcripta ſpuria ac ſuppoſita haud raro ſincera habet atque genuina; tandem diuerſos eiusdem nominis homines vbiuis propemodum confundit, vnumque cum altero imprudenter permiſcet. Cf. HEVMANNI *Acta Philoſ. Tom. I. p. 720. ſq.* Caeterum exemplar manu ſcriptum *Bibliothecae Friſianae*, ab Lambecio ſuppletae, correctae, ac Diſſertationibus aliquot illuſtratae, e Mayeriana olim in IOH. B. MENCKENII Bibliothecam tranſiit, teſte *Catalogo p. 834. edit. ſec.* Hoc ſaeculo meliora nobis producta ſubſidia fuere. Quod enim, ſub initium eius, ſcripſerat STRVVIVS *Introd. in not. rei litt. Cap. VII. §. 2.* his verbis: *Multi quidem vſus eſſet*, *ſi Opus biographicum haberemus*, *in quod congeſtae Vitae eruditorum*, *quotquot poſſunt haberi*, *et quae ad litterariam notitiam faciunt*, id poſt KOENIGII *Bibliothecam veterem et nouam*, de qua ſupra *Tomo I. p. 82. ſq.* fuſius dixi, nunc praeſtitum feliciter eſt *Lexico Eruditorum Lipſienſi*, Germanice exarato, primumque laudati MENCKENII auſpiciis, et variorum, praecipue IOH. DAN. IACOBI, induſtria *Lipſ. a.* 1715. edito, poſtea IOECHERI calamo ita perpolito auctoque, vt nunc *Tomos IV. in 4. mai.* expleat. Poteſt hoc vere Opus biographicum vniuerſale adpellari; quamquam concedo non inuitus, complura emendari adhuc debere addique, et largiſſimum ſupereſſe omnino, poſt meſſem Ioecherianam, ſpicilegium. Tale cum eruditis communicare inceperat CHRISTIAN. ERN. HAVBERVS, cuius *Beytrag zum Ioecheriſchen Gelehrten Lexicon Hafn. et Lipſ. a.* 1753. *in 8.* prodiit. Breuis hic, triumque ſaltim plagu-

plagularum, libellus insertus est deinde IOH. GOTTL. GVIL. DVNCKELII Collectioni. Maiora quippe is fuit molitus, vt Lexicon hoc perfectius vtique redderetur. Inscriptio sequens est laboris probandi: *Historisch - critische Nachrichten von verstorbenen Gelehrten und deren Schriften, insonderheit aber denenjenigen, welche in der allerneuesten Ausgabe des Ioecherischen allgemeinen Gelehrten-Lexicons entweder gäntzlich mit Stillschweigen übergangen, oder doch mangelhaft und unrichtig angeführet werden. Cöthen 1753. sq. in 8.* Partes quatuor iusti habent formam Voluminis, Auctorum Indice, multisque accessionibus et obseruationibus nouis instructi. Iam haec scribenti ad manus est Voluminis III. Pars tertia. Non iniquam autem credo sententiam in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1758. p. 671.* vbi haec: *Wir haben bemerckt, daß der Verfasser, so wie fast alle bisherigen, die von Gelehrten und ihren Schriften geschrieben haben, mit dem Nahmen eines Gelehrten zu freygebig ist; daher dann Männer mit unterlaufen, deren Lebensläufe der gelehrten Welt sehr gleichgültig seyn können, und deren Schriften so gar manchen Buchhändler und dessen Erben seufzen machen.* Quae monita fuerant in KOHLII *Hamburg. Bericht von gelehrten Sachen a.* 1753. *p. 686.* ad ea respondit Auctor doctus in *Praefatione Parti IV. Vol. I.* praefixa. Insignem quoque supplementorum et emendationum huius Lexici caussa, Syllogen parauit Clar. LESSINGIVS, quam vero vsibus Ioecheri futuris, vti accepi ab Amico, reliquit. Specimen interim lucubrationum illius reperitur in scriptis eiusdem minoribus Germanicis, *Parte II. p. 225. sq.* Varias Decades eruditorum, qui Lusatiam superiorem illustrarunt, et in

Lexico

Lexico Ioecheriano frustra quaeruntur, Diurnis Dresdensibus (*wöchentlichen gelehrten Anzeigen*) *anni* 1755. inseruit IMMANVEL. FRIDER. GREGORIVS. Nec hoc praetereundum est loco, *Berolini a.* 1756. *in 8. mai.* lucem adspexisse *Leben und Schriften verstorbener, besonders auswärtiger Gelehrten, welche in dem allgemeinen Gelehrten-Lexico theils noch nicht stehen, theils unvollständig beschrieben sind.* Parens huius partus, IOH. MART. MEYLINGIVS, ex Dedicatione cognoscitur. Plures is ipse promisit symbolas, haud ingratas certe futuras litterariae Historiae studiosis. Reliqua, de Lexico Menckenio-Ioecheriano quae addi possent, iam nec lubet, nec decet repetere. Disserui enim de hoc Opere in *Tomo I. p. 84.* Huc et pertinent GE. CHRISTOPH. HAMBERGERI V. C. *zuverläßige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern vom Anfange der Welt, bis aufs Iahr 1500.* Pars *prima*, quae Scriptores ante natum Seruatorem exhibet, *Lemgouiae a.* 1756: Pars *altera*, tales a Christo nato, vsque ad saeculum IV, recensens, *ibid. a.* 1758. *in 8. mai.* diuulgata est. Auctor doctissimus, cui semper vti licuit locupletissima Gottingensis Academiae Bibliotheca, satisfecit omnino exspectationi Lectorum, ideoque caetera, quae restant, sine dubio absoluet.

§. III.

Pergamus ad eos Biographos vniuersales, qui, neglecto longiori Chronologiae ordine, variorum eruditorum Vitas collegerunt. Scenam aperiant Itali. Primus eorum, quantum sciam, est PAVL. IOVIVS, cuius exstant *Elogia Virorum litteris illustrium.* Saepius, post editionem *Venetam*, primam, quantum scio, hodieque rarissimam, *a.* 1546. *in f.* adornatam, lucem vidit Opus, v. g.

Antwerp.

Antwerp. a. 1557. Basil. anno 1567. et 1571. in 8. at fine Iconibus, *ibid. 1577. in* f. *cum fig. ligneis*, haud inelegantibus. Habemus etiam HIPPOLITI ORII versionem Italicam, inter libros minus obuios referendam, *Florent. a. 1552. in 4.* de qua vid. *Thesaur. Bibliothecalis, Vol. I. p. 70.* Repetita fuit *Venetiis a. 1558. in 8.* teste *Catal. Bibl. Christiae P. II p. 399.* Ducenti fere descripti sunt Viri eruditi, quorum imagines Comi collegerat Iouius in Museo suo. REIMMANNVS in *Catal. Bibliothecae, T. II. p. 37.* hoc de dicto Opere iudicium tulit: *Viros ab auorum memoria, publicatis ingenii foetibus claros, ea serie recitat, quam aetatis ratio praescribit, vt natu maioribus iuniores locum concedant. Et dici non potest, quam praeclara, et illustria, et lectu digna sint haec elogia, et quam rebus singularibus et maxime raris referta. Quae licet non omnia extra dubitationis aleam sint posita; - - - multa tamen habent non vbiuis obuia, et veritati tamen omnino consentonea, v. g. de Ioh. Reuchlino, et Epistolis obscurorum virorum, N. 143. de Erasmo Roterodamo N. 95. de doctis Germanis in Epilogo. Nec elogia scribit tantum doctorum virorum, sed et vituperia. Siquidem nonnullos ex iis tantum abest, vt laudibus illustret, vt potius intemperanter laceret; quo dente N. 120. Ludou. Cael. Rhodiginum rodit, et alios. Et cum de mortuis ac fato functis hoc primo agat Volumine, de viuis se acturum secundo pollicetur. Quam fidem fata interceperunt.* Longe aliter e contrario sentit ROLAND. MARESIVS *Epist. philolog. lib. I. epist. 41. p. m. 185. In elogiis doctorum virorum,* inquit, *pauca quaedam de his, nec admodum notabilia, aliquando etiam inepta affert.* Nec sine caussa, si quid recti perspicio, Maresius ita existimat. At sunt haec tempori, quo scri-

ſcripſit Iouius, tribuenda. Singulis imaginibus ſubiecta ſunt vnum, vel plura, Epigrammata; atque inter haec ſemper exſtant, quae auctorem habent IOHANNEM LATOMVM, Berganum Catalogus, ordine alphabetico confectus, omnium doctorum hominum, de quibus diſſerit Iouius, reperitur in *Biblioth. Hiſtorica Hamburg. P. V. p. 133. ſq.* Italorum praecipue Elogia exponit, non omittit tamen et aliarum gentium Viros claros, IAC. PHIL. TOMASINVS, cuius *Elogia illuſtrium virorum, Iconibus exornata*, Tomis II. prodierunt *Patauii*, et primus quidem *a. 1630.* alter *a. 1644. in 4.* In hoc autem Opere, rarius nunc obuio, praeconem potius agit, quam verum ac perfectum vitae ſcriptorem. In adnotando interim ſtudiorum curſu, muneribus, quae geſſerunt, epitaphiis et ſcriptis eruditorum plerumque eſt adcuratus, ſi chronologiam exceperis, in qua fallit haud raro. Cf. omnino NICERON *P. X. p. 75. edit. Germ.* Intermiſcet etiam feminas quasdam. Sunt, qui IOH. RHODIVM, doctiſſimum Danum, non ipſum Tomaſinum, iſtorum Elogiorum praecipuum dicunt architectum, qua de re inſpici meretur THOM. BARTHOLINVS *de libr. leg. Diſſ. II. p. 34. edit. Meuſchen.* et in primis FRID. OTTO MENCKENIVS *Nouor. Miſcell. Lipſ. Vol. I. p. 148. ſq.* cui addendus VIGNEVL MARVILLE *Melang. d' Hiſt. et de Litterat. Vol. II. p. 376. edit. Roterod. a. 1700.* exhibitae. Sequutum hunc Auctorem IOH. IMPERIALIS *Muſeum hiſtoricum et phyſicum*, quod cum Iconibus quatuor et quinquaginta primum in lucem exiit *Venet. ap. Iuntas a. 1640. in 4.* Muſeum *hiſtoricum* illuſtrium litteris Virorum imagines, ad viuum expreſſas, continet, iunctis Elogiis, vitas eorundem ac mores notantibus: *phyſicum* ideo ſic dictum, quod in eo animorum imagines, ſiue ingeniorum natura, differentiae, cauſſae ac ſigna

gna physice perpenduntur. Audiamus hic loci CAMVSATVM in *iudiciis de quibusdam Elogiorum scriptor.* CIACCONII *Bibliothecae* praemissis, *p. 29. Italorum* inquit, *praecipuam iniecisse mentionem Elogiographum constat, at celeberrimos caeterarum nationum scriptores non intermisit: verum nihil ferme habet, quod lectorem harum rerum peritum detinere possit, quum generalia quaedam tantum annotet, cuique haud incognita, et eo stilo scripta, qui homini, in antiquorum lectione vel mediocriter exercitato, nunquam arridebit.* Fuse recensetur liber in STRVVII *Biblioth. antiqua anni 1706. p. 451. sq.* Recudendum eundem curauit, vna cum LEONIS ALLATII *Apibus vrbanis*, IOH. ALB. FABRICIVS *Hamb. a. 1711. in 8.* Cf. *Acta Eruditorum Lat. a. 1712. p. 42.* Icones, vt pretium minueretur, omissae sunt. Praeterea vero, quid in hac editione noua desiderandum sit, ingenue profitetur REIMMANNVS *l. c. p. 110.* Scilicet Parte vna, quae Dissertationes physicas exhibet, tota destituitur, et alteram mutilam profert tantum, et imaginibus aeri incisis orbatam; adeoque vix dici editio secunda potest. HIERONYM. GHILINVS *Theatrum* aperuit *hominum litteratorum*, lingua diuulgatum Italica primum *Mediolani in 8.* sine anno adiecto, quem KAPPIVS in *not. ad* IVVENEL DE CARLENCAS *Geschichte der schönen und anderer Wissensch. P. I. p. 465.* dicit esse annum *1640.* deinde autem *Venet. a. 1647. Partibus II. in 4.* quae est optima editio, notamque habet non vulgaris raritatis. Auctor de Scriptoribus quingentis et sexaginta circiter, potissimum exteris, agit, et apud nos parum cognitis. Sed nec adcurata sunt semper, quae memorat, nec fontes, ex quibus sua hausit, indicat, quod Operi, alias non inutili, praecipuum detrahit ornamentum. NICERONIVS in *Vitis erudit. Tomo XXXIX. p. 120. edit. Gall.* hac vtitur censura de Ghi-

lino: *Ses Eloges ne contiennent presque rien, que des generalités. Le peu de dates, qu'il y a, sont souvent fausses, et il parle des Ouvrages d'une maniere si vague, qu'il n'apprend presque rien. Il faut cependent excepter un petit nombre d' articles, qui sont plus curieux, plus recherchés, et plus exacts, que les autres.* Eodem paene modo formaque LAVRENT. CRASSVS *Elogia hominum litteratorum*, lingua itidem Italica, composuit, quae *Venet. a. 1666.* et *1668. Partibus duabus in 4.* edita fuere, ac nunc, aeque vt Ghilini, rarius conspiciuntur. Prior Pars Elogia et Icones LXXII. altera LXX. repraesentat. De Auctore MORHOFIVS in *Polyh. T. I. libro I. cap. 19. §. 52.* ita iudicat. *Continet liber varios per orbem terrarum litteratos, de quibus ille interdum non nulla refert, quae alibi non facile inuenias. Nescio tamen an sincera omnia fide: credo enim, multa illum ex aliorum relationibus hausisse. Recenset ille libros autorum editos ac ineditos, et nonnulla de vtrisque iudicia saepius inspersit. Notat etiam, vbi inueniri possint MSti quorundam autorum labores; quod vtile multis modis esse potest. De Scaligerianis et Salmasianis scriptis multi hic nominantur inediti, de quibus nullam apud alios mentionem fieri vidi. Non pauca ex hoc Autore didici, quae faciant ad historiam doctorum virorum. Adiunctae etiam sunt imagines.* Add. BAILLETVS in *Jugem. des Savans Tomo II. P. I. p. 39. edit. Amstael.* ibique DE LA MONNOYE, qui sic de Ghilino et Crasso *Ghilini et Crasso*, ait, *sont deux Ecrivains peu judicieux, grands et fades louangeurs, le premier sur tout.* De ANTON. BALDASSARRI *Compendioso Ristretto delle Vite di personnaggi alcuni illustri per la scienza ed altri celebri per santità e dottrina, in Foligno a. 1711. in 12.* et *in Venetia a. 1724. in 8.* differitur a Collectoribus *Actor. Erud. Germanicorum, Tomo IX. Parte 107. p. 786. sq.* Discimus

ſcimus exinde, Lexicon paruum eruditorum, ſacris Pontificiis addictorum, hanc, quam ipſe Auctor leuem, nec immerito, vocat, opellam exhibere; ordine alphabetico trecentas, et quod excedit, Vitas Pontificum, Patrum et aliorum Scriptorum, in diuerſis terris celebrium, recenſeri; noſtrorum ſacrorum homines, ſi occaſio ferat, conuiciis conſectari Baldaſſarrum turpiſſimis; multos paſſim errores eundem committere, raroque dicta ſua idoneorum teſtium fide confirmare.

§. IV.

Ex Biographis vniuerſalibus Gallorum caeteros aetate ſuperat THEOD. BEZA. Notae ſunt eius *Icones*, i. e. *verae imagines virorum doctrina ſimul et pietate illuſtrium, quorum praecipue miniſterio partim bonarum litterarum ſtudia ſunt reſtituta, partim vera religio in variis orbis Chriſtiani regionibus, noſtra patrumque memoria, fuit inſtaurata; additis eorundem vitae et operae deſcriptionibus, quibus adiectae ſunt nonnullae picturae, quas Emblemata vocant. Geneuae a. 1580. in 4.* Admodum rarum eſt hoc Opus, quam ſolam ob cauſſam eidem aliquid ſtatuendum videtur pretii; Vitae enim delineationes hodie vix mediocriter erudito placebunt. Cf. CLEMENT *Biblioth. de livres dificiles à trouver, T. III. p. 283. ſq.* vbi et verſionem Gallicam adducit, *a. 1581. ead. forma*, ipſius conſenſu Bezae, a SIMONE GOVLARTO editam, variisque auctam Iconibus, quae deſunt in Authentico Latino. Add. BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hälliſch. Bibl. Vol. VII. p. 474.* Quadriennio poſt ANDREAS THEVETVS, Hiſtoriographus Regis Galliarum, *Pariſ. a. 1584. in f. Tomis II.* luci expoſuit *Pourtraits et Vies des hommes illuſtres Grecs, Latins et Payens, recueilliz de leur Tableaux, Livres, Medailles antiques et modernes.* Recuſum

Opus *ibid. a. 1671.* et *1695. Tomis octo in 8.* iamque inter rariora eſt numerandum. Titulus nouarum editionum, quae priore ſunt multo auctiores, eſt hic: *Hiſtoire des plus illuſtres et ſçavants hommes de leurs ſiécles, tant de l' Europe, que de l' Aſie, Afrique et Amerique; avec leurs Portraits en taille douce, tirez ſur les veritables originaux.* Plures quidem Principum perſonarumque illuſtrium, Patrum item veterumque Scriptorum Vitas deſcribit, neque tamen recentiores hoc ex choro reiicit. Incipit ſtatim a Dionyſio Areopagita, quem, vulgari errore, primum Gallorum Apoſtolum dicit. Huius autem, adfirmat, ſe imaginem ex Athenarum vrbe deſumſiſſe. Multam ſibi Theuetus, variis in Graeciam atque alias terrarum partes itineribus ſuſceptis, acquiſiuerat notitiam, et hac occaſione non Icones tantum ſtatuasque illuſtrium Virorum delineauerat, ſed complures quoque nummos collegerat, imaginibus Virorum ſummorum inſignitos. Horum itaque Vitas expoſuit, ſed illas non a capite ad calcem deduxit, ſaepiusque attulit Elogia magis, quam ſingularia. Mores tamen et faciei notas exprimere conatur. Reperias quandoque quae digna ſunt memoratu, pleraque vero ita comparata, vt fidem Auctoris ac diligentiam deſideres merito. Abundat Opus imaginibus, aere excuſis, ſed hae parum ſunt nitidae, certe in poſterioribus editionibus. Ita fere STRVVIVS olim ſcripſit, quod diſplicuiſſe lego CAMVSATO in *iudiciis de quibusd. ſcript. Elogior. p. 27.* apud CIACCONIVM. Verba eius haec ſunt: *Struuium tam adcurate de Theuetianis elogiis diſſeruiſſe pudet; cum tanti non ſint, vt de iis ſerio loqui deceat.* Et habet omnino Camuſatus THVANVM conſentientem, qui *Hiſtoriar. libro XVI. p. m. 760.* de Theueto agens ita eundem depingit: *Religioſis et aliis peregrinationibus primam aetatem contriuit, ex quibus fama con-*

contracta animum ad libros scribendos inepta ambitione applicuit. quos alieno calamo plerumque exaratos, et ex Itinerariis vulgaribus atque huiusmodi de plebe scripturis consarcinatos, miseris librariis pro suis venditabat. Nam alioquin litterarum, antiquitatis, atque omnis temporum rationis supra omnem fidem fuit imperitus, vt fere incerta pro certis, falsa pro veris, et absurda semper scriberet. Equidem memini, quum amici quidam mei, viri docti et emunctae naris, ad eum animi gratia ventitarent, me praesente tam absurda quaedam, tam ridicula, quae pueri vix crederent, illi persuasisse, vt ipse risum non tenerem. Vt me hodie misereat multorum, qui quum in litteris multum videant, agyrtae tamen illius fucos non solum non peruideant, sed eius nomen cottidie in libris suis honorifice appellent; mirarique saepius subiit, qui fieri potuerit, vt homo, cui tam facile imponeretur, tanti nominis viris tam turpiter imponat: quos ideo nunc monitos cupio, vt in posterum insciti et inepti nebulonis nomine ac testimonio praeclara scripta sua contaminare desinant. Haec Thuanus, ex quo non paucis gratum forsitan erit cognouisse, cuius sit farinae Opus hoc, de quo vid. *Thesaurus Bibliothecalis Vol. II. p. 349. sq.* vbi Viri etiam singuli nominantur, quorum ibidem descriptae Vitae sunt. Homines illustres generatim producit quidem, neque tamen eruditos excludit ANTON. DV VERDIER in *Prosopographie, ou description des Hommes illustres et autres renommez, discourant amplement de leurs vies, actes, dits et faits memorables, suivant l'ordre des Monarchies* caet. quod *Tomorum III.* Opus primum *Lugduni a. 1589.* ac deinde *a. 1605. in f.* prodiit, figurisque ligno incisis decoratum est. Cf. *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p. 510.* Antiquiorem quidem

dem habemus editionem, *ibid. a. 1573. in 4.* excusam; sed haec nil nisi adumbratio maioris Operis, quod inuentu difficile est, esse videtur. Rarae sunt itidem IOH. IAC. BOISSARDI *Icones virorum illustrium, doctrina et eruditione praestantium* Pars prima *a. 1597.* altera ac tertia *1598.* quarta *1599.* quinta *1632. Francofurti ad M.* lucem adspexit *in 4.* Prima Pars *ibid. a. 1628.* et secunda *1630.* Iconibus vitisque aliquot auctior recusa, teste *Catal. Biblioth. Bunav. l. c. p. 511.* Imagines eruditorum penes se adseruauit, et ad viuum ipse delineauit, fuit enim in ea arte mirifice exercitatus, posteaque descriptionibus illustrauit Boissardus: aere autem excudit easdem ediditque THEODOR. DE BRY. Priores tamen Partes duae debentur saltim Boissardo; tertiam et quartam, post obitum Chalcographi, addiderunt, ex vltima morientis voluntate, filii eius, IOH. THEODOR. et IOH. ISRAEL DE BRY, Vitas exponente, Boissardi exemplo methodoque, IOH. ADAMO LONICERO: quinta tandem, viginti continens imagines, quum antecedentes earundem quinquaginta offerant, sine Vitis accessit GVIL. FITZERI impensis, qui de conatu suo sic differit in monito praefixo: *En! tibi, spectator beneuole, Iconum illustrium Partem quintam, quam tibi nudam et sine longis vitarum narrationibus exhibeo, tum, quod eorum nec natales, nec emortuales, in tam breui temporis spatio, indagare aut nancisci potuerim; tum, quod cum animo meo constituerim, perfectum aliquod Opus concinnare, in quo non confusanee, non inordinate, non carptim, nec frustillatim, vt ab aliis factum, omnes omnium aetatum, omniumque facultatum, viros sapientia, prudentia atque litteris conspicuos, ad viuum aere nostro expressos, cum vitarum descriptionibus, repraesentare.* Quod vero consilium, etiam a Clemente Ammone initum,

tum, teste STRVVIO *Obseruat. select. Halens. T. IV. obs. 2. p. 36.* felici caruit successu. Atque haec de prima editione, cuius honorificam mentionem iniecit DAV. CLEMENT, a me hoc loco cum fructu adhibitus, *l. c. Tomo V. p. 19.* *Je conserve,* inquit Vir clarissimus, *prétieusement cette edition, qui est la premiere et la meilleure: soit à cause qu'elle nous presente les premiérs epreuves des Portraits des Savans; soit parceque Boissard y a ajouté les vies, qui ne se trouvent pas dans les editions suivantes de ses Icones.* Subsequuta est *Francof. a. 1650. ead. forma* editio altera, sic inscripta: *Bibliotheca chalcographica illustrium virtute atque eruditione in tota Europa clarissimorum virorum, Theologorum, ICtorum, Medicorum, Historicorum, Geographorum, Politicorum, Philosophorum, Poetarum, Musicorum, aliorumque. Collectore* IANO IAC. BOISSARDO, *sculptore* IANO THEOD. DE BRY, *Chalcographo. Ante hac cum vitis editorum, et in quinque partes distributorum, nunc vero coniunctim solis icouibus et distichis singulorum subiiciendis exhibitorum, et ab eorum exitu continuatorum, impensis Ioh. Ammonii, Bibliopolae.* Longior hic titulus varia docebit Lectores meos, quae alias, in epitomen contracto eodem, a me ipso memoranda fuissent. Successerunt huic Operi quatuor continuationes, scilicet Pars sexta, sculptore SEBAST. FVRCKIO, et septima, sculptore CLEMENTE AMMONE, dicto *anno 1650.* Pars octaua, eodem sculptore, *a. 1652.* et Pars nona *Heidelb. a. 1664. in 4.* Alia Operis totius editio, *ibidem* adornata, praefert *annum 1669.* Plura de hac, nec non de altera, vid. apud CLEMENTEM *l. c.* Paucis tangendum adhuc, quod ad instituti rationem pertinet. Ac primo quidem nonnulli eleganter sculptas imagines, at ple-

 rasque

rasque non ad viuum, vti adſerit titulus, factas eſſe contendunt: deinde ipſa, quae Iconibus adiecta conſpiciuntur, Elogia, quamquam haud ſpernenda ſunt, breuem quippe vitarum delineationem, librorumque praecipuorum indices, continentia, verum tamen in multis, praeſertim chronologicis, litura et emendatione opus habent: poſtremo haud pauca Elogia magnam partem ex NICOL. REVSNERI *Iconibus*, de quibus infra dicam, exſcripta ſunt, omiſſo tamen eius nomine, vt propterea plagiariorum prope catalogo inſerendus videatur Boiſſardus. Cf. SCHELHORNII *Amoenit. litter. Tomo I. p. 109. et* NICERON. in *Vit. erud. Tomo XVIII. edit. Gallicae*, ac *Parte XIV. edit. German. p. 315.* Addita quoque imaginibus diſticha, quae interdum quidem arguta et elegantia eſſe, complura vero nihil ſapere ingenii, VOGLERVS ſcribit *Introd. vniuerſ. in notit. Auctor. p. m. 21. edit. Helmſt. a. 1691.* cura Meibomii repetitae; quod forte iudicium tranſtulit in *Bibliothecam* ſuam *curioſam* HALLERVORDIVS, exploſum autem a CAMVSATO *l. c. p. 29.* MORHOFIVS in *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 19. §. 49.* docet, breuiter omnia, et ſatis neruoſe, ex Boiſſardo excerpſiſſe Melch. Adamum, vt carere, quantum ad Germanos, illo poſſint, qui ADAMI *Vitas* habent, niſi quis Iconibus delectetur, quas tamen plane non eſſe ad viuum factas, cum aliis profitetur. IOH. PAPIR. MASSONI *Elogia*, poſt obitum eius, ex muſeo *Ioh. Balesdens* prodierunt primum *Pariſ. a. 1638.* iterumque *a. 1656. in 8.* Duae ſunt Partes, quarum prior Imperatorum, Regum, Ducum, aliorumque inſignium Heroum, ſuperioribus ſaeculis, Auctorisque aeuo, virtute maxime bellica illuſtrium, vitam complectitur, poſterior vitam eorum exhibet, qui ampliſſimarum dignitatum titulis, vel eruditionis laude, et publicatis litterarum monumen-

numentis, claruerunt. Accessit ipsius MASSONI *Vita*, scriptore IAC. AVG. THVANO. Quaedam eruditorum Elogia, viuo Auctore, iam edita separatim fuerant, e. g. Elogium Franc. Balduini, Ioh. Aurati, Iac. Cuiacii, Petri Pithoei, Renati Chopini, caet. Aliqua vero in Collectione hac omisit, aliqua contra, quae a Massono haud sunt exarata, adiecit Balesdensius. Vid. NICERONII *Vitae Parte V. p. 294. edit. German.* Saepe Vitas eleganter concinnasse, originemque, mores ac vitia notasse, nec raro tamen iniquius egisse Auctorem, vbi de Protestantibus ipsi sermo sit, obseruauit olim hoc loco STRVVIVS. Huc porro referenda ISAACI BVLLARTI *Academie des Sciences et des Arts, contenant les vies et les eloges historiques des hommes illustres, qui ont excellé en ces Professions, depuis environ quatre Siécles parmi diverses Nations de l'Europe, avec leurs Portraits tirez sur des Originaux au naturel, et plusieurs inscriptions funebres, exactement recueillies de leurs tombeaux.* Opus, post obitum parentis, luci expositum *Paris. a. 1682. Tomis II. in f.* a filio, IACOBO IGNATIO, qui ita quidem istud tractauit, vt fusiori verborum in Elogiis ambitu repudiato, quem interdum adhibuerat parens versibusque Ronsardi et aliorum Poetarum Gallicorum, quos inspersos inuenerat, resectis, Vitas ab eodem conscriptas expoliret, nouas item, quarum notitia Auctorem fugerat, adiiceret, pluribusque Opus imaginibus exornaret. In duos id ipsum Tomos diuisit. Primus quinque libros continet, in quibus Viri, rerum publice gerendarum laude insignes; rerum gestarum narrationibus bene meriti; iuris scientia clari; litterarum elegantiorum studio praestantes; ac denique pingendi, aedificandi, artisque statuas apte concinnandi peritia noti occurrunt. Alter Tomus, ex capitibus sex compositus, re-

rum

rum sacrarum cognitione eximios; philosophiae, matheseos ac medicinae studiis praestabiles; vario scientiarum genere excellentes; carminum dulcedine memorabiles; artium diuersarum, typographiae, geographiae, musicae, rei bellicae siue inuentione, siue cognitione, conspicuos; pingendi tandem, oculorumque et oblectandorum et adiuuandorum dexteritate praeditos offert. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1683. p. 178.* vbi etiam imagines, aeneis insculptae formis, nitide dicuntur expressae. Liber non quotidie obuius est, neque credendum, plures eiusdem exstare editiones. Audire certe iuuabit, quae clar. CLEMENT monet, in *Bibliotheque de livres dificiles à trouver, Tomo V. p. 412.* Ita vero ille: *On a fait imprimer quelques Titres, au bas desquels on a mis:* à Bruxelles, se vendent chez Franc. Foppens, au Saint Esprit, 1682. in f. *mais cela ne fait pas une nouvelle edition. Mr. du Fresnoy en cite une edition aparente* d' Amsterdam 1682. *dans sa Methode pour étudier l' Hist. T. IX. p. 1783. mais c' est toujours la meme edition. Et je crois ne pas trop hazarder, si je dis, que l' edition prétendue* de Bruxelles 1695. in f. *que le Pere Coronelli a indiquée dans sa Bibl. uniuersale, T. VI. col. 1432. n' a qu' un nouveau Titre, quoique le dit Coronelli nous assure, que c' est une nouvelle impression.* Ignotus mihi auctor est libri, cui titulus: *Abregé de l' Histoire des Savans, anciens et modernes, avec un Catalogue des livres, qui ont servi à cet Abregé.* Tom. I. quem plures sequuti non videntur, *Paris. a.* 1708. *in* 12. *mai.* foras exiit. Recensetur a STOLLIO in *den Nachricht. von den Büch. seiner Bibliotb. Parte VI. p.* 628. Non pauca ex *Dictionario Baeliano* esse depromta, fontibus silentio praetermissis, crassosque passim scribentis errores occurrere, caeterum vero stilum perspicuitate ac venustate commendari, adserit idem,

idem, adiungens, rarum iam factum librum, nec facile futurum, qui recudendum eundem curet. Ingenti eruditorum plerique exceperunt plausu IOH. PETRI NICERON *Memoires pour servir à l' Histoire des hommes illustres dans la Republique des Lettres, avec un Catalogue raisonné de leurs ouvrages.* Hoc *Tomorum XLII.* Opus, in quo non pauca debentur industriae CLAVD. PETRI GOVIETI, et IOH. BERNH. MICHALTI, testante *La France littéraire par* FORMEY *p.* 195. *et* 239. *Parisiis a.* 1727. *in* 12. *mai.* coeptum, *anno*que 1741. finitum est. Vltimos tres Tomos, Auctore iam 1738. viuis erepto, alia manus ex schedis eius relictis adiecit. Decimus autem ac vicesimus nil nisi additiones nouas, et emendationes antea dictorum, comprehendunt. Postremum Index alphabeticus eruditorum omnium claudit, quorum Vitae exhibentur. Plures promissi fuerant Tomi, quorum ipse Niceronius reliquerit materiam, sed nondum tales videre licuit. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1745. *p.* 573. Adcuratissime hic exponuntur plerumque Vitae hominum doctorum, qui diuerso tempore apud diuersas gentes floruerant. CAMVSATVS tamen in *iudiciis de quibusd. scriptor. Elogior. p.* 34. apud CIACCONIVM, et ordinem desiderat, et plura de vnoquoque erudito aliorum iudicia. Sed hoc leuius adhuc: grauiora sunt, quae subiicit, scilicet plagia perquam putida commisisse Niceronium, nec solum Operi admouisse manum, omnia potius, quae de Burgundis illustribus habeat, a Papillonio, Bibliothecae Burgundicae auctore, fuisse confecta. Quae autem censura nimis videtur acerba KAPPIO in *Obseruatione* ad eum Camusati locum. Critico etiam oculo has Vitas perlustrauit, et multa in iis reprehendit Abbas D' ARTIGNY in *Nouveaux Mémoires d' histoire, de critique et de litterature, Tomo I. Paris.*

Parif. a. 1749. *in* 12. *mai.* excufo, *art. III. p. 22. fq.* vbi exftat *Jugement fur les Mémoires du R. P. Niceron.* Verum enim vero fatis refpondit ad haec BAVMGARTENIVS in *Praef. Parti II. edit. Germanicae* praemiffa, de qua mox plura dicentur. Interim ipfa haec Cenforis verba magno funt honori Niceronio: *Quoiqu' il y ait des fautes dans cette vafte compilation, il eft encore plus furprénant, qu'il ne s' y en trouve pas un plus grand nombre. On la regardera toujours comme le fruit d' une lecture immenfe, d' un travail prodigieux et très utile aux Bibliographes. Ajoutons, qu'il y regne d' un bout à l' autre un air d' impartialité, qui met le P. Niceron fort aux desfus de ceux, qui fe font exercés dans ce genre de litterature. Toute l' Europe lui a rendu juftice fur cet article.* Auctor profecto, qui initio nomen fuum reticuerat, fua haufit partim ex Ephemeridibus litterariis, partim ex Operibus eorum Scriptorum, quorum Vita iisdem eft praefixa, partim ex aliis, et his quidem optimis, fontibus. Recte igitur HEVMANNVS, qui et omnia eruditorum propofitorum nomina ordine alphabetico, *Confpectui Reipubl. litt. cap. VII. §. 4. p. 411. fq. edit. nou.* inferuit, de labore Barnabitae clariffimi loquutus eft in *Actis Erud. Lat. a.* 1742. *p.* 377. En! ipfa eiusdem verba: *De vita cuiusque ac fcriptis ita differit, vt nec breuiores iufto, nec longiores, habeantur vitae litteratorum, ab eo concinnatae. Quanto ftudio vndecunque collegit hanc notitiam! Quam induftrius eft et adcuratus in recenfendis librorum editionibus, ferendoque de fingulis iudicio! Quam vacuus eft ftudii partium! Non minus laudat, quae laudanda veniunt, in haereticis, (liceat loqui ex mente Niceronii,) quam in catholicis; nec minus catholicorum notat, quae fibi occurrunt, vitia, quam haereticorum.* Quum vero Opus tam

tam insigne, tantique vsus, apud nos neque obuium satis esset, neque modico veniret pretio, laude dignissimum est institutum Polyhistoris nunc beati, SIGISM. IAC. BAVMGARTENII, cuius auspiciis Viri nonnulli, linguae Gallicae peritissimi, e. g. Ioh. Dav. Cubius, Ioh. Iosua Sucro, Ioh. Dav. Heilmannus, Aug. Franc. Mullerus, versionem moliti sunt Germanicam, nouis ab ipso Directore Obseruationibus adauctam, imo et variis eorum Vitis, quas praetermisit Niceronius, quamquam suum hic locum prae multis aliis merebantur. *Pars* huius editionis *prima Hal. M. a.* 1749. *in 8.* lucem adspexit, in fronte, vt sequentes omnes, celeberrimi inter eruditos hominis ornata effigie. Post obitum Baumgartenii rei curam, a Parte decima sextaque, suscepit FRID. EBERH. RAMBACHIVS, Theologus itidem Halensis, qui doctissimus Vir vt mox absoluat feliciter coepta, vehementer exoptant mecum Historiae litterariae studiosi. Iam, prelo his subiectis, prodiit Pars XIX. Idem in Parte XVII. spem fecit Indicum rerum locupletissimorum, et ad omnes Partes Germanicas adcommodatorum; quod sane consilium Lectoribus multiplicem adferet vtilitatem. Caeterum euoluatur BAVMGARTENII *Praef.* Parti I. praefixa, vbi exponitur adcurate, quid in editione noua sit immutatum, praestitumque. Generatim singulae Praefationes commendandae, in quibus quippe non vulgaria, et ad ipsam Niceroniani Operis lectionem necessaria, pertractantur. Caeterum huc et pertinent duo illi Dictionariorum conditores, BAELIVS et PROSP. MARCHAND, de quibus infra *Cap. VIII.* plura dicentur.

§. V.

Inter Germanos nostros primum iniicienda est mentio NICOL. REVSNERI, Icti tum et Antecesso-

ris

ris Argentoratenſis Academiae, tandem Ienenſis. Ab eo profectus eſt liber, *Argent. a.* 1587. in 8. hoc titulo excuſus: *Icones, ſeu imagines virorum litteris illuſtrium, quorum fide et doctrina religionis et bonarum litterarum ſtudia, noſtra patrumque memoria, in Germania praeſertim, in integrum ſunt reſtituta. Additis eorundem elogiis diuerſorum Autorum.* Typis eundem ſcio repetitum *ibid. a.* 1590. pariterque, rarius eo poſtea occurrente, *Frf. ad M. a.* 1719. *ead. forma.* Vid. VOGTII *Catal. libr. rarior. p. m.* 578. vbi haec de labore Reuſneriano exſtant: *Continet centum imagines virorum, litteris ingeniique monumentis illuſtrium. a Bern. Iobino, typographo Argentinenſi, collectas, in quibus ad viuum delineandis in primis pictore vſus fuit Tobia Stimmero, inter primos ſuae aetatis ſummo atque perfectiſſimo. Singulis Iconibus ſingula appoſuit Diſticha Nicol. Reuſnerus, quibus deinde iunxit eorundem vitae et operae deſcriptiones breues, partim ex ipſorum monumentis, partim ex aliorum ſcriptis, Iouii praeſertim et Bezae, breuiter et ſummatim compoſitas. Denique addidit etiam aliorum virorum clarorum elogia de iisdem.* Singulare de his Iconibus Opuſculum, quod vero nunquam vidi, edidiſſe clar. VENZKY, memoratur in *den Hamb. freyen Vrtheilen a.* 1750. *P. VIII. p.* 58. Coniungi debet, laudato monente VOGTIO, cum hoc libro alius Reuſneri, ſatis infrequens, cuius ea eſt inſcriptio: *Icones, ſiue imagines viuae, litteris clarorum virorum Italiae, Graeciae, Germaniae, Galliae, Angliae, Vngariae, cum elogiis variis. Baſil.* 1589. 8. Continet Icones XCI. modo ex Muſeo depromtas Iouiano, modo aliunde acquiſitas. CASP. CVNRADI in *Proſopographia melica* Virorum illuſtrium vitam ac famam ſingulis diſtichis delineauit.

neauit. Millenarius I. ac II. *Frf. a.* 1615. Millen. III. *Hanouiae a.* 1621. *in 8.* lucem vidit Continuare institutum adgressus est filius, IOH. HENRICVS, *Silesia* sua *togata* clarus, iamque Millenar. IV. V. VI. et VII. absoluit; quod Opus, prelo paratum, inter MSta *Bibliothecae*, a IOH. BVRCH. MENCKENIO collectae, *p.* 834. *edit. alt.* reperitur. Rariores nunc sunt Millenarii, typis impressi, in quibus disticha plerumque elegantiam redolent, feliciterque exponunt eruditorum ingenium, patriam, annos ac dies, quibus nati sunt mortuique, et alia memorabilia. Ordine vtitur Auctor alphabetico. Cf. *Thes. Bibliothecal. Vol. I. p.* 345. *sq.* Ab IOH. ANDR. QVENSTEDTIO accepimus *Dialogum de patriis illustrium doctrina et scriptis virorum, qui ab initio mundi claruerunt vsque ad annum* 1600. Forte hic liber tamen ad prioris classis Biographos vniuersales, Chronologiae nimirum studiosos, erat referendus. Editus *Vitembergae a.* 1654. *in* 4. recusus est *ibid. eadem*que *forma a.* 1691. et his temporibus non frequenter occurrit. Secundum patriam recensentur eruditi, in Europa, Asia vel Africa orti; factumque initium cum Hispania, fine in Aethiopia constituta. Sed breuia sunt et parum adcurata, quae de iisdem memorantur. Complures potissimum errores geographici et chronologici irrepsere. Qua de re fusius egit REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. suae, Tomo II. p.* 134. vbi vero, quod primus fuerit ille, qui Historiam litterariam methodo geographica tradiderit, excusatur. Nihil enim inuentum simul et perfectum esse. Acrius igitur iusto in Auctorem inuectus est PHIL. LABBEVS *Bibl. Bibliothecar. p.* 126. *edit. tertiae Rothomag.* eundem Mataeologum Vitembergensem, ne grauiora repetam, dicens. Maiori cura institutum biographicum persequutus fuit PAVL. FREHERVS

HERVS in *Theatro Virorum eruditione clarorum*, quod *Norimb. a.* 1688. *Tomis II. in f.* prodiit vna cum Iconibus, quae tamen nulla ex parte adcuratae sunt. Proponuntur in hoc Opere vitae ac scripta Theologorum, Ictorum, Medicorum, et Philosophorum, tam in Germania superiore et inferiore, quam in aliis Europae regionibus, Graecia, Hispania, Italia, Gallia, Anglia, Polonia, Hungaria, Bohemia, Dania et Suecia, a saeculis aliquot, vtque ad proxime praeteriti partem praecipuam, secundum annorum, quibus vita excessere, seriem. Rarescere incipit Opus, nec facile noua exspectanda editio, quum tabulae aeneae omnes perierint teste *Catalogo Bibliothecae Rinckianae p. 880.* Non autem ipse Auctor illud absoluit, sed ex fratre nepos, CAROL. IOACH. FREHERVS, Medicus Norimb. ex schedis ab eo relictis in lucem conspectumque protulit. Inde mirum non est, tot in eodem maculas obseruari. Multas iam pridem notauit CHR. THOMASIVS in *den Monaths-Gesprächen anni* 1688. *P. II. p. 248. sq.* cui iungatur REIMMANN. in *Catal. Bibl. suae, Tom. II. p.* 45. Vere ibidem scribit: *Descriptiones biographicae non omnes sunt eiusmodi, vt laudis praemium exigere queant. Quippe non ex liquidis fontibus sunt haustae nonnullae; sed ex obscuris cisternis, h. e. Concionibus funebribus, Programmatibus Academicis, Auctoribus recentioribus; Quenstedtio, Bucholzero, Gerhardo, Melch. Adami, MStis etiam quibusdam incertis et Apocryphis, et, quod mireris, nouellis interdum Francofurtanis. Plura etiam subobscura hic comparent nomina, et non pauca Virorum celeberrimorum sunt praeterita, v. g. Herm. Conringii, Iacobi Thomasii, Ioh. Caselii, Ioh. Sperlingii, Ludov. Cappelli, Renati Cartesii, Bacon. de Verulamio. Quaedam, quae vel nullum plane,*

vel

vel exiguum rei litterariae emolumentum attulerunt, luculenter admodum et ambitiose descripta. Alia leuiter et strictim, quae plurimum: vt Erasmi Roterodami, Nicol. Copernici caet. *Scriptores Homonymi confusi; ex vno libello facti duo, ex duobus vnus. Et Biographiae pleraeque ita traditae, vt nec Historiam amanti faciant satis, nedum Historiam litterariam.* Interim et Freherus, et alii huius generis Scriptores, moderatius merentur iudicium, naeuique, quos habent, excusandi videntur. Longe nimirum amplior eorum est labor, quam vt singula capita iusto elaborari modo possint. Vid. HEVMANNI *Consp. Reip. litter. Cap. VII. §. 4. p. m. 406.* Adcuratiora sunt plerumque, quae Freherus ex ADAMI *Vitis*, itemque ex *Vitis Professorum Leidensium*, Marburgensium, et similibus, congessit, errores licet, in eiusmodi scriptis obuios, non emendarit. Certe BAELVIS in *Diction.* v. *Agrippa, litt. c.*) adfirmare id non dubitauit, his quidem verbis: *Le Sieur Freher en tout ce, qu'il copie de Melch. Adam, se contente des fautes de cet Auteur, il n'y en ajoûte point d'autres.* Post Freherum surrexit ADOLPH. CLARMVNDVS, *Vitas*que *clarissimorum in re litteraria Virorum* Germanica lingua edere, cum paruis ipsorum Iconibus, coepit *Vitemb. a.* 1703. *in 8.* continuatumque est institutum vsque ad Partem XIV. tertiae Centuriae initium, *anno* 1714. productum. Latet sub hoc ficto nomine IOH. CHRISTOPH. RVDIGERVS, quondam disciplinae Schurzfleischianae alumnus, sed cuius Vitas ipse non probauit praeceptor. Nec probarunt easdem alii. Primum Auctoris naeuos detexit IOH. LVDOV. SCHAVERVS, in *Epistola, qua amicus amico in Ciuitate patria collatum munus fortunatum esse iubet, et de* Adolphi Clarmundi *clarissimorum in re litter. virorum*

rorum vitis et adiectis Iconibus in primis Ge. Schubarti; *differit*, *Ienae* 1704. *in* 4. Quoniam haec Epistola sine nomine diuulgata est, adscribi vulgo solet GE. NIC. KRIEGKIO; sed alia certe ostendit IAC. BVRCKHARDVS in *Comment. de Vita sua*, *Catalogo Bibliothecae* adiecto, *p.* 175. Subsequuta est *Vitemb. a.* 1705. *in* 4. *Censura Epistolae* praecedentis. Paucis etiam de CLARMVNDO sententiam suam dixit GROSCHVFFIVS in *noua libr. rarior. Collect. Fascic. I. p.* 96. vbi, postquam varia eius errata in *Vita Ioach. Camerarii* notauerat, ita pergit: *Quodsi Camerarius in* Errato suo, (*libello a.* 1535. *Norimb. in* 8. *excuso*,) *quadraginta errores a diuersis scriptoribus commissos adnotauit*, *ego in vnico* CLARMVNDO *trecentos insigniores errores in vitarum enarratione confictos obseruaui Innumera quoque*, *operarum manu*, *corrupta ac deprauata sunt.* Idem factum in *der Neuen Hällisch. Bibliothec*, *Vol. I. Parte* 2. *p.* 148. quo loco haec exstant, sine dubio a GVIL. TVRCKIO, huius Voluminis Auctore, exarata: *Alle Welt hat sich über den verdriesslichen*, *nicht an einander hangenden stylum*, *und die vielen Irrthümer mannigfaltig beklagt.* - .. et *p.* 152. sequentia adduntur: *Inzwischen wirds gut seyn*, *wann in deu folgenden Theilen die tausendfache allegata aus den Collegiis MStis des Schurzfleischii und Dopperti ausgelassen werden*, *weil doch unter tausend kein eintziger diese Cimelia hat*, *oder darein gucken kan. Von den läppischen Exordiis*, *mit welchen die armen Leser in allen Vitis gecreutziget werden*, *will ich nichts sagen*, *damit der Autor sich nicht allzusehr ärgere*, *wann er vernehmen sollte*, *daß die aus Osten und Westen geholete inuentiones*, *um welche er sichs so blut sauer werden läßet*, *klugen Leuten einen Eckel erwecken.*

cken. In *Praefat. Vitae Schurzfleischii a.* 1710. praefixa hoc iudicium labefactare quidem conatus est CLARMVNDVS ille, sed accepit mox in *eodem Diario Parte VII. p.* 563. *sq.* GROSCHVFFII, qui CASPAR. BONIFACII nomen adsumsit, *Epistolam* Latinam, multa vera, multa etiam acerba et inficeta, continentem. Vid. *ibidem Praef. Vol. II.* praemissa. Tandem nec sileri debent THEOD. CRVSII *Anmerckungen von Adolphi Clarmundi Lebensbeschreibungen*, in *der Vergnügung müssiger Stunden*, *Parte II. p.* 55. *sq.* Patet exinde, longe mitius, quam merebantur, de hisce Vitis iudicasse olim STRVVIVM. Scribit enim, laudandum non solum esse institutum, sed etiam ipsam tractationem, in qua reperiantur singularia multa, haud vbiuis cognita. Auctorem scripta potiora exhibere, atque de iisdem tum ex suo, tum ex aliorum ingenio, sententiam dicere. Illud quoque laudandum, quod remittat semper ad scriptores, ex quibus sua hauserit, vt eo meliorem fidem habeant. Bene tamen famae suae consuluit idem Struuius, vbi negandum non esse profitetur, irrepsisse etiam naeuos perplures, caet. Ego certe, iam in prima adolescentia inspectis Vitis Clarmundianis, tanto celerrime fastidio ab iis abalienatus fui, vt e numero rerum mearum proiicere Volumina inepta non dubitauerim. Interim addendum adhuc, priores Partes IX. *Vitemb. a.* 1708. *sq.* tertium, quod mireris, excusas, ac Partem XI. multo adcuratius et elegantius a IOH. HEVBELIO confectam esse, teste STOLLIO in *den Nachr. von den Büch. seiner Biblioth. P. VII. p. 668.* Conf. REIMMANN. in *Catal. Bibl. T. II. p. 629.* et *p.* 656. A CHRIST. GRYPHIO collectae, ob summam raritatem, et, post eius obitum, *Vratislav. a.* 1711, *in 8.* editae sunt *Vitae selectae quorundam eruditissimorum ac illustrium*

Virorum, quae olim a clarissimis conscriptae hominibus separatim prodierant. Vid. de iis *Bibliotheca* IOH. BVRCHARDI MENCKENII *p. 24. edit. sec.* Quum parum innotuisset haec Sylloge, *ibid. a.* 1739. reliqua exemplaria denuo producta fuere, non solum Vita *Diogenis Christiani*, sed Indice etiam rerum memorabilium auctiora. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1739. *p. 768.* Successit Clarmundo DAN. FRID. POENMANNVS, deditque *Vitemb. a.* 1714. *in 8. Lebensbeschreibungen etlicher vortrefflich gelehrter Männer in mancherley Wissenschaften.* Maiore hic dexteritate negotium biographicum adgressus est, et in Praefatione singulis semestribus exhibiturum aliquam se Partem bibliopola promisit; at consilio haud respondit felix successus. Vid. REIMMANN *l. c. p.* 634. Inter Biographos vniuersales referendus quidem, aeque vt Gryphius, non est IOH. GERH. MEVSCHENIVS, dignus tamen, cuius et hic loci mentio iniiciatur. Selegit is quippe singulares summorum Virorum vitas, in praecipuis Europae regionibus a multis abhinc annis, imo sub ipsis artis typographicae incunabulis, diuulgatas, sed iam pridem rarius obuias. Has denuo reuocare in lucem constituerat, rei ponens initium *Coburgi a.* 1735. *in* 4. quo Tomus I. hoc prodiit titulo: *Vitae summorum dignitate et eruditione virorum, ex rarissimis monumentis litterato orbi restitutae.* Tomus II. subsequutus est *anno* 1736. Tom. III. *a.* 1738. Tom. autem IV. *a.* 1741. cum Indice generali. Omnes implent Volumen modicum. Occurrunt in hac Sylloge Vitae Bartoli, Beroaldi, Bened. Accolti, Titi Liuii, Petrarchae, Lipsii, et aliorum. Nonnulla tamen irrepserunt scripta, quae locum inter Vitas eruditorum, quas titulus promittit solas, occupare, mea quidem sententia, non debebant. Lipsii etiam Elogium, *Ienae a.* 1689. *in* 4. non adiecto

vero

vero Auctoris nomine editum, haud satis recte tribuitur Casp. Sagittario, quandoquidem ex elegantissimo profluxit ingenio IOH. PHIL. SLEVOGTII, Icti olim Ienensis. Non nisi eruditorum variorum imagines, quibus dignitates eorum, anni que ac dies natales mortisque, veluti quaedam Vitae compendia, subiecti fuere, foras exire iussit FRIDER. ROTHSCHOLTZIVS, doctus bibliopola. Debentur scilicet illius studio *Icones Virorum omnium ordinum, eruditione omnique item genere et varietate artium de Republica litteraria, et speciatim de Academiis et Gymnasiis totius pene Europae, ab aliquot saeculis ad nostra vsque tempora, optime meritorum.* Quinque prostant Partes *in fol.* quarum tres priores *Norimb. a.* 1725. quarta et quinta vero *a.* 1728. diuulgatae sunt. Quaelibet, ordine alphabetico, quinquaginta continet imagines, haud ineleganter expressas. Ipsum hoc Opus videre non contigit, quae itaque dixi de illo, ea accepi ab aliis. Cf. interim *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1725. *p.* 588 Idem ROTSCHOLTZIVS inceperat *anno* 1725. *Norimb. in* 8. Historiam Iconographicam, at cum Parte III. *a.* 1726. desiit conatus. Titulus hic est: *Beytrag zur Historie der Gelehrten.* Docet primum, vbi reperiantur Virorum eruditorum effigies, manu artificum aeri incisae, vel nummis gemmisque expressae, vel alia quacunque ratione e metallo, marmore, lapide caet. ductae. Tum adfert monumenta quaedam litteraria nondum edita, vel parum in vulgus nota, iisdemque nonnunquam addit suam ἐπίκρισιν. Vid. REIMMANN. *l. c. p.* 665. Quomodo autem Icones eruditorum cum fructu colligi debeant, singulari Schediasmate Germanico *Norimb. a.* 1728. *in* 8. ostendit SIGISM. IAC. APINVS. Goettenii, eiusque successorum, laboribus biographicis iustus infra locus adsignabitur.

§. VI.

Apud Anglos GVIL. BATESIVS *Vitas selectorum aliquot Virorum, qui doctrina, dignitate, aut pietate inclaruere, Londini a.* 1681 *in 4. mai.* protulit. Recusae fuerunt *Oxonii a.* 1704. iamque rarius occurrunt. Neque tamen has descripsit ipse Batesius, sed variorum tantum orationes, narrationes epistolasue huius argumenti collegit. In tres istae Vitae classes commode possunt dispesci. Ad primam referendi Principes, nobilesque Viri; ad alteram homines ecclesiastica dignitate conspicui; ad tertiam denique ii, qui maxime sunt celebres in Republica litteraria. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1682. *p.* 12. Vtilissimum est institutum, selectiores parumque cognitas Virorum eruditissimorum vitas hoc modo tradere: at magis placeret Collectio, si passim abscissi fuissent flosculi oratorii, qui turbant ac remorantur lectionem. In Belgio, et *Antwerpiae* quidem, *a.* 1587. *in fol. minori Imagines quinquaginta Virorum, qui bene de studiis litterarum meruere, cum singulorum elogiis* diuulgauit PHIL. GALLAEVS. Sequebantur deinde *a.* 1599. *in 4. Icones Virorum nostra patrumque memoria illustrium, quorum opera cum litterarum studia, tum vera religio fuit restaurata,* ab HENR. HONDIO *sculptae, aeneisque typis excusae.* Nouissime *Amstaelodami* ab anno 1730. vsque ad *a.* 1733. *in 8. mai.* prodiere *Levensbeschryvinge van beroemde en geleerde Mannen* caet. i. e. *Biographiae Virorum clarorum et eruditorum.* Tomi saltim prostant VI. Iconibus variis et Indice vniuersali exornati. Fusius de iisdem agitur in *Actis Erud. Lat. a.* 1734. *p.* 163. *sq.* atque *Supplem. ad Noua Acta Tomo III. p. 26. sq.* Priori loco, praeter alia, sic de Auctoribus differitur: *Inter deliberandum, quonam potissimum aeuo scriptionis telam quam commodissime ordirentur, visum tandem fuit, ab illa inde tempestate auspici-*

ſpicium capere, qua, quod ſcribunt ipſi, medias inter ignorantiae atque impietatis, quibuscum miſerrime conflictari ante aliquot ſaecula et Eccleſiam, et Rempublicam oportuit, tenebras, exorta paullatim ſunt in vtraque lumina, quae emendationi tum doctrinae diuinae pariter ac humanae, tum morum, ſaeculo demum XVI. ineunte, plenius erumpenti, praeluſerunt. Belgico autem ſermone vſi propterea ſunt, vt iis, qui nec Latinam nec exterorum aliam quamuis linguam ſatis callent, variae fructuoſaeque lectionis, cuius cupidiſſimi ſunt inter Belgas plerique, materiam luculentam ſuppeditarent, vernaculoque ipſis ſermone proponerent non indigenarum tantum, ſed et exterorum, non huius tantum aeui, ſed et praeteritorum temporum, homines eruditione meritisque inſignes. Vid. *ibidem l. c.* In Tomo II. ac ſequentibus ſubnectuntur *Noua Academica*, quae conſtant ex enarratione Promotionum, Diſſertationum caet. recentiſſime in Academiis Belgicis habitarum. Talia tamen commodiori loco in Ephemeridibus litterariis poterant, meo quidem iudicio, exhiberi. Opus per menſes fere continuatum, ita, vt Faſciculi quinque Tomum ſingularem impleant, methodo Niceroniana compoſitum videtur, ſolo excepto ordine, qui hic eſt chronologicus, non arbitrarius, cui doctus ille Barnabita indulſerat.

§. VII.

Procedamus nunc ad Biographos particulares certarum nationum, vbi primum de Vitis eruditorum, quos antiqua tulit aetas, dicendum eſt. Atque in hac ipſa claſſe EBRAEI familiam ducunt, qui cognoſci poſſunt ex IVLII BARTOLOCCII *Bibliotheca magna Rabbinica de ſcriptoribus et ſcriptis Ebraicis, ordine alphabetico, Ebraice et Latine digeſtis,*

Aaaa 5 cuius

cuius Pars I. *a.* 1675. Pars II. *a.* 1678. Pars III. *a.* 1683 Pars IV. post obitum Auctoris, a CAROLO IOSEPHO IMBONATO absoluta et aucta, *a.* 1693. *Romae in fol.* lucem adspexit. In raro hoc et pretioso Opere praecipuorum Scriptorum natalem et vltimum diem, patriam, familiam, ingenium, studia, honores, fortunam, res gestas, varias item singulorum librorum editiones, versionesque a viris peritis elaboratas, commemorauit, et quousque vel sua lectione, vel aliorum auxilio penetrare potuit, breue argumentum exhibuit Bartoloccius. Plura legantur in *Actis Erud. Lat. a.* 1686. *p.* 588. et *Supplementor.* ad haec *Acta Tom. II. p.* 297. *sq.* Rectene se habeat an minus RICH. SIMONII in *Biblioth. critique*, *Tomo I. cap.* 26. censura, viderint harum rerum satis gnari. Adserit quippe, BARTOLOCCII Bibliothecam Rabbinicam Opus esse magnae quidem molis, at sine iudicio scriptum, multaque complecti inutilia: adeo, vt de eodem Graecorum illud dicendum videatur: Βιβλίον, μέγα κακὸν μέγα. Addidit IMBONATVS *Bibliothecam Latino-Ebraicam, siue de scriptoribus Latinis, qui ex diuersis nationibus contra Iudaeos, vel de re Ebraica, scripsere, adiectis obseruationibus criticis et philologico-historicis, ibid. a.* 1694. *in f.* Quemadmodum Bartoloccius Ebraeos, ita Imbonatus Latinos de Ebraeorum rebus Scriptores, ordine alphabetico, recensuit, ortusque, religionis et vitae conditionem breuiter plerumque adnotauit, quae verba exstant in *Supplem. ad Acta Erud. Tomo cit. p.* 303. Quum vero horum Auctorum labores et ob raritatem in paucorum essent manibus, et praeterea tum emendandi, tum supplendi largam reliquissent materiam: consultum putauit IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS, Vir apud nos olim in hisce studiis versatissimus, partim ea, quae in Buxtorfii,

ſii, Plantauitii, Hottingeri, aliorumque libris, ac praecipue pergrandi Bartoloccii Opere, dicta fuerant copioſius, redigere in compendium; partim limam iisdem adhibere; partim omiſſa ſuis inſerere locis; partim notitiam Scriptorum Ebraeorum, quos noſtra tulit aetas, caeteris ſuperaddere. Sequutus eſt itidem litterarum ordinem. Ipſum eius Opus ita inſcribitur: *Bibliotheca Hebraea, ſiue notitia tum Auctorum Hebraeorum cuiuscunque aetatis, tum ſcriptorum, quae vel Hebraice primum exarata, vel ab aliis conuerſa ſunt, ad noſtram aetatem deducta*. Prodiit *Hamburgi Tomis IV. in 4.* primo *a. 1715.* altero *a. 1721.* tertio *a. 1727.* quarto, eoque vltimo, *a. 1733.* excuſo. Vid. *Acta Erud. Lat.* ex quibus profeci, *anno 1715. p. 265.* et *a. 1727. p. 490. ſq.* Vltimi duo Tomi, tertius nempe ac quartus, acceſſiones atque emendationes, quae ad priores pertinent, complectuntur. Dignum profecto eſt Opus, quod magnis ornetur elogiis. Generatim autem de Viris, cum antiquis, tum recentioribus temporibus in Oriente doctrina claris, conſulenda BARTHOL. HERBELOTII *Bibliotheque Orientale* caet. quae, mortuo inter ipſam Operis editionem Auctore, cura ANT. GALLANDI *Pariſ. a. 1697 in f.* prelo exiit. Eſt haec Bibliotheca, iam rarior, omnino Dictionarium vniuerſale, in quo ſtupenda induſtria ex fontibus optimis hauſta fuere, quae non ſolum de gentium Orientalium religione, regimine, legibus, moribus, ſtudiis, verum etiam de Sanctorum, Philoſophorum, Hiſtoricorum et Poetarum vitis notari merentur. Atque has obſeruationibus criticis illuſtrauit Herbelotius. Vid. NEOCORI et SIKII *Bibl. libror. nouor. Tomo I. p. 426.* ac *T. II. p. 3. ſq.* item *Acta Erud. Lat. a. 1698. p. 105. ſq.* et *Supplementor. Tom. VII. p. 411.* Iam auctior et emendatior editio paratur apud Pariſienſes. Fruſtra

ſtra enim exſpectata fuerunt, quae olim eſt meditatus IOH. CHRISTIAN. CLODIVS, vti perſpicitur ex *Act. Erud. a. 1722. p. 281.* Cf. *Theſaur. Epiſtol. La Crozianus*, *Tomo II. p. 172.* De plagio Herbelotii, a REISKIO detecto, lege *die Leipz. gel. Zeit. a. 1737. p. 640.* Hic et locum ſibi vindicat IOS. SIMONII ASSEMANI *Biblioth. Orientalis*, *Clementino-Vaticana*, de qua nolo repetere, quae iam *Tomo I. cap. 3 ſ. 18. p. 285.* me ſcribere memini. GRAECORVM Scriptorum Vitas nemo ampliori doctrinae adparatu expoſuit IOH. ALBERTO FABRICIO. Quadraginta annorum labor eſt eiusdem *Bibliotheca Graeca*, *ſiue Notitia Scriptorum Graecorum*, *quorumcunque monumenta integra*, *aut fragmenta edita exſtant*, caet. Emiſſa fuit *Hamburgi a. 1705. ſq.* Voluminibus XIV. *in 4.* Poſtremo acceſſit Index ad vniuerſa Volumina generalis, a IOH. CHRISTIANO WOLFIO adornatus. Pleraque ſunt recuſa, et primum Volumen emendatius etiam, locisque quam plurimis auctius. De omnibus data opera diſſeruit Vir celeberrimus, HERM. SAM. REIMARVS, in *Comment. de Vita et ſcriptis Fabricii p. 118. ſq.* Breuiter idem totius Operis argumentum his verbis propoſuit: *Scriptores Graecos*, *maxime profanos*, *omnis aetatis*, *vsque ad captam a Turcis Conſtantinopolin*, *h. e. ad ſaeculi XV. medium*, *VI. Libris recenſet*, *ſic vt etiam deperditorum habeatur ratio. Eorum vero praecipue qui ſuperſunt*, *aetas*, *vita*, *doctrina*, *ſcripta*, *commentatores et ſcholiaſtae*, *Codices MSti*, *editiones*, *ſtupendo labore et ſummo cum iudicio deſcribuntur. Multa inſeruntur ſcripta adhuc vel inedita*, *vel rariora*, *vel certe nunc caſtigatiora et notis illuſtrata: Obſeruationes praeterea doctiſſimae ad Philologiam*, *Criticen*, *Hiſtoriam*, *Antiquitates*, *Philoſophiam et omne genus artium ſpectantes*, *non parca manu appen-*

dun-

duntur. De Supplementis ipse Auctor in *Praef. Vol. XIV.* praefixa scribit, se constituisse, totum Opus retractando, omissa ab se, vel perperam posita, annotare. Sed copiam obstitisse, atque singulari hoc Supplementorum Volumini reseruare coegisse. Id vero, quod est dolendum certe, non addidit postea Fabricius. *Succinctam Introductionem in hanc Bibliothecam Graecam, vsui potissimum scholastico adcommodatam*, IOH. IVSTVS VON EINEM *Magdeb. 1734.* aliquot plagulis *in 8.* edidit, in quo leui specimine paucis agitur de Scriptoribus Graecis antiqui ac medii aeui. Recentiores alio tempore Auctor subiungere volebat; quod exitu caruit consilium. Maiorem praestitisset vsum, si, quod ipse Fabricius meditatus fuerat olim, Compendium lucem adspexisset. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1734. p. 455.* Similem conatum fuisse constat IOH. VLRIC. STEINHOFERI, Prof. Tubingensis, quippe qui praecipua ex Bibliotheca Graeca in septem Volumina formae octuplicatae redigere constituerat: at, contradicentibus Fabricii heredibus, is ipse conatus prima statim in herba exstinctus est. Cf. *Leipz. gel. Zeit. a. 1736 p. 508.* et *p. 555. sq.* Iam ante Fabricium *Bibliothecam Graecam* elaborauerat IOH. MEVRSIVS. Sunt libri III. quos ex chirographo Auctoris primum in lucem produxit, *Tomo*que X. *Thes. Ant. Graec.* inseruit IAC. GRONOVIVS. *Ibidem p. 1393. sq.* exstat MEVRSII *Bibliotheca Attica*, *siue de antiquis Atticis Scriptoribus, operibusque eorundem*, *libri IX.* itidem ex manuscripto eiusdem exemplari primum diuulgati. Multum hi libri posteriores faciunt ad eorum Scriptorum, qui interciderunt, historiam. Recusi nunc optime sunt, notisque passim illustrati, in *Operum Meursianorum Tomo II. Florent. a. 1744. in f.* IOH. LAMII beneficio. Tomus eorundem III. Bibliothe-

thecam Graecam *p. 1049. sq.* exhibet. De his, et aliorum, laboribus vid. FABRICIVS *in Praef. Vol. I. Bibl. Gr.* praemissa. PAVLI VINDINGII Dissertationes III. *de variis linguae Graecae Scriptoribus*, quarum prima *Hafniae a. 1693.* ver Graecum, altera *ibid. a. 1699.* aestas Graeca, tertia, *ibid. a. 1705. in 4.* edita, auctumnus Graecus inscripta est, memorantur in *Catalogo Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p. 516.* Sed eas in his terris rarissimas inspicere non contigit. LAVR. LVNDII *Compendium Biblioth. Graecae, ex praelectionibus Vindingianis compositum, ibid. a. 1704. in 8.* prodiit, eoque Scriptores Graeci ordine alphabetico percensentur; at breuibus tantum eorundem libri, praecipuaeque tunc temporis editiones adductae fuere. De Anonymi *Biographia classica, Londini a. 1740 Volum. II. in 12. mai.* excusa, in qua Vitae antiquorum Graecorum Romanorumque Poetarum, Historicorum, et Oratorum, Anglico sermone describuntur, adiectis Criticorum doctissimorum de monumentis eorundem iudiciis euoluantur *die Leipz. gel. Zeitung. a. 1741. p. 713. sq.* Reliquos, qui in specie Philosophorum, Historicorum Poetarum, caet. Vitas enarrarunt, infra, iusto loco, nominare animus est. De ROMANIS eruditis bene pariter meritus fuit HENR. IVLIVS SCHEVRLIVS *in Statua Mercurii ad optimos quosque Scriptores Latinos.* Prodiit *Lips. a. 1628.* et *Helmst. a. 1637. in 8.* tandem longe melior *a. 1670. in 4.* Intermixta sunt iudicia de iisdem non contemnenda. Parum tamen liber ille nostris temporibus vsurpari solet, postquam in simili argumento versatus est laudatus supra FABRICIVS. Nota omnibus *Bibliotheca* eius *Latina, siue Notitia Auctorum veterum Latinorum, quorumcunque scripta ad nos peruenerunt.* Primum edita fuit *Hamburgi a. 1697. in 8.* post recusa *Londini a. 1703.* iterumque *Hamb.*

a. 1708.

a. 1708. et *a. 1712.* ac tandem optime *a. 1721. eadem forma.* Acceſſit poſteriori huic editioni recognitae auctaeque, Volumen alterum, tertiumque *a. 1722.* in quibus ampliſſima Supplementa reperiuntur. Nec deſunt Indices neceſſarii. Omnia haec typis nouiſſime ſunt repetita *Venetiis a. 1728. Tomis II. in 4.* ita quidem, vt Supplementa, quae antea ſeparatim excuſa maximo Lectorum incommodo adhibebantur, ſuis quibusque locis occurrant. Pauca tamen, quae Pontificii ferre non poterant, omiſſa ſunt. Cf. REIMARI *Vita Fabricii p. 111.* Tria, vt ipſe ait in Praefat. Vol. I. Auctor, ſibi propoſuerat; primum, vt Latinos Scriptores veteres, quorum libri aetatem tulerunt, recenſeret vniuerſos ordine chronologico; deinde, vt ſingula eorum ſcripta commemoraret; ac denique, vt, quantum fieri poſſet, quasque ſingulorum, certe praecipuas, adnotaret commendaretque prae caeteris editiones. Quod *Ienae a. 1710. in 8.* publicatum eſt Opuſculum hoc titulo: *Notitia Auctorum veterum, aureae praeſertim et argenteae aetatis*, id Viri doctiſſimi, MICHAEL. RICHEY, calamo quidem debetur, antea communicatum nimirum cum Auditoribus ſuis; at inſcio eodem inuitoque, nec adiecto nomine Auctoris, typis impreſſum eſt totque maculatum erroribus, vt nulla fere pagina ab his vacua ſit. Argenteae quoque aetatis Scriptores plane deſunt, quamquam in titulo promittuntur. De priorum autem rebus, ſcriptis, dictione atque editionibus non ieiune diſſeritur, facileque poteſt cognoſci, quantum emolumenti percipere liceret iuuenibus, rei litterariae antiquae ſtudioſis, ſi liber ex ipſa elegantiſſimi Auctoris officina exiiſſet. BENIAM. HEDERICHII *Notitia Auctorum antiqua et media*, quae *Vitemb. a.* 1714. *in 8.* diuulgata eſt ſermone Germanico, rudibus adhuc pueris prod-

erit,

erit, vt exinde, ordinis chronologici ductu, praecipua de Scriptoribus veteris Graeciae Romaeque, medii item aeui, perdiscant. Ad priores quod attinet, excerpta dedit Hederichius ex FABRICII *Bibliotheca Graeca et Latina*, quod non est vituperandum, dummodo eos, per quos profecit, nominatim indicasset, et scriptis certis interdum dubia non immiscuisset, et iudicia nonnunquam ex iis haud attulisset, qui nullius fere sunt in ciuitate litteraria auctoritatis. Vid. REIMMANNI *Catal. Bibl. T. II. p.* 513. *Succinctam* quoque *Introductionem in Bibliothecam Latinam Fabricianam* IOH. IVST. VON EINEM *Magd. a.* 1734. *in 8.* scriniis suis extrusit, qui libellus consilio Editoris respondet. Iam de meliori commendanda IOH. NIC. FVNCCII de varia linguae Latinae aetate Volumina, quibus idem egit, at maiore longe adparatu, quod antea nominati perficere studuerunt. Scenam aperiunt *de origine et pueritia Latinae linguae libri II. Marb. a.* 1735, auctiores longe et emendatiores *in 4.* editi, quum *anno* iam 1720. primum exhibiti fuissent. Sequitur *de adolescentia Lat. linguae Tractatus, ibid.* 1723. quem excipiunt *de virili aetate Lat. linguae Partes II. ibid. a.* 1727. et. 1730. Accessere tandem *de imminente Lat. linguae senectute* ac *de vegeta Lat. linguae senectute Commentarii*, quorum alter *ibid.* 1736. alter 1744. *in 4.* lucem adspexit. In hocce Opere clarissimus Auctor omnium Scriptorum Romanorum, qui inde a bello Punico II. vsque ad Principatum Honorii, Imperatoris, floruerunt, vitas, libros, diuersasque eorundem editiones, quantum fieri potuit, adcuratissime commemorat, ac de stilo, et aliis notatu dignis, partim doctissimorum Virorum, partim suam ipse sententiam dicit. Postremi Voluminis *Cap. X.* Scriptores Christo deuotos, quos vulgo ecclesiasticos vocamus, complectitur; at de

his

his alio loco agam, non magis enim huc pertinent, quam eiusdem *Commentarius de inerti ac decrepita Lat. linguae senectute, Lemgouiae a.* 1750. editus, in quo quippe Scriptores quidam, aeuo medio vsque ad Caroli M. obitum occurrentes, recensentur. Ante duodecim, et quod excedit, annos GODOFR. EPHR. MVLLERVS inceperat *eine historisch-critische Einleitung zu nöthiger Kenntniß und nützlichem Gebrauche der alten Lateinischen Schriftsteller.* Pars I. II. ac III. *Dresdae a. 1747.* Pars IV. *a. 1749.* Pars V. *a. 1751. in 8. mai.* diuulgata est. Auctor, post ea viuis ereptus, sequutus potissimum fuit laudatum saepius Fabricium, neque tamen satisfecit vbique argumento suo, vt nostris his temporibus fieri haud difficulter poterat. Opus in scholis inferioribus vtile quodammodo, si peritioris interpretis cura accesserit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1747. p. 411. sq.* Caeterum erunt fortasse non pauci, quibus FRID. PLATNERI de labore hoc Mulleriano iudicium iusto durius videatur. Ita enim Vir ille, ingenii sui elegantia nobilissimus, in *Vita Christii, Lanci saturae p. 30.* praemissa: *Gottfr. Ephr. Müllerus quidam, scriptor parum doctus et arrogans, ausus est vernacula lingua talem Historiam Auctorum classicorum edere, qualem inter nostrates Ioh. Alb. Fabricius latine proposuit. Sed vt erat hic Müllerus ab omni lectione veterum scriptorum alienus, ita etiam rudis et indigesta libri moles est, quam peperit. Enimuero, quod deerat homini doctrinae nomine, id fiducia sua supplere solebat. - - Sed ohe! iam satis est de hoc capitali homine, qui nuper sine omni litterarum incommodo mortuus est.* Benigniorem de conatu isthoc sententiam lege in HAMBERGERI V. C. *Zuverl. Nachr. von den vornehm-*

nehmsten Schriftstellern, P. I. p. 37. der ersten vorläufigen Abhandlung.

§. VIII.

ITALORVM eruditorum Vitas composuit olim XICCO POLENTONVS in Opere *de illustribus Scriptoribus Latinae linguae*, quod libros XVIII. continet, adhuc vero latet in MSto. Ex ipsa Italia exemplar secum attulit in Saxoniam Ioh. Dieter. a Schoenberg, Eques doctissimus, idque eo consilio IOH. ERH. KAPPIO, Professori Lipsiensi, tradidit, vt studio eius protraheretur in lucem. Sed mors Viri clarissimi, et alia forsitan, conatui obstiterunt. Conscripsit Polentonus Codicem hunc saeculo XV. et quinque ac viginti annos eidem impendit. Vitas in eodem Italorum, litteris insignium, a M. Liuio Andronico vsque ad Francisc. Petrarcham et Ioh. Boccatium, stilo perspicuo exposuit, simulque recensuit ac diiudicauit scripta eorum, insertis passim integris particulis, adhibendae antiquis Auctoribus medicinae inseruituris. Quum autem Opus hoc non vltra annum 1433. procedat, facile patet, de cuius aetatis hominibus hic agatur. Prouocarunt ad illud complures, e. g. GYRALDVS, PIGHIVS et BERNARDIN. SCARDEONIVS, qui in *Antiquit. Patauinis p. 236.* ita loquitur: *Scripsit in primis Polentonus magnum Volumen de illustribus scriptoribus Latinis, filio Polydoro dicatum, anno salutis humanae 1433. cuius quidem exemplar, eius manu descriptum, penes nos est.* Cf. laudati KAPPII *Dissert. de Xiccone Polentono, Cancellario Patauino, historiae litterariae saec. XV. in Italia instauratore, Lips. 1733.* Praeter hunc IAC. PHIL. TOMASINVS in *Parnasso Euganeo, Patauii a. 1647. in 4.* edito, qui nudus est Index Scriptorum, aeuo superiori clarorum, testatur de ANGELICO APROSIO, quod *Athenas Italicas*, de doctis Viris, qui Italiam scriptis editis et inedi-

ineditis illuſtrarunt, parauerit, qui tamen liber lucem itidem nondum vidit. Habemus interim *Bibliothecam* eiusdem *Aproſianam*, *Bononiae* primum *a. 1673. in 12.* Italice excuſam, tamque parum obuiam in Germania olim, vt eruditorum quidam, inter quos et MORHOFIVS fuit, eam typis exſcriptam fuiſſe non crediderint. Librum, ex lingua Italica in Latinam conuerſum, recudendum curauit, notisque doctiſſimis vtiliorem reddidit, IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS *Hamburgi a. 1734. in 8.* Sed vid. CLEMENT V. C. in *Biblioth. de livres dificiles à trouver*, *T. I. p. 377.* vbi haec digna ſuntlectu: *J'ai remarqué, que Mr. Wolfius a commencé ſa traduction à la p. 262. deſorte, qu'il a ſauté la premiere partie du Volume, qui n'eſt à la verité qu'un Chaos; mais qui contient cependant cent particularités, que l'on chercheroit vainement ailleurs. Je ſouhaiterois auſſi pour la commodité des Lecteurs, que Mr. Wolfius ne ſe ſoit pas donné la peine de traduire les Titres des livres Italiens raportés dans ce Volume, ce qui les rend méconnoiſſables, et fait que la lecture en eſt moins profitable.* Mira prorſus ratione hanc Bibliothecam condidit Aproſius, qui ſub adſcititio *Cornelii Aſpaſii Antiuigilmi* nomine latere voluit. Eos enim, qui plures ipſi libros, vel vnum etiam, donauerant, effuſiſſime laudauit, horumque nomina, vna cum vitae genere, rebus geſtis et muneribus, ſecundum litterarum ſeriem, ſollicite recitauit, librorumque, quos illorum debebat munificentiae, titulos ſubiecit. Progreſſus autem eſt ad litteram Alphabeti quartam ſaltim. Alter Tomus, imo alii adhuc, ab eodem prelo parati, non prodierunt, quod vtique dolendum. Quamuis enim perpetuo digreſſiones, ab inſtituto penitus alienas, immiſceat Auctor; illae tamen haud ſunt ineptae, multaque

 omni-

omnino de Viris Italiae doctis et illustribus, eorumque scriptis, adferuntur, quae alibi frustra quaesiueris. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1735. p. 37.* et *Germanica, Parte* CCIII. *p. 799. sq.* Qui a STRVVIO memoratus est ANTON. FRANC. DONI liber Italice exaratus, et *La Libraria* caet. inscriptus, is quidem locum hic fere nullum meretur, propterea quod Italorum eruditorum scripta, ordine nominum alphabetico, continet magis, quam Vitas. Rarus tamen est liber, ea maxime editio, quae *Venet. a. 1557. in 8.* producta fuit. Nonnulla exemplaria indicant etiam annum 1558. cognito bibliopolarum more. Accedunt celeberrimorum Italorum, patrii qui sermonis nitorem conseruarunt, imagines, ligno expressae. Reliquae editiones, itidem *Venetiis a. 1550. in 12. anno 1555. in 8. minoris formae*, et *a. 1580. in 12.* exhibitae, mancae sunt mutilaeque omnes, et vel primam, vel secundam Partem comprehendunt. In tres enim Sectiones diuisus est labor. Prima Scriptores vulgo notos, altera eorum Opera, quae Donius scripta manu vidit, adiectis Auctorum nominibus, et libris reliquis; tertia Academias in Italia conditas, et omnia Sociorum scripta, recenset. At in his memorandis parum est adcuratus, quando, vbi, qua forma, prodierint, nunquam docens. In Praefatione Vitas vberiores se pollicetur editurum, quod praestitum, quantum constat, haud fuit. Vid. IOH. PETRI KOHLII *gesammleter Briefwechsel der Gelehrten anni 1751. Parte XXX. p. 465. Parte XXXVIII. p. 601.* et *Parte XL. p. 641. sq.* nec non *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p. 552.* Ad Italiae etiam eruditos respexerunt potissimum TOMASINVS in *Elogiis illustrium Virorum*, et IMPERIALIS in *Museo histor. et physico*, de quibus repetantur, si placet, supra dicta *§. III.* GALEAZZO GVALDO *Scena d' Huomini illustri d' Italia Venet. a.*

1659.

1659. *in f.* cum *fig. aen.* lucem adſpexit. Varii hic deſcribuntur Viri illuſtres, ex Italica gente, cum doctrina, tum fortibus factis egregii, hos enim Viris doctis immiſcet, teſte MORHOFIO in *Polyh. T. I. libro I. cap. 19. §.53* GREGOR. LETI quae in *Italia* ſua *regnante*, *Genev. a. 1675. in 12.* Italice diuulgata, duabus poſterioribus Partibus, tertia nempe quartaque, de gentis huius eruditis, tunc temporis florentibus, habet, ea ſunt plerumque leuia, et ex ſolo fere nominum catalogo conſtant. In ſcriptis tamen multorum commemorandis plus diligentiae oſtenditur. Melioris farinae eſt PAVLI COLOMESII *Italia et Hiſpania Orientalis, ſeu Italorum et Hiſpanorum, qui linguam Ebraeam, vel alias Orientales, excoluerunt, Vitae*, quas ex Auctoris autographo *Hamb. a. 1730. in 4.* primum edidit, notisque inſtruxit IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS. Nonaginta in hoc Opuſculo Itali occurrunt, qui litteras Orientis calluerunt, et ex parte ſcriptis ornarunt. Eorum in Vitis enarrandis breuior eſt Colomeſius, et aliorum ſaepiſſime, THVANI nominatim woſsiique verbis vtitur: in ſcriptorum enumeratione laborioſius occupatus: in teſtimoniis autem aliorum et iudiciis adferendis copioſiſſimus, et forte nimius interdum. Praeter haec Auctor Epiſtolas quorundam ἀνεκδότους e. g. CASAVBONI, aliquoties inſeruit. Vid. plura in *Actis Erud. Latinis a. 1730. p. 279. ſq.* Eodem in Diario nobili *a. 1725. p. 57.* recenſetur diligenter HYACINTHI GIMMA *Idea della Storia dell' Italia Letterata* caet. *Neapoli a. 1723. in 4. Tomis II.* vbi Vitae clariſſimorum in Italia hominum, tam veterum, quam recentiorum, ita dicuntur expoſitae, vt nec ſcitu neceſſaria deſideres, nec ſuperuacanea faſtidias. Neque tamen ire inficias poſſumus, multos etiam ſoloeciſmos irrepſiſſe litterarios. Nouiſſime accepimus IOH. LAMII *Memorabilia Italorum*, erudi-

eruditione praestantium, *quibus vertens saeculum gloriatur*. Tom. I. et II. *Florent. a. 1742.* et *1747. in 8.* Tomi II. Pars altera, seu Adpendix, *ibidem a. 1748.* lucem adspexit. Memorantur oratione parum aequabilii, delectuque rerum haud adcurate seruato, (quaedam enim, ab aliis iam scripta, immiscuit Lamius integra,) Vitae Pontificum, Clementis XI. et Benedicti XIII. Principumque variorum, qui regnarunt in Italia, nec non eruditorum, quos inter sunt quidam in primis subselliis collocandi. Tomi II. Pars altera continet Vitam Rich. Romuli Riccardii, Patricii Florentini, etiam separatim exhibitam, et Vitam Franc. Arisii, Cremonensis. Vid. *die zuverl. Nachrichten Parte XCI. p. 499.* et *Parte CIV. p. 631. sq.* Omnium hoc in argumento conatus longissime superabit aliquando, si prodierit integrum, quod optandum magis, quam sperandum videtur, illustrissimi Comitis, IOH. MARIAE MAZZVCHELLI, Lexicon Eruditorum Italorum. Inscriptum est quantiuis pretii Opus *Scrittori d' Italia*, *ciò è notizie storiche e critiche intorno alle Vite e agli scritti dei Letterati d' Italia.* Tomi I. Partes binae editae fuerunt *Brixiae a. 1753. in f.* Tomi II. Pars prior accessit *ibidem a. 1759.* et eos praebet conspiciendos, quorum nomina cum litteris *Ba* incipiunt, vnde patet, quam immensum Auctor industrius et adcuratus campum sit ingressus. Cf. *die Götting. Anzeigen anni 1756. p. 571.* BENEDICTI ACCOLTI *Dialogus de praestantia Viror. sui aeui*, et ERYTHRAEI *Pinacotheca*, CORTESII item *Dialogus de hominibus doctis*, quum haec scripta magis ad certi temporis biographias pertineant, infra §. XLI. locum suum occupabunt.

§. IX.

Eos, qui eruditorum, in certa prouincia Italiae vel vrbe natorum et illustrium, Vitas exponere stu-

ſtuduerunt, ordine alphabetico, Lectoribus, ni fallor, commodiſſimo, proferre nunc in medium placet. De *Aquileiae* doctis hominibus agit IVSTVS FONTANINI in *Hiſtoriae litterariae Aquileienſis libris V. Romae a. 1742. in 4.* Non tota tamen hic vrbis exhibetur Hiſtoria litteraria, ſed aliqua ſaltim eiusdem pars pertractatur ſcitiſſime, quum Auctoris obitus reliqua interruperit. Sex enim deſcribuntur Viri doctrina praeſtantes, qui ſingulari Aquileiae ornamento fuere, ſcilicet Corn. Gallus, Poeta antiquus, Hermes Paſtor, eiusque frater, poſtea Pius I. Pontifex, Fortunatianus et Chromatius, ſaeculi IV. et V. Epiſcopi, ac denique Rufinus, Hieronymo aequalis. Copioſius de hoc Opere, poſtumo quidem, at non ex eorum genere, quae vltimam Auctoris manum deſiderant, diſſeritur in *Actis Erud. Lat. anno 1745. p. 448. ſq.* Memoriam clarorum ciuium, quos *Beneuentum* tulit, propagare ad poſteros voluit IOHANNES DE NICASTRO in *Beneuentana Pinacotheca, Beneuenti a. 1720, in 4.* Poſtquam enim libro I. varia vrbis fata et libro II. Sanctos ibidem natos, et Pontifices maximos, Cardinales, Archiepiſcopos Epiſcoposque commemorauerat, libro III. de iis Beneuentanis verba facit, qui doctrinae laudibus exornati fuerunt. Inter hos e. g. conſpiciuntur Orbilius, vetus Grammaticus, Papinianus, Ictus, caet. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1725. p. 519.* Plures in promtu ſunt de *Bononiae* doctis hominibus Scriptores. Primum hic mentio iniicienda NICOL. BVRTII, qui in *Bononia illuſtrata* hoc argumentum paucis tangit, ſed quae hodie neutiquam ſatisfacient eiusmodi rerum auido. Editus eſt libellus *Bonon. a. 1494. in 4.* ſummae raritatis cauſſa recuſus in MEVSCHENII *Vitis erudit. Tomo II. p. 157. ſq.* Poſtea prodierunt *Li Dottori Bologneſi di Legge Canonica*

e Civile, dal principio di essi per tutto l'anno 1619. di GIOV. NIC. PASQVALI ALIDOSI, *in Bologna 1620. in 4.* Addidit mox *Li Dottori Bolognesi di Teologia, Filosofia, Medicina ed Arti liberali, dall' anno 1000. per tutto Marzo del 1623.* nec non *Li Dottori forestieri che in Bologna hanno letto Teologia, Filosofia, Medicina ed Arti liberali, ibid. a. 1623. eadem forma.* OVIDIVS MONTALBANVS sub nomine Ioh. Anton. Bumaldi *Bononiae anno 1641. in forma minori* diuulgauit *Minuralia ciuium Bononiensium anademata, seu Bibliothecam Bononiensem, cui accessit antiquiorum Pictorum et Sculptorum Bononiensium Catalogus*, quo in libello rarissimo eruditi Bononienses cuiuslibet generis, horumque scripta, recensentur. Sed Bumaldum et alios ante ipsum longe superauit PELLEGRINO ANTON. ORLANDI in *Notizie degli Scrittori Bolognesi, e dell' opere loro stampate e manoscritte.* Liber, *Bononiae, a. 1714.* primum *in 4.* excusus, typis repetitus est *ibid. a.* 1728. cum continuatione ad hoc vsque tempus, ex manuscripto Auctoris Volumine, quod seruat Bibliotheca Instituti scientiarum apud Bononienses. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1729. *p.* 33. vbi et VOGLI, Medici cuiusdam, *Tabulae chronologicae* eruditorum in Vniuersitate Bononiensi, *Italice a.* 1726. *in 4.* editae, indicantur, neque tamen ita, vt, quae de libro scitu sunt necessaria, possint exinde cognosci. De claris *Brixiensibus* non contemnendus est Tract. LEON. COZZANDI *Libraria Bresciana* inscriptus, cuius Pars I. *Brixiae a.* 1685. *in* 12. altera, cum priore recusa, *ibid. a.* 1694. *in 8.* prodiit. Auctor lingua patria quingentos pluresque Scriptores Brixienses adfert, deque ipsorum vita, fatis et operibus litterariis, quae innotuerunt sibi, commemorat, dispositis viris ordine alphabetico, secundum cuiuslibet praenomen. Cf. de libro hodie rarissimo *Acta Erud. Latina a.* 1686. *p.* 385.

p. 385. et *a.* 1699. *p.* 472. *sq.* itemque AVG. BEYERI *Memoriae libr. rarior. p.* 239. *sq.* Nunc in manibus eruditorum versatur ANGELI MARIAE QVIRINI Opus, *Brixiae a.* 1739. *Partibus II. in 4. mai.* splendide hoc titulo emissum: *De Brixiana litteratura, renatarum litterarum aetate; seu specimen variae litteraturae, quae in vrbe Brixia, eiusque ditione, paullo post typographiae incunabula florebat,* caet. Pars prior Poetas Latinos, aureae et argenteae aetatis, quos Brixiani Scriptores illustrarunt; Pars altera merita Brixiensium in Grammaticam, Oratoriam et Poesin recenset. In philosophicis quid ii ipsi praestiterint, nouo Volumine docere constituerat Pater ille purpuratus, quod vero consilium postea, superstes licet per trium lustrorum spatium, abiecisse videtur. Editum Opus complura habet, quibus emendantur perperam olim a Cozzando dicta. Conferenda tamen IOSEPHI ANT. SAXII ad Quirinum *Responsio*, ARGELATI *Biblioth. Scriptor. Mediolanensium* adiuncta, vbi hic etiam labor Quirinianus illustratur passim atque suppletur. *Cremonenses* eruditi optime cognosci possunt ex FRANC. ARISII *Cremona litterata, seu in Cremonenses, doctrinis et litterariis dignitatibus eminentiores, chronologicis Adnotationibus.* Tomi sunt III. *in f.* primo *Parmae a.* 1702. altero *ibid. a.* 1706. tertio *Cremonae a.* 1741. excuso. Hic ipse tertius Tomus bis est ab Auctore elaboratus, quandoquidem prius exemplar manu exaratum anno 1727. incendio perierat. Exhibet autem Arisius eruditos suos iuxta temporis, quo quisque floruit, seriem, ita quidem, vt ab anno ante Christum natum quinquagesimo primo incipiat, ac deinde vsque ad annum nostri saeculi quadragesimum progrediatur. In Tomo tamen vltimo ordinem sequitur alphabeticum, secundum Scriptorum prae-

 nomi-

nomina, quod ne molestum esset, Indice commodo prouidit. Cuiuslibet nomina, cognomina, munera, scripta, resque alias praeclare gestas, adcurato studio exponit. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1706. p. 134.* et *a. 1746. p. 337. sq.* vbi notatur de Tomo III, non placere Lectoribus elegantibus scribendi genus, iisdemque gratius futurum fuisse, si Vitam cuiusque eruditi delineasset Auctor diligentius, nec ipsos mortis annos plerumque praeteriisset silentio. Sed forte, quae in exemplari flammis absumto congesserat, meliora fuerunt: forte extrema eius senectus, anno enim aetatis sexto et octogesimo, haud ita multo post editum Tomum tertium, mortuus est, non permisit, vt omnia summa cura conquireret. Supplementa, quae ad Opus hoc, rarius iam integrum obuium, parauerat Arisius, itidem Vulcani corrupisse violentiam, legi in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1749. p. 915.* Cf. CLEMENT *Bibl. de livr. dific. à trouver, T. II. p. 71. sq.* Episcopos Cremonenses speciatim descriptos reperies in *Cremonensium Episcoporum serie, a* FERD. VGHELLO *primum contexta, deinde a* NIC. COLETO *aliquantulum aucta, nunc tandem a* FRANC. ANT. ZACHARIA *restituta, emendata, pluribusque ineditis documentis locupletata, Mediolani a. 1749. in 4. mai.* de quo libro v. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1750. p. 202.* Ordinis electi ratio perducit nos ad Viros doctos *Ferrarienses*, de quibus exstat AVGVSTINI SVPERBI *Apparato degli huomini illustri della Città di Ferrara. In Ferrara a. 1620. 4.* Rarum est hoc etiam centum ac triginta quinque paginarum Opusculum, in quo Auctor *Parte I.* de Clericis, *Parte II.* de Laicis, qui scriptis inclaruerunt, ac *Parte III.* de artificibus nobilioribus, antiquariis nempe, pictoribus, musicis et architectis, non semper tamen adcurate, differit. Poetas speciatim Ferrarienses Disserta-tione

tione *Ferrar. a. 1698. in* 4. excusa, recensuit HIERON. BARVFFALDI, prout CINELLVS indicat in *Biblioth. volante*, *Pluteo X.* Inserta deinde haec Dissertatio, in qua praecipuorum Poetarum, quorum Opera vel separatim in eruditorum versantur manibus, vel iunctim fuere exhibita, exactissima notitia suppeditatur, *Thesauro Antiquit. et Histor. Italiae*, *Tom. IX. Vol. 8.* Idem promiserat olim integram *Scriptorum Ferrariensium Bibliothecam*, quae tamen lucem non adspexit. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1706. p. 72.* Eruditos homines, qui *Florentiam* illustrarunt, memorauit MICH. POCCIANTIVS in *Catalogo Scriptorum Florentinorum omnis generis*, *quorum et memoria exstat*, *atque lucubrationes in litteras relatae sunt vsque ad annum* 1589. Ducentos fere Scriptores addidit LVCAS FERRINIVS, librumque, hodie perrarum, *Florent a.* 1589. *in* 4. diuulgauit. Producit Auctor eruditos suos secundum praenomina ordine alphabetico; sed parum adcuratus maximeque imperfectus eius est labor: inter libros excusos manuque scriptos nihil adparet discriminis: iudicium ne modicum quidem adhibitum: stilus asper est et incultus. FRANC. BOCCHII *Elogiorum*, *quibus viri clarissimi*, *nati Florentiae*, *decorantur*, *libri II. ibid. a.* 1607. *in* 4. prodiere. Grande aliquando de *Scriptoribus Florentinis*, hoc est, omnibus, qui in magno Ducatu Etruriae floruerunt, meditatus fuit Opus IOH. CINELLVS. At conqueritur postea in *Bibl. volantis Pluteo X.* se Florentinos Scriptores, quorum quatuor millia ad suam peruenerint notitiam, illustraturum eo fuisse adductum, vt Florentiam, patriam suam, linquere debuerit, nec deesse, qui viginti trium annorum labores etiam nunc e manibus euellere suis conentur. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1706. *p.* 68. Laudabiliter interim, quae promiserat Cinellus, praestita fuere a IVLIO NE-

GRI

GRI in *Istoria degli Scrittori Fiorentini*, post Auctoris obitum a Collegio Societatis Iesu Ferrariensi, cui adscriptus erat, *Ferrariae a.* 1722. *in f.* producta. Haud perfunctorie hic recensentur eruditi, quinque posterioribus saeculis celebres, nonnunquam tamen neglexit meliores fontes, v. g. in vita Bened. Aueranii: nonnunquam de scriptis magis, quam de vita cuiusdam enarranda sollicitus fuit. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1723. *p.* 251. *sq.* et BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürd. Büch. Vol. X. p.* 528. vbi, quid desiderandum in hoc sit Opere, aperte vereque profitetur. *Anno* 1747. *Venetiis in* 4. exierunt PHILIPPI VILLANI *Vite d' Vomini illustri Fiorentini, colle annotazioni del Conte* MAZZVCHELLI. Auctor Opusculi, cuius aetas incidit in saeculum XIV, nouem decemque Scriptores Florentinos, tunc temporis claros, depinxit, multa sunt autem ab eo ieiune obscureque dicta, quae obseruationes Mazzuchelli egregiae passim explent atque illustrant. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1748. p. 250.* et BAVMGARTEN. *Nachr. von einer Hällisch. Bibl. Vol. VII. p. 278.* Huc et pertinet Volumen, quod MAGLIABECHIVM maxima ex parte auctorem habet, *Florent. a. 1700. in 4.* Italice hac inscriptione editum: *Notizie letterarie ed istoriche intorno agli Vomini illustri dell' Academia Fiorentina.* Complectitur, praeter historiam amplissimae Societatis, viginti et sex supra centum Academicorum memoriam, de quibus varia occurrunt notatu dignissima. *Foroliuiensium* Virorum illustrium Vitas *Foroliuii a. 1726. in 4.* edidit. GD. VIVIAN. MARCHESIVS. Idem *anno sequenti eadem forma* adiunxit *Monumenta Virorum illustrium Galliae togatae, olim Occidentalis Imperii sedis;* quo ex specimine intelligitur, Auctorem singulari aliquando libro percensere voluisse vniuersae prouinciae, cuius ciuitas est Forum Liuii

uii et quae *Galliae togate* vocabulo Romanis olim fuit vsurpata, historiam, sigillatimque ibi Virorum illustrium, quos habuit omni aeuo, gesta paullo fusius enarrare. Perspecta autem incredibili rei difficultate, maluit maiora de se exspectantibus ingentis Operis non nisi delineationem quandam adducto libello exhibere, aliisque, quorum interest, pedetentim et cum tempore amplificandam, meliusque perficiendam, relinquere. Vid. omnino *Supplementa ad Noua Acta Erud. Lat. Tomo I. Sect. 6. p. 262. sq.* vbi plura de hoc ipso specimine adferuntur. De claris *Genuensibus* perbreuem libellum habemus IAC. BRACELLI, insertum eius *Lucubrationibus de bello Hispano*, *Paris. 1520. in 4.* ANDR. SCHOTTI *Italiae illustratae*, *num. IX. p. 641.* nec non *Thesauro Antiqu. et Histor. Italiae Tomo I. Vol. I. num. 3.* VBERTI FOLIETAE *Clarorum Ligurum Elogia*, *Romae, a.* 1574. *in 4.* et *ibid. a.* 1577. *in 8.* auctius edita, postea que dicto *Thes. Ant. et Histor. Ital. Tomi I. Vol. 2. p. 484.* ob insignem raritatem illata sunt. Cf. BVNEMANNI *Catal. libror. rariss. p. 93.* Hic se oculis offerunt Pontifices, Principes, militari arte illustres, atque inter hos Viri etiam litterati, quamquam, pro instituti ratione meris ornantur elogiis. Sic et MICH. GIVSTINIANI exstant *Scrittori Liguri*, *Romae* 1667. *in 4.* et RAPH. SOPRANI *Scrittori della Liguria*, *Genuae eod. anno*, *eademque forma*. Sed vterque hic liber iam pridem auxit rariorum Catalogum. Idem dicendum de AVGVSTINI OLDOINI *Athenaeo Ligustico*, seu *syllabo Scriptorum Ligurum*, *nec non Sarzanensium ac Cyrnensium*, *Reipublicae Genuensis subditorum*, *Perusiae anno* 1680. *in 4.*

§. X.

§. X.

Lombardiae prouincia quos protulerit homines doctos, ANDR. ROVETTA ostendit in *Bibliotheca chronologica illustrium virorum Prouinciae Lombardiae, sacri Ordinis Praedicatorum, qui ab orbe condito, ad haec vsque tempora, in Ecclesiae vtilitatem calamum acuerunt. Bonon. a.* 1691. *in f.* Incipit ab ipso Dominico, eiusdemque adseclas, quotquot ingenii monumentis innotuerunt, ita describit, vt studia ipsorum, dignitates et virtutes, aliaque ad vitae curriculum spectantia, opera item ab iis elaborata, exinde cognosci queant. Recensent illam Bibliothecam *Acta Erud. Lat. a.* 1691. *p.* 331. monentque Collectores, ad Lombardiam non eos referri tantum ab Auctore, qui hac in prouincia nati, sed eos etiam, qui professione solemni facti sint conuentuum filii in eadem. De *Mediolanensibus* nouimus PHILIPPI PICINELLI *Ateneo dei Letterati Milanesi, Mediol. a.* 1670. 4. At praetermissi sunt Virorum doctrina scriptisque illustrium bene multi, et in illorum etiam, quos exhibet Picinellus, Vitis describendis parum est adcuratus. Itaque, quod ad Medicos attinet, meliora dare conatus est BARTHOL. CORTIVS in *Notizie istoriche intorno a' Medici Scrittori Milanesi* caet. *Mediol. a.* 1718. *in* 4. Praefatur Auctor nonnulla de Italorum praecipuis in re medica inuentis et, praeter Mediolanensium Medicorum Vitas, varias etiam aliorum, qui in Italia quidem, non vero in Ducatu Mediolanensi nati fuerant, exponit. Plura haurienda de hoc libro ex *Act. Erud. Lat. a.* 1723. *p.* 254. *sq.* Perfectum est Opus, maximaque dignum laude, PHILIPPI ARGELATI *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, seu Acta et Elogia Virorum, omnigena eruditione illustrium, qui in Metropoli Insubriae, oppidisque circumiacentibus, orti sunt; additis*

additis litterariis monumentis, post eorundem obitum relictis, aut ab aliis memoriae traditis. Mediolani a. 1745. *Tom. II. in f.* Praemissa est IOS. ANTON. SAXII *Historia litterario-typographica Mediolanensis.* Ipsa Argelati Bibliotheca ordine est alphabetico disposita, inque duas distributa Partes. Prior celebriorum Auctorum res gestas continet: altera caeteris dicata est, quos minoris notae eruditos vocat. Omnium vero Scriptorum, de quibus verba fecit, aetatem diligentissime inuestigauit, eorum etiam parentes, munera, studia, fortunam, mores, vltimumque vitae tempus, et quicquid ad vberiorem eorum historiam conducere poterat, satis indicans adcurate. Libri typis exscripti si recensendi sunt, locum, annum, typographi nomen, et librorum formam, semper adnotauit; cumque ii, qui ante annum 1506. editi fuerant, ob raritatem Codicibus manuscriptis soleant aequiparari, ea de caussa locum etiam, vbi reperti sunt isti, studiose adiecit. Copiosissime de hoc Opere loquuntur Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1748. *p.* 241. *sq.* quorum nonnulla hic repetere ab instituto est alienum *Messanae* ciues litteris claros non praeteriit PLACID. REYNA in Parte posteriore *Notitiae historicae de vrbe Messana*, quae eius res cum sacras, tum ciuiles, a salutis restitutae principio vsque ad annum 1600. complectitur. Italice lucem viderat Operis Pars I. *Messanae* 1658. Pars II. *ibid. a.* 1668. *in f.* Post a IOH. LAVR. MOSHEMIO Latine versum, notisque passim illustratum, in *Thes. Antiqu. et Hist. Italiae Tomi X. Vol.* 9. suum etiam locum inuenit. *Neapolitanos* eruditos, ordine alphabetico secundum eorundem praenomina, conspiciendos praebuit NICOL. TOPPIVS in *Biblioteca Napoletana, et apparato a gli Huomini illustri in lettere di Napoli*, qui liber *Neapoli a.* 1678.

in f. prodiit. Accesserunt *ibid. a.* 1683. *ead. forma* LEONARDI NICODEMI *Addizioni copiose alla Biblioteca Napoletana del Dottor Nic. Toppi.* De vtroque hoc labore digna vtique sunt, quae adscribantur, verba in *Actis Erud. a.* 1685. *p.* 447. En igitur ipsa! *Toppius Scriptores ex regno Neapolitano oriundos magna cura in sua Bibliotheca Neapolitana digessit, eo instituto, vt patriam, officia, et gestos honores, opera edita et inedita, et testimonia denique aliorum eruditorum cuiusuis nomini subiiceret. Cum vero prodiisset isthoc opus, incidit id in manus illustris Magliabechii, qui cum in transcursu non pauca deprehendisset, vel perperam ab Auctore posita, vel in tanta materiae copia omissa; breues notas sub manu natas in marginem libri coniecit, et Petro Valerio Diazio, Visitatori generali Siciliae, et Regis Catholici Consiliario, pro mutua familiaritate illas communicauit; quas hic intra priuata scrinia delitescere, minime passus, Leonardo Nicodemo tradidit, adiecta lege, vt certo ordine digestas, editioni praepararet. Nicodemus vero non modica accessione de suo locupletatas, sub titulo* Additionum ad Bibliothecam Neapolitanam Nic. Toppii, *typis exscribi fecit.* Hodie Opus hoc, saltim in Germania, parum frequenter occurrit. Nouissime *Neapoli* lucem vidisse accepi *Tomum I. in* 12. *dell' Istoria degli Scrittori nati nel regno di Napoli, scritta da* GIO. BERNARDINO TAFVRI. Auctor eos Neapolitanos, qui ante Christum natum ad nostram vsque aetatem, inclaruerunt, ordine alphabetico depingere coepit, quae restant, haud dubie additurus. Initium rei iam posuerat in CALOGIERA *Raccolta d' Opuscoli scientifici e filologici*, vbi in *Tomo XVI. Tom. XVIII. Tom. XXI. Tom. XXIV.* et *Tom. XXVI.* exstat eiusdem

dem

dem *Serie Cronologica degli Scrittori nati nel regno di Napoli, comminciando dal Secolo V. fino al Secoli XVI.* Complura eorum Elogia, qui Societatis *Roscianensis* membra fuere, congessit HYACINTH. GIMMA. Prodierunt eius *Elogi Accademici della Società degli* Spensierati *di Rossano Neapoli a.* 1703. *in* 4. Volum. II. at paucissimorum in manibus apud nos versantur. Nunc in eo totum esse IOH. ANTON. SERGIVM, vt plenissimam Historiam regni Neapolitani litterariam Italice componat, in *Praefatione, a.* 1742. cultissimis DE IANVARIO *Carminibus* praefixa, ipse indicauit. Cui quidem instituto si fortuna faueat, doctorum etiam hominum Vitis suum concedet locum Vir clarissimus. De *Panormitanis* eruditis FRANC. BARONII AC MANFREDIS *de Panormitana Maiestate Historia* agit, et quidem *lib. III. cap.* 3. de Oratoribus ac Poetis, *cap.* 4. de Medicis, *cap.* 5. de Ictis, et *cap.* 6. de Philosophis ac Theologis. Opus *Panormi* primum *a.* 1630. *in f.* editum, recusum est postea in *Thesauro Ant. et Histor. Italiae, Tomo X. Vol.* 13. RANVCCIVS PICVS Italica lingua *Parmae a.* 1642. *in* 4. Viros illustres *Parmenses* ab obliuione posterorum vindicauit, quo autem id factum successu fuerit, ob insignem libri raritatem explorare haud est concessum. De *Patauinis* eruditis varia congessit, quae ad rem pertinent litterariam, BERNARDINVS SCARDEONIVS in *libris III. de antiquitate vrbis Patauii, et claris ciuibus Patauinis,* quod Opus *Venetiis a.* 1558. iterumque *Basil. a.* 1560. *in f.* excusum est. Insertum quoque, ad exemplum, manu Petri Scriuerii recognitum, emendatius, et ampliori auctius Indice, dicto *Thesaur. Ital. Tomo VI. Vol.* 3. Fuse illud recensetur in STRVVII *Biblioth. antiqua, anni* 1705. *p.* 153. *sq.* quo loco videmus, Auctorem de Theologis, Ictis, Medicis, Philosophis, Grammaticis, Rhe-

toribus et Oratoribus, item linguae Italicae Scriptoribus, clarisque Musicis Patauinis, differere: et licet in vitis breuior sit, ideo aestimandum esse tamen, quod pleraque eorundem scripta nominauerit, inter quae plura reperiantur, in Germania plane incognita. ANTON. RICCOBONVS in *Commentar. de Gymnasio Patauino libris VI. Patauii a.* 1598. *in* 4. editis, non originem solum et historiam huius Gymnasii describit, sed etiam Doctores in eodem vsque ad annum 1571. celebriores recenset, horumque controuersias, et alia memoratu dignissima, interserit. Nunc liber dudum rarior suum obtinet locum in *Thesauro Ital. T. c. Vol.* 4. Multos item Scriptores Patauinos et horum Opera ANGELVS PORTENARVS memorat in libro VII. *della felicità di Padoua*, *Patauii a.* 1623. *in f.* Theologorum, Philosophorum et Medicorum, qui a. 1681. Patauii docuerunt, Vitas atque Icones, pereleganter sculptas, vna cum ingenii monumentis, exhibet CAROL. PATINVS in *Lyceo Patauino*, quod *ibid. a.* 1682. *in* 4. lucem adspexit. Cf. summatim *Acta Erud. Lat. a.* 1682. *p.* 374. *sq.* Pars huius Operis posterior, Ictis Patauinis destinata, monente HEVMANNO in *Biblioth. Academica*, CONRINGII *Antiqu. Acad.* adiecta, *p.* 164. non fuit edita, nec fortasse vnquam elaborata. Quum vero hi Auctores partim longo ab hinc tempore floruerint, adeoque de recentissimis eruditis nihil dicere potuerint, partim argumento suo non ita, vt omnino debebant, satisfecerint vbique: NICOL. COMNENVS PAPADOPOLVS diuulgata *Venet. a.* 1726. *Tomis II. in f. Historia Gymnasii Patauini* eximium operae pretium tulit. Tomi I. libro 3. Elogia Professorum, nitido succinctoque scriptionis genere, in medium profert, Vitamque ipsorum, et praeclara tum in rem litterariam vniuersam,

uerſam, tum in Patauinum praecipue Gymnaſium, exponit merita, ſimulque ſcriptorum, quae quisque confecit, notitiam ſuppeditat. Pari induſtria eos Gymnaſii alumnos, qui magnum deinde inter eruditos nacti nomen ſunt, recenſet Auctor, nec partium abripitur ſtudio, ſi quidam occurrant a ſacris Pontificiis alieni. Adeant *Acta Erud. Lat. a.* 1727. *p.* 49. *ſq.* qui plura legere de Opere praeſtantiſſimo diſcupiunt. *Peruſinorum* Ciuium, qui patriam illuſtrarunt, *Elogia* duabus Centuriis *Fulginiae a.* 1635. *in* 12. dedit CAESAR ALEXIVS. Adiungendum huic AVGVSTINI OLDOINI *Athenaeum Auguſtum, in quo Peruſinorum ſcripta publice exponuntur.* Editus liber *Peruſiae* eſt *a.* 1678. *in* 4. M. ANTONII. BONCIARII *Hiſtoria Virorum illuſtrium, qui per annos quadringentos Peruſiae armorum vel litterarum gloria floruerunt*, quamquam in *Lexico eruditor. Ioecheriano* refertur inter libros editos; certius tamen videtur adſerendum, eam nunquam fuiſſe abſolutam. Cf. ERYTHRAEI *Pinacotheca l. cap.* 53. Ordine alphabetico commemorat claros doctrina *Piſtorienſes* FRANC. ANTON. ZACCARIA in *Biblioth. Piſtorienſi, Aug. Taurin. a.* 1752. *in f. Parte II. p.* 165. *ſq.* Sed breuiter ac ieiune agit de plerisque, non adeo dignis notatu. *Regienſes* eruditi cognoſci poſſunt ex IOH. GVASCI *Storia letteraria del principio e progreſſo dell' Academia di belle Lettere in Reggio* caet. de quo libro, *Regii a.* 1711. *in* 4. emiſſo, vid. *Supplem. Actor. Erud. Tomo VI. p.* 529. *ſq.* Multi quidem in hac Hiſtoria conſpiciuntur, quorum vel plane nulla, vel leuia tantum, ſcripta ! ſuperſunt; at interlucent etiam aliqui, quos doctrinae copia merito nobilitauit. *Romanos*, qui a. 1630. et biennio poſt Romae vixerunt, typisque diuulgarunt aliquid, produxit LEO ALLA-

TIVS in *Apibus Vrbanis*, *Romae a. 1633. in 8.* editis, et ob summam raritatem *Hamb. a. 1711. ead. forma* cumIOH. IMPERIALIS *Museo historico* recusis, studio IOH. ALB. FABRICII. Ordine vtitur Auctor alphabetico, sed plerumque, vt recte obseruant REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. suae*, *Tomo II. p. 627.* et DAVID CLEMENT V. C. in *Bibl. de livr. dificiles à trouver*, *Tomo I. p. 188.* exilia sunt et breuia nimis, quae adfert, totusque labor eam ob caussam susceptus vnice ab Allatio videtur, vt infirmitati memoriae consuleret. Interim non penitus est contemnendus; complures quippe Scriptores, eorumque libros, indicat, qui in Germania, sine eius auxilio, vix innotuissent. Longe praestantior est PROSPERI MANDOSII *Bibliotheca Romana*, *seu Romanorum Scriptorum Centuriae.* Volumen I. *Romae a. 1682.* Vol. II. *ibid. 1692. in 4.* prodiit. Decem hic exhibentur doctorum Virorum Centuriae, in quibus Auctor, nulla temporis ordinisue alphabetici ratione habita, Scriptoris cuiuslibet Vitam atque Opera, quae vel edidit, vel edere voluit, studiose memorat, adeoque modo Pontificem quendam, vbi tamen vsus est non sine plagio OLDOINI *Athenaeo Romano*, de quo alibi; modo priscum Poetam, aut Historicum; modo recentissimae aetatis hominem sibi delineandum sumit. Gemmarum instar, ob argutum dicendi genus, Inscriptiones Virorum illustrium sepulchrales passim exsplendescunt. Vid. *Acta Erud. Lat. a. 1683. p. 237.* et *a. 1693. p. 307. sq.* quo loco posteriore discimus etiam, Mandosium parare adhuc voluisse Volumen tertium Scriptorum praestantium, ex diuersis terris originem trahentium, Romanae tamen ciuitatis iure donatorum; quod vero consilium prospero caruit successu.

ceſſu. Solum *ibidem a. 1696. in 4.* addidit Θέατρον, *in quo maximorum Chriſtiani orbis Pontificum Archiatros ſpectandos praebet.* Centum, et quod excedit, a ſaeculo nono poſt natum Chriſtum, vsque ad finem ſaeculi ſuperioris, eorum congeſſit Medicorum, qui tuendae Pontificum valetudini praefecti fuerant, nec ipſorum tantum nomina, patriamque, et quicquid ad ſingulorum perſonam ſpectat, notat, ſed ſcripta etiam, ab iisdem confecta, diligenter ſubiungit. In enarrandis autem nominibus, non temporis, quo vixerunt hi Medici, obſeruat ordinem: ad praenominum potius initiales litteras, alphabeti ſerie diſpoſitas, reſpicit. Rarius omnes hi libri noſtra aetate occurrunt, interque eosdem poſtremus de Medicis optimus eſt, quandoquidem Auctor maiorem in hunc, quam in Bibliothecam Romanam, curam impendit. Cf. GOETZII *Merckwürdigk. der Königl. Bibl. zu Dresden,* Tomo. III. *p. 159. ſq.* Sociorum, qui Academiam Arcadum ſuis meritis illuſtrarunt, Vitas praeclare deſcriptas videmus in IOH. MARII CRESCIMBENI *Vite degli Arcadi illuſtri.* Pars I. *a. 1708.* Pars II. *a. 1710.* Pars III. *a. 1714.* Pars IV. *a. 1727. Romae in 4.* prodiit cum figuris aeneis. Non vnus eſt Vitarum iſtarum Scriptor, ſed diuerſae manus haec Volumina compoſuerunt, nunc itidem rariora. Singulis doctorum Vitis eorum praemiſſa fuit effigies. Optandum certe foret, vt omnes biographiae hac methodo concinnarentur. Neque ſileri debet penitus IOSEPHI CARAFFAE liber *de Gymnaſio Romano, eiusque Profeſſoribus, Romae a. 1751. in 4. Tomis II.* editus.

§. XI.

Egregiae sunt etiam, quas DOMINICO DE ANGELIS debemus, *Salentinorum* Vitae, *Florent.* et *Neapoli a. 1710.* et *1713. duabus Partibus in 4.* hoc excusae titulo: *Le Vite de' Letterati Salentini.* Commendatur Opus in *Giornale de' Letterati d' Italia Tomo XIII. p. 263.* et *Tomo XX. p. 175. sq.* quae loca digna sunt vtique lectu, si quis id ipsum cognoscere paullo adcuratius voluerit. In Vitas Scriptorum *Siculorum* plures operam curamque intenderunt, scilicet PETR. CARRERA, CAROLVS DE NEAPOLI, ANTON. AGRAZ, nobilis Panormitanus, et ALOYSIVS LA FARINA. Sed horum omnium labores inchoati tantum, non finiti editique fuerunt. De Siculis Poetis Commentarios molitus est IOH. VINTIMIGLIA; morte tamen impeditus non nisi Bucolicos absoluere potuit. Inscriptio haec est libri: *De' Poeti Siciliani libro I. nel quale si tratta de' Poëti Bucolici* caet. Lucem adspexit *Neapoli a. 1663. in 4.* Postea HIERONYMI RAGVSA *Elogia Siculorum, qui veteri memoria litteris floruerunt, Lugduni anno 1690. in 12.* successere, recusa in *Thesauro Antiqu. et Histor. Italiae, Tomo X. Vol. 14.* longeque auctius ab HIERON. RENDA-RAGVSA, Auctoris nepote, *Romae a. 1700. in 4.* sub titulo: *Bibliotheca vetus Siciliae, continens Elogia veterum Siculorum, qui litterarum fama claruerunt;* sed ieiunum admodum librum esse, docent ea, quae adfert BAELIVS in *Dict. histor. et crit. v. Dicaearchus, nota K.* Interim STRVVIVS hoc loco adfirmare non dubitauit, multa singularia de patriis eruditorum Siculorum habere Auctorem, ac de scriptis, eorumque editionibus, et in alias linguas translationibus non differere solum, sed etiam iudicare adcurate. Inter MSta latere adhuc eiusdem RAGVSAE *Siciliae Bibliothecam recentem,*

tem, continentem Elogia Siculorum, qui, ab anno Christi 1500. ad initium vsque huius aetatis, litterarum fama claruerunt, et in Centurias XIV. ordine alphabetico digestam: porro *Bibliothecam veterem ac nouam*, exhibentem Elogia et veterum et recentiorum Scriptorum, qui quoquo modo Siciliae monumenta illustrarunt, in annos distributam, ex *Galleria di Minerua Tomo IV. p. 121.* refertur in WOLTERECKII *ausführl. Bericht von neuen Büchern, P. VII. p. 684.* Subsequuta hoc est saeculo ANT. MONGITORIS *Bibliotheca Sicula, siue de Scriptoribus Siculis, qui tum vetera, tum recentiora, saecula illustrarunt, Notitiae locupletissimae, in quibus non solum Siculorum Auctorum, qui ad haec vsque tempora scripserunt, Codices excusi, vel manu scripti, adnotantur; verum etiam eorundem patria, aetas, professio, munia, dignitates, memoranda, obitus, et epitaphia, recensentur. Encomia itidem, quibus adhuc exteri Scriptores Siculos Auctores exornarunt, indicantur, nonnulli Scriptorum lapsus corriguntur, pluresque Siculi Scriptores, vel ab alienigenis prouinciis vsurpati, vel ignorati, verae patriae restituuntur.* Prostant Operis Tomi II. altero *Panormi a. 1707.* altero *a. 1714. ibid. in f.* emisso. Sed vterque iam, apud nos quidem, paullo est rarior. Cf. omnino *Acta Erud. Lat. a. 1708. p. 537. sq.* vbi haec inter alia leguntur: *Noster eum sequutus est ordinem, quem litterarum elementa suppeditant. Ragusa complexus est Siculos, solo doctrinae iure in Opus suum exceptos, et qui nulla saepe ingenii dederunt monimenta, plures etiam non Siculos, vt Noster putat, vel dubiae patriae, ex aliorum fide, in Opus transscripsit; at Noster eos tantum Siculos, qui patria Siculi fuere, et vel ediderunt non nihil, vel scripserunt, commemo-*

memorat, *naeuos etiam in Ragusae Bibliotheca occurrentes diligenter emendat. Vt vero et sibi, et eruditorum spei de se conceptae satisfaceret, et omnia adcurate conscriberet, nullis nec sumtibus, nec laboribus pepercit. - - - In Scriptoribus Siciliae delineandis hunc obseruat ordinem, vt patriam, natiuitatis diem, annum, institutum, munera et res praeclare gestas, fata memorabilia, diem fatalem aliaque diligenter enotet, in quo calamum ita temperat, vt rem nec circumducat nimis, nec nimium breuitate constringat, subinde ad Auctores remittendo, qui fusius rem pertractarunt. Librorum titulos, quo linguae genio conscripti sint, adlegat, addito vrbis et typographi nomine, ac forma, variis itidem Operum, si quae sequutae sunt, editionibus: et manuscripta, vbi delitescant, fideliter ostendit. Quae cum ita se habeant, multos aliorum Scriptorum naeuos diligenter corrigit, Toppii maxime et Coronelli. Scribendi genus, vt ipse Auctor de se censet, sequitur nec ornatum nimis; nec nimis depressum, sed quod inter Oratorem et Historicum interiacet.* De Tomo II. dictum in *Supplem. Actor. Erud. Tomo VI. p. 497. sq.* confirmatumque ibidem est, Virorum doctorum fata tanta recensere cura Mongitorem, vt reliquis eius generis Scriptoribus omnibus palmam praeripiat: simulque hoc Tomo mentionem subinde iniici tam Societatum eruditarum, in Sicilia celebratarum, quam feminarum, ingenio scriptisque nobilium. *Ticinensis* Vniuersitatis Viros illustres, ad exemplum RICCOBONI *de Gymnasio Patauino* promisit *olim* ANTON. GATTVS in *Gymnasii Ticinensis Historia, Mediol. 1704. in 8.* recusa deinde in *Thesauri Antiqu. et Histor. Italiae Tomo IV. Parte 2.* At frustra exspectatum est hocce Opus, quod Voluminis secun-

secundi titulo ipsi Gymnasii Historiae subtexere constituerat. De *Venetis* habemus IAC. ALBERICI *Catalogo breve degl' illustri e famosi Scrittori Venetiani, quali tutti hanno dato in luce qualche opera, conforme alla loro professione particulare.* *Bononiae a. 1605. in 4.* Minus adcuratus est hic libellus, rarus tamen hodie, teste CLEMENT in *Bibl. de livr. dificiles à trouver*, *T. I. p. 115.* Adiiciam Viri docti de eodem iudicium. *J'y ai trouvé*, ait, *peu de consolation. Il est si court et si sec, qu'il n'a presque d' autre avantage, que celui de la rareté.* Elogia Patriciorum Venetorum, belli pacisque artibus illustrium, NICOL. CRASSVS edidit *Venet. a. 1612. in 4.* qui liber recusus est in *Thesauro Ant. et Hist. Italiae Tomo V. Vol. 4.* quatuor autem sunt modo Decades, ex quadraginta, quas parabat Auctor. Italica lingua AVGVSTIN. SVPERBVS de iis etiam Venetis egit, qui vel dignitate sacra, vel armis, vel litterarum studiis conspicui fuere. Titulus libri, *Venetiis a. 1629. in 4.* excusi, hic est: *Trionfo glorioso d' Heroi illustri et eminenti dell' inclita et maravigliosa Città di Venetia*, caet. Quod *ibidem a. 1744. in 12.* prodiit Opusculum, ita inscriptum: *Memoria de' Scrittori Veneti, Patrizi ecclesiastici e secolari, ampliata da* PIETRO ANGELO ZENO, id primum lucem adspexerat *a. 1662.* eaque complectitur omnia, quae ALBERICVS et SVPERBVS antea congesserant. Variis tantum Supplementis, nouas Vitarum descriptiones continentibus, locupletauit illud Editor. Non autem excedit labor medium saeculum XVII. Quae restant ad hanc vsque aetatem, Tomo destinata sunt alteri, qui tamen successisse nondum videtur. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a. 1744. p. 694.* Nouissime accepimus *Notizie istorico-critiche in tomo la vita e le opere degli Scrittori Viniziani.* Tom. I. *ibid. a. 1752.* Tom. II. *a. 1754. in 4.* editus est, plu-

resque sunt forsitan exspectandi. Auctor quippe, GIOVANNI DEGLI AGOSTINI, saeculum XVII. nondum attigit. Commendandus est de meliori hicce conatus, quocum priorum hoc in genere labores nulla sunt ratione comparandi. Cf. *die Götting. gel. Anzeig. 1756. P. CXXXI. p. 1187.* Sigillatim de Scriptoribus Venetis, tam vetustioribus, Latinis maxime, quam de illis, qui postremis his saeculis historiam auctoritate publica descripserunt, diserte agit APOSTOLVS ZENVS, in *Praef.* quae ornat Collectionem *Scriptor. Venetorum, Venet. a. 1718. sq. Tomis X. in 4. mai.* diuulgatam lingua Italica. Idem partim singulis Historicis, in hisce Voluminibus productis, eorum praemisit Vitam, vel a se ipso, vel ab aliis, v. g. PETRO CATHARINO, fratre, expositam, suisque auctam Obseruationibus: partim et alibi, scilicet in *Galleria di Minerua*, nec non in *Giornale de Letterati d' Italia* de Historicis Venetorum adcuratissime loquutus est, amplioris-que aliquando Operis spem fecit *de Scriptoribus Venetis.* Vid. *Acta Erud. Lat. 1726. p. 289.* et *die Leipz. gel. Zeit. a. 1719. p. 572. sq.* Sed non audiui, hoc perfecisse Virum doctissimum ante supremam horam, quae abstulit eum anno 1750. octogenario maiorem. In MARCI etiam FOSCARINI praestantissimo Opere *della Letteratura Veneziana*, cuius Pars I. *Patauii a. 1752. in f.* prodiit, multa leguntur haud vulgaria, quae ad Vitam pertinent variorum, ornatissimorum apud Venetos doctrina. Differit simul *p. 312.* de iis breuiter, qui Venetorum eruditorum Vitas exhibuere. Viros illustres *Veronenses* memorauit TORELLVS SARAYNA in Opere *de orig. et amplitud. Ciuit. Veronae*, in hac ipsa vrbe edito *a. 1540. in f.* insertoque *Thes. Ant. et Hist. Italiae Tomo IX. Vol. 7.* *De Collegii Veronensis illustribus Medicis et Philosophis, qui vel scribendo, vel publice profi-*

profitendo, *Collegium*, *patriam*, *et bonas litteras*, *illustrarunt*, *Sectionibus III.* egit ANDR. CHIOCCI *Veron.* 1623. *in* 4. Editio altera emendatior auctiorque in dicto *Thesauro* exstat, *Tomo IX. Vol. 8.* Auctori nec iudicium defuit, nec stili elegantia: omisit tamen annum plerumque, quo nati mortuique sunt, quos descripsit, Viri docti. Non ignota sunt etiam IVLII A PVTEO *Elogia Collegii Veronensis, Collegii iudicum*, *Aduocatorum*, *doctrina*, *natalibus*, *honoribusque insignium*, *Veronae a.* 1653. *in f.* Praestantissima vero est SCIPION. MAFFEI *Notitia Scriptorum Veronensium*, quae Partem II. implet *Veronae illustratae*, *ibid. a.* 1731. *in f. mai.* lingua Italica diuulgatae. Chronologice adornata est haec Scriptorum fere septingentorum Bibliotheca, omnesque MAFFEVS ingenii neruos intendit, vt Auctoris diligentissimi adcuratissimique laudem ferret. Scriptores prouinciae *Vmbriae* recensuit LVDOV. IACOBILLVS in *Bibliotheca Vmbriae*, *ordine alphabetico digesta*, quae *Fulginiae a.* 1658. *in* 4. prodiit, hodieque in rariorum librorum Catalogo locum habet. *Volscorum*, qui fuerunt antiqui Latii incolae, litteris, armis vel dignitate illustrium, Vitas Italice hoc titulo: *Teatro degli Vomini illustri nel regno antichissimo de' Volsci*, ANTON. RICCHI *Romae a.* 1721. *in* 4. exhibuit, de quo libro, parum apud Germanos cognito, nihil, quae dicam, in promtu est. Atque haec de Vitis eruditorum, quos produxit et aluit Italia. Qui plura de hoc argumento nosse voluerit, ei satisfaciet FABRICII *Consp. Thes. litt. Italiae p.* 279. *sq.* itemque *Catal. Bibl. Bunav. Tomi I. Vol. I. p.* 552. *sq.*

§. XII.

Inter Scriptores de Vitis GERMANORVM generales primum habemus IOH. TRITHEMIVM, Abbatem

tem olim Spanhemensem, postea Herbipolensem, cuius *de Luminaribus Germaniae liber vnus, siue Catalogus illustrium virorum, Germaniam suis ingeniis et lucubrationibus omnifariam exornantium, Moguntiae a. 1495 in f.* est excusus, teste NICERONIO in *eius Vita, P. XVIII. p. 288. edit. Germ.* ac deinde illius *Operibus* studio MARQV. FREHERI, *Frf. ad M. a. 1601. in. f.* editis, Tomo I. insertus. Trecentos Viros eruditos scriptum hoc sex ac decem plagularum continet. Multam certe notitiam eiusmodi hominum, eorum in primis, quorum alias vix mentio iniecta fuit, nobis praebet hic ipse Catalogus. Et quamquam in Vitis exponendis admodum breuis esse solet, singularia quandoque sunt tamen, quae proponuntur. Id solum vitio Auctori vulgo vertitur, quod de omnibus nil nisi honorifica referat, quum sint inter eosdem non pari laude digni. Sequutus est Trithemium HENR. PANTALEON, qui in *Prosopographia Heroum atque illustrium Virorum totius Germaniae* de hominibus et factis heroicis et eruditione claris, agit; sed breuiter saltim, plerisque ex Trithemio, Gesnero, atque multis aliis haustis. Ab orbe condito progreditur vsque ad annum Christi 1565. additque imagines ligno incisas, Iouii exemplo excitatus, ad cuius quidem pompam in dictione non accedit, interim liquido et aequabili vtitur genere orationis. Plures tamen imagines plane ex ingenio artificis confictae, quaedam et saepius repetitae, et aliis adpositae, ad quos non pertinent. Biographiae passim vel fabulas redolent, vel ex Scriptoribus fabulosis desumtae, omnesque, Trithemii more, ita elogiis refertae sunt, vt Vitas Sanctorum condidisse Auctorem crederes. Scripta leuiter tantum indicat, multis omissis. Sexcenti praeterea huic Elencho immisti, qui ex Germanorum sanguine nati

nati non fuere. Moderatus tamen eſt in deſcribendis iis, qui diuerſa ſacra, diuerſasque opiniones ſequuti ſunt. Cf. REIMMANNI *Catal. Bibl. ſuae T. II. p. 39.* Proſtant autem dicti Operis Partes tres, quarum duae priores *Baſil. a. 1565.* vltima *1566. in f.* prodierunt, iamque rarius conſpiciuntur. Habemus etiam verſionem eiusdem Germanicam, ab ipſo Auctore adornatam, editamque *ibid. a. 1568. et 1570.* Partibus III. *in f.* hoc quidem titulo: *Teutſcher Nation Heldenbuch, von dem Autore ſelbſt verteutſcht, gemehret und gebeſſert.* Accedunt huic pariter editioni, quae praeferri ſolet Latinae, figurae ligno expreſſae. Cf. *Arbeiten der Gelehrten im Reich, Parte* III. p. 265. *ſq.* quo loco de vtraque editione copioſius agitur. CORNEL. LOOS, ſiue CALLIDII *illuſtrium Germaniae Scriptorum Catalogus Mogunt. a.* 1581. *in 8.* lucem vidit, et hodie rarior itidem eſt. In hoc libro doctrina ſimul eſt pietate celebrium Vita et Opera memorantur, quorum potiſſimum ingenio litterarum ſtudia Germaniae ab anno 1500 vsque ad annum dicti ſaeculi primum et octogeſimum ſunt reſtituta, et ſacra fidei dogmata a profanis Sectariorum opinionibus nouis vindicata. VALERIVS ANDREAS in *Bibl. Belg.* p. 158. *edit. ſecundae* ita de eo ipſo ſcribit: *quo in libro nimis calide in nouorum Epiſcopatuum erectionem incurrit; et, dum Scriptores nobis promittit, ſolas fere vrbes, Scriptorum ſedes natales, depingit.* Longe meliora eſt auſus MELCH. ADAMVS. Congeſſit is Vitas Philoſophorum, Theologorum, Ictorum ac Medicorum Germanorum, qui ſeculo XVI. et XVII. floruerunt. Agmen ducunt *Philoſophi*, quibus et Hiſtoricos, Poetas, generatimque omnes humaniorum litterarum peritos adiunxit. Editae horum ſunt *Vitae Heidelb. a.* 1615. *in 8. mai.* Acceſſerunt *ibidem a.* 1619. *Theologorum Vitae*; hasque exceperunt *ibid. a.* 1620.

a. 1620. et *Ictorum Vitae* et *Medicorum.* Repetita dicitur haec editio *Frf. ad M. anno* 1653. exceptis Philosophis, qui *anno* demum 1663. accesserint. Praestantissima tamen est prima, quam ipsemet recognouit, et a mendis typographicis repurgauit Auctor. Rarius obuiam credit eandem SAM. ENGELIVS in *Spicilegio Catalogo libr. rariss. adiecto, p.* 1. Parum e contrario emendata est editio *Francofurtensis, a.* 1706. *in f.* vno Volumine exhibita. Audiamus adcuratum de Collectione Adami iudicium, quod BAELIVS in *Dict. hist. et crit. v. Melch. Adam* adscripsit. Ita vero, ille: *quoiqu'il n'ait composé que peu de ces Vies, il n'a pas laissé de donner beaucoup de tems à cet Ouvrage, et d'y prendre beaucoup de peine, parcequ'il a mis en abregé les Ecrits, qui lui fournissoient les materiaux; soit que ce fussent des Vies proprement dites, soit que ce fussent Oraisons funebres, Programmes, Eloges, Préfaces, ou Mémoires de famille. Je ne dis rien des Sommaires, qu'il a mis au marges en fort grand nombre. Il a oublié quelques personnes, qui n'étoient pas moins considerables, que plusieurs de celles, dont il parle. Il l'avoue lui-même; mais il declare, qu'il n'y a point eu en cela quelque affectation, et que le défaut de Mémoires en a été la seule cause. Les Lutheriens ne sont pas contens de lui: ils le trouvent fort partial, et ne veulent pas, que son Recueil serve de regle pour juger de l'Allemagne savante.* Add. REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae, T. II.* p. 46. et 47. vbi dignum esse Opus adserit, quod emendationibus et accessionibus locupletatum denuo sub prelum ire iubeatur. Longe nimirum abest a perfecta Historia, inque Elogiis prolixior est, et in Scriptorum recensione non adeo adcuratus. Vid. MORHOF. *Polyhist.*

Tomo

Tomo I. lib. 1. *cap.* 18. §. 51. Plura de his Vitis, et earum naeuis, ipſoque Collectore, ſuppeditat IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS in *der umſtändl. Büch. Hiſtorie, Parte I. art.* 5. p. 87. ſq. Continuauit Adamum HENNINGVS WITTENIVS, cuius Decades XVI. exſtant, *Memoria Theologorum* ſui ſaeculi *clariſſimorum* inſcriptae. Prima et altera Decas *Frf. ad M. a.* 1672. lucem vidit *in* 8. recuſa ibid. *a.* 1674. Succeſſerunt caeterae vsque ad *annum* 1685. omnesque Volumina II. implere ſolent. Eiusdem *Memoriae ICtorum ſaeculo ſuperiori clariſſimorum renouatae* Decades IV. *ibidem a.* 1676. *in* 8. ſeparatim etiam prodierunt, et modici ſunt Voluminis Opus. *Memoria Medicorum eiusdem ſaeculi clariſſimorum* non niſi ex Decadibus II. conſtat, editis *ibid. eod. a. in* 8. Poſtrema Collectio *Memoriae Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum et Philologorum,* ſua aetate clariſſimorum, conſecrata eſt. Nouem earum habemus Decades, quas duo commode Volumina aequalia, eiusdem formae, recipiunt. Priores quatuor ibid. *a.* 1677. reliquae *a.* 1679. impreſſae typis fuerunt. Varii quidem in hisce libris eruditi Viri recenſentur, qui patria Germani non ſunt; at plurima tamen eorum pars ad ciues noſtros pertinet. Inutilis plane non eſt labor Wittenianus, quamquam inſpicientibus hunc ipſum facile occurrent, qui deformitatis non parum adferunt, naeui. Multorum enim hominum celeberrimorum nullam iniecit mentionem; ipſorum etiam, quos produxit, Vitae ſatis adhuc ſunt imperfectae, vel Oratorum ſaltim floſculis, et excurſionibus haud raro ineptis, repletae; cuius rei cauſſa eſt, quod Editor integras Orationes et Programmata funebria, non praeciſis ſarmentis ſuperuacaneis, congerere maluit, quam excerpere, quod ineſt boni. Sub finem cuiuslibet Vitae Catalogum ſcriptorum adiun-

adiungit, qui tamen passim est mancus minusque adcuratus. In *Bibliotheca* IOH. BVRCH. MENCKENII *p. 835. edit. sec.* memoratur Memoriae Theologorum clarissimorum renouatae Semicenturia, itemque Memoriae Ictorum renouatae Semicenturia, quae scripta, cum WITTENII *Praefationibus* prorsus prelo parata, luci nondum fuerunt exposita. Quod coeperat hic, strenue, ab *a.* 1684. quo desinit Witteniana Sylloge, persequi studuit, quantum ad recentiores Theologos, HENR. PIPPINGIVS, qui *sacrum Decadum Septenarium, memoriam Theologorum nostra aetate clarissimorum renouatam exhibentem*, dedit *Lips. a.* 1705. *in 8.* Accessit ab eo ipso ibid. *a.* 1707. *ead. forma Trias Decadum - - - sacro Decadum Septenario iungenda.* Fatetur Auctor, non vbique satisfieri Lectori his Vitarum descriptionibus, quae non complectantur semper necessaria. Et recte quidem id ipse perspexit. Maiori profecto vsui fuisset, si reiectis, quae Oratores intermiscere solent, praecipua saltim ex Orationibus et Programmatibus delibare placuisset. Cf. REIMMANNI *Catal. Bibl. Theolog.* p. 173. *sq.* Idem Pippingius plures collegerat Vitas, GE. HENR. GOETZIO *Epistola* singulari, *Lipsiae a.* 1709. excusa in 8, dono oblatas. Is quippe sequutus priorem fuit, et *Lubecae a.* 1708. *in 8.* luci exposuit *Elogia Germanorum Theologorum saeculi XVI. et XVII.* Addidit *ibid. eodemque anno Elogia Philologorum quorundam Ebraeorum*, quorum sunt decem, omnes, praeter vnum Leusdenium, Germani; item *Elogia Germanorum quorundam Theologorum*, (quorum numerantur octoginta, et hos inter varii Lubecenses,) *ibid. a.* 1709. *in 8.* Volumine satis amplo. Eidem debentur *Elogia praecocium eruditorum, aliorumque Virorum doctorum*, HENR. WITTENII *nouem Decadibus superaddenda, ibid. eod. a. in 8.* Tres hic

hic inueniuntur praecoces, quorum defcripta eft Vita, fcilicet Guftav. ab Helmfeld, Confiliarius Reg. Suecicus, Ioh. Iac. Thurmius, et Elias Schedius; reliquae feptem Vitae ad alios pertinent. Acceffit Index alphabeticus in decem has Decades omnium eruditorum, quorum fata memorantur. At bonus Goetzius, nimio fcribendi edendique pruritu abreptus, vti in aliis eius litterariis laboribus, ita et hic feftinauit, inque Programmatibus et fcriptis aliis, in quibus hae Vitae exftant, colligendis haud iuftum vbique obferuauit delectum. Wittenii quoque exemplo FRID. CASP. HAGENIVS *Baruthi a. 1710. in 8.* prodire iuffit *Memorias Philofophorum, Oratorum, Poëtarum, Hiftoricorum et Philologorum, noftrae aetatis clariffimorum, renouatas.* Duae autem funt Decades tantum; haud contemnendum ex Programmatibus, Orationibus, Infcriptionibus Epiftolisque adparatum exhibentes: non enim adiecit poftea Editor, quas promiferat, integram Philofophorum Centuriam, ICtorumque ac Medicorum Memorias. Cf. *Supplem. Actor. Erud. Tomo VI. p. 143.* Idem fuit inftitutum REINH. HENR. ROLLII, qui dicto etiam *anno 1710. Roftochii in 8.* Orationes vel Programmata congeffit, quibus Vitae eruditorum exponuntur. Duas habemus ab eo Decades, breuibus paffim notis illuftratas, atque fic infcriptas: *Memoriae Philofophorum, Oratorum, Poëtarum, Hiftoricorum et Philologorum, inde a megalandri Lutheri reformatione, ad noftra vfque tempora, renouatae.* Qui liber quum tot emtores non ftatim effet nactus, quot bibliopola, cupidus lucri, exoptauerat, hic morae diuturnioris impatiens, refecto priore titulo, alium fubftituit, et, quafi nouum effet Opus, *anno 1713.* merces fuas ita venales obtulit fraudis turpiffimae ignaris: *Vitae eruditiffimorum in re lite-*

teraria Virorum, *ex monumentis rarissimis et exquisitissimis collectae a* M. CHRIST. HENRICI. Cfr. REIMMANNI *Catal. Bibl. T. II. p. 636.* Desideratur hic Praeloquium quoque, in quo Rollius Scriptorum biographicorum Catalogum confecerat. Quae de Wittenii Pippingiique conatu dicta sunt, ea et hic locum habent. Multa omnino, quae Graeci ἀλλότρια vocant, sine vllo detrimento poterant praetermitti. Cf. *die Neue Hällische Biblioth. Vol. I. P. 3. p. 218. sq.* Ad bibliopolae vero dolum quod attinet, vel in transcursu licebit obseruare, plura insignia exempla alia innotuisse, quae conquiri forsitan mereantur. Vtque STRVVIVS aliquando de *doctis impostoribus* dissertationem conscripsit: ita et aliquis libello singulari proferre in medium posset *bibliopolas impostores*. Referenda huc *Schola Ictorum medica*, THOM. REINESIO adficta, qua de re legenda omnino *Acta Erud. Lat. a. 1723. p. 256.* Postea CHRISTIANVS POLYC. LEPORINVS *Quedlinb. a. 1719. et seq.* edidit *Leben der Gelehrten, so in Deutschland vom Anfange des 1719. Iahres dieses Zeitliche gesegnet.* Octo sunt Partes, supplemento auctae, quas non difficulter vnicum Volumen *in 8.* complectitur. Non quidem indignae sunt hae Vitae, quae perlustrentur; varias tamen leuioris esse credo momenti. Interspersae etiam Obseruationes complures hodie non nisi paucis placebunt. Quid enim permagni nostra interest, scire, qui Medici aetate adhuc florente, et ante quadragesimum annum, diem obierint supremum? qui Theologi morte sint repentina oppressi? qui Gymnasiorum Rectores per longum temporis spatium muneri suo praefuerint? Subsequuta est *ibidem a.* 1724. huius Auctoris *Germania litterata viuens; oder das ietzt lebende gelehrte Deutschland, durch ausführliche Lebensbeschreibungen vieler in Deutschland zu unserer Zeit lebenden gelehrten Männer.*

Männer. At non eſt progreſſus vltra binas Partes *in 8.* quae continent Vitam Ioh. Andr. Schmidii, Burc. Gotth. Struuii, Mich. Bernh. Valentini, et Chriſt. Thomaſii. Amplae ſunt hae Vitae, Thomaſiana cumprimis, quae integram Partem II. implet: at, quae adferuntur, paſſim Supplementis et lima opus habent. Poetas Germanorum Graecos deſcripſit GE. LIZELIVS in *Hiſtoria Poëtarum Graecorum Germaniae, a renatis litteris ad noſtra vsque tempora*, *Frf. et Lipſ. a.* 1730. *in 8.* Haud ineleganter hic recenſentur Vitae eorundem, poëmata, et in priſcos Poëtas Graecos merita. Recte tamen monetur in *Actis Erud. Lat. a.* 1730 *p.* 480. horum Poëtarum numerum et augeri, et minui, potuiſſe: minutiasque irrepſiſſe quasdam p. 109. p. 112. p. 326. et alibi, quas omiſiſſe ſatius fuiſſet. Pollicitus eſt clar. Auctor Latinos quoque Germaniae Poëtas, quorum integrum ſe collegiſſe exercitum ait; ſed ad hunc vsque diem ſpem fortuna fefellit. Praeclarum eſt IAC. BRVCKERI Opus, quod ſic inſcriptum: *Ehren Tempel der deutſchen Gelehrſamkeit, in welchem die Bildniſſe gelehrter Männer unter den Deutſchen aus dem XV. XVI. und XVII. Iahrhundert aufgeſtellet, und ihre Geſchichte, Verdienſte und Merckwürdigkeiten entworfen ſind.* Initium factum *Aug. Vind. a.* 1747. quo prima Decas *in* 4. *mai.* excuſa, quinta vero, eademque vltima, a. 1749. ſucceſſit. Imagines elegantiſſime fuerunt aere expreſſae manu IOH. IAC. HAIDII, Pictoris et Chalcographi. Laudatus contra Bruckerus, PERRAVLTI exemplo, qui illuſtrium apud Gallos hominum Icones Vitasque dedit, in deſcriptione Germanorum ſuorum, qui litteras potiſſimum humaniores excoluere, praecipua ex optimis fontibus hauſit, et mira breuitate, additis etiam, quae ab aliis non ſunt obſeruata,

proposuit, vna cum scriptorum, a singulis relictorum, Catalogo adcurato. Duplex Index primo huic Volumini finem imponit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1747. *p.* 269. et 1749. *p.* 804. De MOSERI, IENICHENII et WEIDLICHII *Vitis ICtorum Germanorum* hoc pariter loco dicendum esset non nihil: at fiet id commodiore occasione, infra §. XXXIII. Quam olim in *Praef. ad Supplementum Lexici Gussetiani* IOH. CHRISTIAN. CLODIVS promiserat *Germaniam Orientalem*, siue Germanorum qui, linguae Ebraeae, vel aliarum Orientalium, peritissimi fuerunt, Vitas, exemplo Colomesii elaboratas, haec propter Auctoris obitum nunc quidem exspectabitur frustra, nisi schedae eiusdem in manus inciderint eruditi, qui et voluntatem et facultatem idoneam, ad coepta perficienda habeat. Caeterum non nulla licebit his adiicere de Vitis Heluetorum. Primum est memoranda IOH. HENR. HOTTINGERI *Bibliotheca Tigurina Tiguri a.* 1644. in 4. vbi *p.* 65. *sq.* Vitae ac scripta doctorum Tigurinorum breuiter exhibentur. Nouissime prodiit *Bernisches Mausoleum, oder berühmten und sonderlich um die Kirche Gottes in diesem Lande hochverdienten Männern aufgerichtetes Ehrenmahl, in ihrer kurtzen Lebensbeschreibung.* Auctor, qui nomen suum litteris G. E. H. exprimere saltim voluit, Theologum se dicit Heluetum, et has Vitas *Bernae anno* 1740. *sq. Tomis II. in 8.* edidit cum Iconibus. An plures subsequuti sint, vti spes quidem in Epilogo Tomi II. facta, certo non scio. Sex eorundem adferuntur in *Catalogo Biblioth. Kappianae, Parte II. p.* 238. *num.* 21. Erudite, stilo tamen parum culto, pertractasse eundem argumentum suum, adserunt *Acta Erud. Lat. a.* 1744. *p.* 160.

§. XIII.

§. XIII.

Accedendum ad eos, qui homines doctos, in prouincia quadam vel vrbe Germaniae procreatos, conspicuosue descripserunt speciatim. Sic FRID. GOTTH. GOTTERVS Elogia clarorum Virorum, qui *Altenburgum* nostra patrumque memoria tum scriptis, tum egregiis meritis illustrarunt, *Ienae a.1713.* et *anno 1727. in 8.* protulit, estque posterius Opusculum continuatio prioris. Variorum *Anhaltinorum*, qui scriptis inclaruere, Vitas, alphabetico ordine, congessit IOH. CHRISTOPH. BECMANNVS in *der Historie des Fürstenthums Anhalt*, *Tomo II. Parte 7. cap. 3.* Adeat *die neue Hällische Bibl. Vol. I. Parte 7. p. 586.* qui singulorum scire nomina Velit. De *Augustanis* exstat IOH. CHRISTOPH. WENDLERI *Augusta litterata*, *Ienae a. 1713. in 4.* Diss. Academica proposita. Sed quum Auctor non eo laborem consilio adgressus sit, vt Vitam ac fata doctorum Augustanorum fuse memoraret, admodum eundem esse mancum, statim adparet. *Trium Occonum*, Medicorum saec. XVI. illustrium, Vitas, praeclare fabricauit IAC. BRVCKERVS, edita *Lips. a. 1734. in 4.* eorundem Historia. Praemisit et aliorum Medicorum, Occonibus aequalium, Vitas Prolusione singulari *de Medicis Augustanis, saec. XVI. celebribus*, tandemque adiecit similis argumenti Opusculum, *Hygaeam Augustanam*, siue memoriam saecularem Collegii Medici Augustani, a LVCA SCHROECKIO antea *a.* 1682. in 4. iam diuulgatam. Plenissimam olim, vt indicant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1732. *p.* 79. meditatus est IOH. GE. LOTTERVS. Historiam huius vrbis litterariam, *Bibliothecae Augustanae* titulo proferendam, in qua eos eruditos omnes, quorum vel patria, vel fortunae sedes, Augusta Vindelicorum fuit, recensere adcuratius constituerat. Sed Viri clarissimi discessus in Aca-

demiam Petropolitanam, et, quae paullo poſt ſequuta eſt, mors praematura non permiſit, vt deſtinata exſequeretur. *Auſtriae* eruditos duodecim colligere coepit nuper FRANC. CONSTANT. FLORIAN. a KHAVTZ *im Verſuch einer Geſchichte der Oeſterreichiſchen Gelehrten, Frf. a.* 1754. *in 8.* quod ſpecimen ita eſt comparatum profecto, vt plura exoptent omnes. *Brunſuicenſium* ac *Luneburgenſium* Vitas in Epiſtola quadam, *Hanov. a.* 1730. *in* 4. excuſa, promiſit DAN. EBERH. BARINGIVS, atque haec promiſſa repetiit anno 1747. in fine *Praefationis*, *Claui diplomaticae* praefixae. At mortuo nunc homine docto ſchedae eius fato forſitan communi obnoxiae erunt. Sociorum, qui Academiae Scientiarum *Berolinenſi* adſcripti fuere, et aliorum quorundam eruditorum Vitas, celeberrimus FORMEY hoc titulo *Berolini*, ſeu verius *Pariſiis, a.* 1757. *in 12.* Tomis II. exhibuit: *Eloges des Académiciens de Berlin, et de divers autres Savans.* Non eſt nouum id Opus, ſed collectio ſaltim eorum Elogiorum, quae iam pridem inſeruerat Commentariis Academiae, cui eſt a ſecretis, Gallicisque ſuis Diariis, doctiſſimus Auctor. De eruditis *Chemnitenſibus*, extra patriam bene exceptis promotisque, *Programmata XXI. in f. Chemnicii ab a.* 1711. vsque ad *a.* 1738. dedit DAN. MVLLERVS, Scholae tunc Rector. Amici veteris beneficio pleraque ſunt meis in manibus. Expertus vero ſum legendo, quod ſaepiſſime alia huius generis ſcripta planum reddidere mihi, ſcilicet magnos inter Deos maximam eſſe minutorum ac patellariorum turbam. Bene feciſſet Müllerus, ſi paucioribus plagulis intuliſſet Georg. Fabricio et Ioh. Car. Naeuio, Icto Vitembergenſi, vt exemplis vtar, ſimiles. *Coburgenſes* cognoſci quodammodo poſſunt ex ANT. COBVRGERI, i. c. IOH. CASP. WEZELII, *ietztleben-*

den

den geehrten und gelehrten Coburg, mit dazu gehörigen Schriften, Anmerckungen und Epitaphiis, Coburgi, a. 1718. *in* 8. Meliora deinde suppeditauit ALB. MENO VERPOORTENIVS in GODOFR. LVDWIGII *Historie des Hochfürstl. Casimiriani Academici*, P. II. post huius obitum ab illo *ibidem a.* 1729. absoluta, vbi a *p.* 52. *sq.* Gymnasii Scholarchae, Directores et Professores describuntur, quos inter non omnes tamen Coburgum nacti sunt patriam. De *Coloniensibus* lectu digna est IOSEPHI HARTZHEIM *Bibliotheca Coloniensis, Colon. a.* 1747. *in f.* quae iam rarescere incipit. Itaque non paucis gratissimum fuerit, si noua mox, eademque emendatior atque auctior, cuius est ante aliquot annos spes facta, editio proferatur. Vid. IOH. DIETER. FRANC. ERN. VON STEINEN *Vntersuchung, in wie weit die Grunerische Vertheidigung Westphalens nötbig und zulänglich sey? Hamb. et Lips. a.* 1753. *in* 4. *p.* 34. Hartzheimius vero in hoc Opere proposuit exemplo sibi ANTONII *Bibliothecam Hispanam*, deque Viris eruditis, et scriptis eorum, commentatus est, qui in Dioecesi Coloniensi, Ducatibusque Westphaliensi, Angariensi, Moersensi, Iuliacensi, Cliuiensi, caet. Ciuitatibus item Coloniensi, Aquisgranensi, Tremoniensi, vel nati sunt, vel dignitate floruerunt. Accedunt clari Coloniae, Pictores, Chalcographi Typographique. Neque negari tamen potest, magnam Vitarum partem esse ieiunam admodum; multas fabulas, aliaue nullius momenti, veluti lolium subcreuisse; partiumque studium passim obseruari sine negotio. Immodicus est profecto Hartzheimius in suorum laudibus, Patrum praecipue e Soc. Iesu: acris e contrario in nostros, potissimum reformatae religionis sacris addictos, quorum et libros, si doctrinis Pontificiorum repugnent, penitus praeterire si-

lentio consueuit. Cf. *die zuverl. Nachrichten Vol. X. pag.225. sq.* De *Cygneis*, seu Zwiccauiensibus, disseruit in libello quodam, *Lips. a.* 1686. *in 4.* excuso, IOACH. FELLERVS. Inscriptio haec est: *Cygni quasimodogeniti, h. e. clari aliquot Cygnei, quorum in Chronico Cygneo aut nulla, aut superficiaria, facta est mentio, ab obliuione vindicati.* Praefatio claros nonnullos alios Misnicorum oppidorum Viros recenset. *Dresdensium* Theologorum, partim qui Sacrorum Antistites in vrbe, partim qui in aula fuerunt, Vitas composuere CHRISTIAN. SCHLEGELIVS et IO. ANDR. GLEICHIVS. Illius quippe prostant *Lebensbeschreibungen der ehemahls, von Zeiten der Reformation an, in Dresden gewesenen Superintendenten, Dresdae a.* 1697. et 1698. *in 8.* Hic vero in *Annalibus ecclesiasticis, oder gründlichen Nachrichten der Reformationshistorie Chursächsisch-Albertinischer Linie.* caet. fuse memorauit Sacerdotum aulicorum Vitas et scripta, singulorumque Icones adiecit. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anno* 1730, (quo ipso prodiit Opus *Dresdae* Partibus II. *in 4,*) *p. 341. sq.* Laudatur ibidem diligentia Auctoris, insertorumque Documentorum ingens copia. *Erfordiensium* Vitas sermone vernaculo accepimus *Erford. a.* 1722. et 1723. Particulis II. *in 8.* a BIANTE, quem Pseudonymum esse IOH. MICH. WEINRICHIVM, aulae quondam Meinungensis Sacerdotem, ex Professore quodam Erfordiensi se audiuisse refert HEVMANNVS in *Biblioth. Academica p.* 50. At aliter se rem habere, potiusque tribuendum Opusculum esse IOH. DANIELI GRIEL, docetur *Erfordiae litt. Vol. III. P. I. p.* 175. Hunc autem longissime superauit IOH. CHRISTOPH. MOTSCHMANNVS in *Erfordia litterata*, modo adducta, quae est Germanice typis impressa *ibid. a.* 1729. *sq. in 8.* Vol. II. priore Collectiones sex, altero, *Erfordia*

litte-

litterata continuata inſcripto, Continuationes quinque exhibente. Praemiſſa cuilibet Sectioni effigies, paucis tamen ſatis eleganter ſculptis. Poſt Auctoris obitum IOH. NICOL. SINNHOLDVS *ibid. a.* 1748. Volumen tertium incepit, quo mox viuis etiam erepto, GOTTLOB. THEOPHIL. OSANN *anno* 1753. Partem huius ſecundam edidit. Plures adhuc, quantum ego quidem ſciam, non ſucceſſerunt. Binae doctorum Virorum imagines, in hoc obuiae Volumine, a peritioris artificis manu expreſſae ſunt ac politae. Suppeditat autem laudatum Opus, praeter alia ad Academiae hiſtoriam pertinentia, centum octoque et quadraginta Vitas eruditorum, qui Erfordiam doctrina nobilitarunt meritisque, et vel in hac Thuringiae metropoli, vel alibi, lucem adſpexerunt. Multi occurrunt inter eosdem, antea ignorati fere, digni tamen poſterorum memoria: nonnullorum e contrario notiſſimum fuit nomen, quorum de fatis altum apud alios eſt ſilentium. Praeter has Vitas paſſim intermiſcentur breuiores eorum, qui tunc temporis in quouis eruditorum ordine floruerunt. *Francofurtenſium* ad Viadrum Profeſſorum variorum Vitas pertexuit, et cum Iconibus complurium edidit IOH. CHRISTOPH. BECMANNVS in *Notit. Vniverſit. Francofurtanae*, auctius prolata *Francof. ad Viadr. a.* 1707. *in f.* De claris *Franconiae* Viris generatim tria proſtant IOH. HENR. BOCRISII Schediaſmata, quorum primum *Suinfurti a.* 1712. *in f.* alterum tertiumque *ibid.* 1716. *in 4.* excuſum. Quarto Schediaſmate doctos Franconiae Iudaeos recenſere, imo integrum de *Franconia litterata* Opus elaborare voluit: ſed mors in flore aetatis oppreſſit optimae ſpei Virum. *Leipz. gel. Zeit. a.* 1717. *p.* 216. Profeſſorum, natione Francorum, qui Wittenbergam illuſtrarunt, ſeriem, cum ſuccincta de Vita

ipsorum scriptisque historia, *Wittenb. a.* 1702. Diss. quadam exhibuit IOH. BARTHOL. LENZIVS. Frustra exspectatur adhuc, quam est olim meditatus EHRENR. GER. COLDEWEY, *Frisia Orientalis litterata*, seu enarratio Virorum doctorum, quos Frisia Orientalis vel genuit, vel aluit. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1735. *p.* 531. Theologiae Professores, qui Academiam *Gissensem* ab eius origine, vsque ad recentissimam aetatem, illustrarunt doctrina et scriptis, strictim carptimque delineauit ERN. FRIDER. NEVBAVERVS in *dem Hessischen Hebopfer, Vol. I. p.* 105. *p.* 252. *sq.* et in caeteris huius Voluminis Partibus: idemque postea pleniore calamo adiunxit eorum Vitas, qui Philologiae sacrae Professores fuerunt, in *Vol. II.* dicti Diarii, *p.* 368. *sq. p.* 664. *sq. p.* 703. *p.* 855. et *p.* 931. *sq.* quibus addenda, quae *p.* 975. *sq.* adhuc proferuntur. *Goldbergenses* eruditi in Silesia cognosci possunt ex IOH. CASP. EBERTI *Peplo bonorum ingeniorum Goldbergensium, Olsnae a.* 1704. *in 8.* vbi in prima Centuria eos doctrina et virtute clarissimos homines, quos Goldberga ipsa genuit, in altera vero tales, qui Goldbergae vixerunt, nati licet ibidem haud fuerint, breuiter recenset, disticho quippe in vnumquemque, cui adiecit annum mortis, vitae genus et elogium. De doctis Viris *Gothae* ortis nonnulla congessit FRID. RVDOLPHI in *Gotha diplomat. Parte III. p.* 329. *sq.* Eos vero scriptis cognitos, qui ortum suum *Gottingae* debent, inuenies in *Parte III. der Zeit-und Geschichtbeschreib. der Stadt Göttingen,* libro *in 4. anno 1738.* edito, qui HEVMANNVM auctorem habet totus. Supplementa idem *Dissert.* quadam adiecit *a.* 1755. Vitam et fata complurium Ictorum *Gryphiswaldensium* Programmatibus VII. *in 4.* *Gryphisw. ab a.* 1737. vsque ad *a.* 1742. enarrauit Vir illustris, AVGVSTIN. DE BALTHASAR; quae rarius obuia recudi

recudi coniunctim merentur. Hoc etiam exemplo excitatus CHR. STEPHAN. SCHEFFELIVS, clarissimus Medicus, addidit *ibid. a.* 1757. *in 4. Vitas Professorum Medicinae, qui in Acad. Gryphisw. a primis eius initiis, vsque ad finem anni ipsius saecularis tertii vixerunt.* Lucem non vidit, quam adfectam seruare se REIMMANNVS dicit *im Versuch der Einleit. zur Histor. litt. Parte I. p.* 417. Historia litteraria Halberstadiensis, qua se historiam Virorum, in Dioecesi *Halberstadiensi*, a Caroli M. temporibus vsque ad nostra clarorum, summa contexuisse industria ipse scribit. Interim hoc argumentum tetigit quodammodo IOH. ANDR. SCHMIDIVS in *Dissert. de Triumuiris Halberstadiensibus, Helmst. a.* 1715. in qua Clementem II. Pontificem, Ioh. Semecam, et Conr. de Halberstad depinxit. Hoc sequutus exemplum est nuper CHRIST. GODOFR. DERLINGIVS, et *Halberst. a.* 1753. *in 4.* Prolusionem *de claris Halberstadiensibus* emisit, cui plures, vt spes facta, tempore opportuno accedent inposterum. Vitas eruditorum, quos *Hala Magdeb.* vel produxit, vel aluit ornauitque, magno numero, sunt enim eorundem prope septingenti, exponit studiose, et varia, non obseruata ab aliis, intermiscet Vir illustris, IOH. CHRISTOPH. A DREYHAVPT, in *der diplomatisch-historischen Beschreib. des Saal-Crayses, Parte II, Hal. a.* 1750. *in f.* edita, *cap. XXIII. p.* 572. *sq.* Placebit omnino haec insignis Collectio studii biographici amatoribus, eoque magis placebit, quo illustrior ista Ciuitas reddita est nostro potissimum saeculo Virorum celeberrimorum ingeniis. De *Hamburgensium* eruditis bene meritus est IOH. ALB. FABRICIVS in *Memoriis Hamburgensibus*, cuius Operis Volumina VIII. *in 8.* exstant, *Hamb. ab anno* 1710. vsque ad *a.* 1745. diuulgata. Vltimum post mortem ipsius accessit. Leguutur hic multi Viri,

qui

qui ſcriptis ſuis nominis nacti ſunt celebritatem, multi tamen vix memoria digni videntur extra patriae ſuae limites. Non pauca etiam fuerunt inſerta, quae ad res Hamburgenſium ciuiles, non litterarias, pertinent. Interim hoc erat Viri diligentiſſimi conſilium, vt eo labore omnibus inſeruiret Reipublicae ciuibus, ipſique monumentum erigeret pietatis, ob beneficia, per tot annos in eum collata. *Ibidem a.* 1739. *in 8.* edidit ARNOLD. CHR. BEVTHNERVS *Hamburgiſches Staats-und Gelehrten-Lexicon, worinnen die Nahmen, das Leben und die Verdienſte derjenigen Männer geiſt-und weltlichen Standes angeführet werden, welche von der Reformation an bis auf gegenwärtige Zeit in dieſer Stadt, und derſelben Gebiethe, ein anſehnliches Ehrenamt, oder eine hohe Würde, bekleidet, ſich durch Schriften berühmt gemacht, daſelbſt gebohren, und in der Fremde Beförderung erhalten, bereits aber das Zeitliche geſegnet haben.* Sed leuis eſt et inanis labor Auctoris, parum ad ſcribendum apti. Nec iniquum eſſe credo iudicium in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1739. *p.* 832. his verbis expreſſum: *Von vielen hat er keine andere Verdienſte beygebracht, als daß ſie entweder gebohren worden, ein Amt gehabt, oder geſtorben ſind. Ja von einigen findet man auch weder Geburt, noch Tod, und ihr Nahme, nebſt ihrem Amte, iſt alles, was uns eine Hochachtung für ſie beybringen ſoll. Man würde dem Herrn Beuthner mehr verbunden ſeyn, wenn er uns nicht gröſtentheils ſehr magere Gerippe von ſeinen auch in der That wohl verdienten Mitbürgern hätte vorſtellen wollen.* Schedae illae, quae aliquoties *Hamburgi litterati* elogio *in 8.* prodierunt, et PETRO AMBROS. LEHMANNO tribuuntur, huc plane non pertinent, quoniam in his, recte

recte monente HEVMANNO *Consp. Hist. litt. Cap. VII.* §. 4. *p. m.* 408. sola eorum conspiciuntur nomina, qui versati fuerunt in Academiis, siue egregie, siue mediocriter, siue nulla ratione cum Musis habuerint commercium. Caueant igitur, ne pro Iunone nubem amplectantur, Biographorum indagatores. Vitas *Hassorum* generatim IOH. CHRISTOPH. KALCKHOF meditatus est iam pridem, eaque mente *Cassellis a.* 1707. *in* 4. emisit Epistolam *ad Patronos et Amicos, vt se Opus* de claris Hassis *scribentem adiuuent, et communicanda communicent.* Absolutum quoque id ipsum, et prelo subiectum fuisse, indicant *die Leipz. gel. Zeit. anno 1722. p. 222.* vbi memoratur integer titulus: at vel hic falsa dicuntur, vel casus improuisi conatum certe laudabilem euerterunt. Qui enim vel vnicam viderit plagulam, iam excusam, ego ad hunc vsque diem cognoui neminem. *Heidelbergenses* proferuntur in *Parnasso Heidelbergensi*, qui Icones omnium huius Academiae Professorum cum eorundem Elogiis continet, lucemque adspexit *Heidelb. a.* 1660. *in f.* Pergo ad eos ex eruditorum ordine Viros, quibus *Helmstadium* nomen ac famam debet. Primo hic loco adducenda quidem GEBH. THEOD. MEIERI *Monumenta Iulia, Memorias Professorum Helmstadiensium, qui diem suum obierunt, exhibentia, Helmstad. a. 1680. in* 4. Sed quid de libro hoc sentiendum sit, optime docet REIMMANN. in *Bibl. suae Catal. T. II. p.* 254. vbi adfirmat, de quibusdam Theologis tantum et Ictis dici, neglectis Medicis, Philosophis ac Philologis; et illorum memoriam ita esse traditam, vt, quae prae caeteris sunt memorabilia, scripta fere omnia, et certamina erudita, et fata singularia, silentio sint praetermissa. Supplere hanc postea studuit lacunam IVSTVS CHRISTOPH. BOEHMERVS,

Vir

Vir disertissimus, ac binis Prolusionibus, *Guelpherb. a.* 1719. *in 4.* excusis, *Memorias Professorum Helmstadiensium in Medicorum Ordine, qui diem suum obierunt*, recoluit modo fusius, modo breuius, prout ad manus ipsi subsidia fuere, semper tamen genere dicendi comtissimo. *Eiusdem* prostant *Memoriae Professorum Eloquentiae, quos habuit Academia Helmstadiensis*, primum editae plagulis aliquot *Gottingae a.* 1733. *in 4.* a saepius laudato HEVMANNO. Cf. *Supplem. Actor. Erud. Tomo X. p.* 519. Is ipse compertum se habere scribit in *Bibliotheca histor. Acad. p.* 87. Boehmerum illum caeterorum etiam Philosophici Ordinis Professorum elaborasse Vitas, quas suis e tenebris prodituras esse aliquando in apricum publicum, sperat. Et profitetur omnino BOEHMERVS in *Memor. Professor. ex Medicor. Ordine p. 3.* se de iis, qui in Collegio, litterarum ac sapientiae studia colentium floruerunt olim Helmstadii, quae proponi potuerint, septem habitis Prolusionibus dixisse. Sed nondum hac in re publicis desideriis satis est factum. *Vulnera Acad. Iuliae, et mortibus, et discessibus Professorum inflicta, ordine chronologico Helmst. a.* 1746. tribus plagulis *in* 4. adnotauit Vir reuerendus, GVIL. CHR. IVSTVS CHRYSANDER, iam inter decora Academiae Rinteliensis merito numerandus. Indicantur tabulis quibusdam nomina Professorum, patria, munera, tempus, quod Helmstadii transegerunt, discessus, vel mors, vniuscuiusque. *Eodem anno in 4.* aliquot foliis accesserunt eiusdem *Lumina Academiae Iuliae, in synopsi, vna cum Indice alphabetico.* Copiosius deinde hoc pertractare argumentum coepit in Parte prima Voluminis I. sic inscripta: *Diptycha Professorum Theologiae, qui in Acad. Iulia, inde a natalibus eius vsque ad hoc tempus, docuerunt, variis inter-*

interſperſis monitis et obſeruationibus illuſtrata, *Guelpherbyti a. 1748. in 4.* Caetera interrupta fuere, quoniam haec Diptycha iuſſu publico mox ſupprimebantur ob dicta quaedam in Vita IOH. FABRICII, qui non plane improbauerat olim ſacrorum noſtrorum cum Pontificiis mutationem. Cf. SCHMERSAHLII *Geſchichte ietztlebender Gottesgelehrten*, *Parte VI. p.* 705. et 717. *ſq. die fortgeſetzte Sammlung von alten und neuen theolog. Sachen*, *anni 1748. Parte*, ſeu Symbola, VI. vbi Supplementa quaedam Diptychorum occurrunt, itemque *die Berlin. Biblioth. Vol. II. Parte 2. p. 216. ſeq.* quo et loco diſcimus, IOH. NIC. FROBESIVM integra olim Academiae Iuliae Hiſtoria litteraria occupatum fuiſſe. Idem FROBESIVS *Mathematicorum* quorundam *Helmſtadienſium Memorias* binis Opuſculis Academicis *Helmſtad. a.* 1746. et 1747. *in 4.* annoque poſt ſingulari *Oratione*, *ead. forma* edita, celebrauit non modo, ſed de pleniore etiam *Helmſtadienſium Mathematicorum* Hiſtoria cogitauit, quibus tamen conſiliis obſtitit mors, haud ita pridem Virum doctum reuocans de his aliisque laboribus.

§. XIV.

Viri, quos dedit *Hirſchberga* Sileſiorum, ſcriptis ac eruditione fulgentes, breuiter delineantur in Centuria I. *Ceruimontii litterati*, *Vratislav. a.* 1726. *in 8.* a IOH. CASP. EBERTO exhibiti. De quo labore REIMMANN. *Catal. Bibl. T. II. p.* 563. ait, Auctoris induſtriam excellere maxime in ſchedis nondum editis excutiendis, Scriptoribus homonymis diſcernendis, nominibus obſcuris illuſtrandis, et Epigrammatibus condendis. *Holſatiae* doctos homines in illuſtri velut theatro conſpiciendos praebuit IOH. MOLLERVS. Iam *Sleſuigae anno* 1687. *in 4.* ad Marqu. Gudium ſcripſerat *Cimbriae litteratae Pro-*

Prodromum, siue de suis in Historia patriae litteraria conatibus, quo in libello quasi in transcursu indicat, de quibus acturus Scriptoribus sit, quamque sequi constituerit methodum. Quadriennio post, *anno* scilicet *1691*, *Hamb. in 8.* addidit *Isagogen ad Historiam Chersonesi Cimbricae quadripartitam; siue* Ἀποσπασμάτιον *Cimbriae litteratae*, maiusque huius argumenti Opus promisit. In quo rite adornando quum per quadraginta annorum spatium fuisset occupatus, mors interuenit; ideoque filio Auctoris, OLAO HENRICO, editio eiusdem relicta est. Factum id, beneficio illustrissimi Maecenatis, IOH. LVDOV. AB HOLSTEIN, *Hafniae a. 1744. Tomis III. in f.* Praefatione egregia IOH. GRAMMII exornatis, ex qua plura peti possunt, ad ipsius Operis adcuratiorem cognitionem necessaria. Inscriptio haec est: IOH. MOLLERI *Cimbria litterata, siue Scriptorum Ducatus vtriusque Slesuicensis et Holsatici, quibus et alii vicini quidam accensentur, Historia litteraria tripartita.* Complectitur autem *Tomus I.* Scriptores vniuersos indigenas, hisque immistos plures, quorum explorari patria nondum potuit; *Tom. II.* adoptiuos, siue exteros, qui in his Ducatibus vel publicis functi muneribus, vel diutius commorati fuerunt; *Tomus* denique *III.* quadraginta et sex insignium Scriptorum partim indigenarum, partim adoptiuorum, historiam multo longiorem, quae ob ingentem dicendorum copiam Tomis prioribus inseri non potuit. Memorantur autem in omnium paullo celebriorum Elogiis, ordine dispositis alphabetico, aetas, patria, officiorum aut vitae genera, annique et dies, quoties eos inuestigare contigit, emortuales: scripta istorum et excusa, et nondum edita, item adfecta, vel promissa: aliorum eruditorum iudicia de Auctoribus singulis, eorumque monumentis litterariis: Controuersiarum,

qui-

quibus impliciti fuerint, historia, et plura dignissima notatu. Accedit Index necessarius. Stilus quidem Molleri non satis habet elegantiae, quod vero vitium in Historico minimum est. Inter Scriptores etiam occurrunt multi, quorum sunt leuia in eruditionem merita. Nec negari potest, Theologos nonnullos, purioris doctrinae scriptis, praesertim polemicis, conspicuos, iusto durius quandoque tractari, rigidisque obteri iudiciis. Sed ad haec dextre respondit IOH. HENR. VON SEELEN V. C. in *Eclogario*, *Lubecae a.* 1745. *in 8.* excuso, *p. 82. sq.* vbi *Epistola* ad Amicum *de* IOH. MOLLERI *Cimbria litterata* legitur. Praeter haec varii in Opus hoc errores irrepserunt, quorum aliquos iam indicauit correxitque in laudata *Praefatione p. 26. sq.* IOH. GRAMMIVS. At sunt talia et similia facile condonanda Viro, tanta rerum obruto multitudine, vt mirari potius debeamus, eum non esse saepius hallucinatum. Quae interim praetermisit Auctor, ea forte lucem adhuc videbunt studio filii, OLAI HENRICI, Editoris supra memorati; multa enim Supplementa Operi paterno adscripsisse eundem, significatur in KOHLII *Hamburg. Berichten von neuen gelehrten Sachen, a.* 1752. *p.* 544. Cf. caeterum *Acta Erud. Lat. a.* 1745. *m. Iun. p. 289. sq.* vbi satis honorifice de Cimbria litterata differitur. Eorum, qui *Ienam*, notissimam illam sedem Musarum, illustrarunt, primus Indicem dedit ADR. BEIERVS in *Syllabo Rectorum et Professorum Ienae in Studio generali; Iudicum in Iudicio prouinciali; Ordinariorum in Facultate iuridica; Pastorum et Diaconorum in Templo,* primum *Ienae a.* 1631. tertium *a.* 1659. *in 12.* typis impresso. Idem fecit SAM. GVALTERVS in *Historia breui et Catalogo omnium a fundatione Professorum Academiae Ienensis, ibidem a.* 1639. *in 4.* Posterioris tamen labor vulgaris et leuis dicitur. Maiora

iora deinde ausus est Beierus, quae manuscripta reliquit, quaeque adseruata sunt olim in scriniis filii, ADRIANI, Antecessoris Salani, nunc vero in bibliotheca academiae publica exstant. Inter haec septem praecipue Volumina *Athenarum Salanarum* sunt, in quibus statum ecclesiasticum, ciuilem et litterarium Ienensem delineauit. Ex hisce quartum Volumen *Antistitum Sacerdotum*que Vitas comprehendit, sextum Volumen *Rectores* et *Professores*, septimum *Doctores*, ibidem creatos, horumque Vitas, exhibet. Aliud Volumen *Millenarium hominum in choro, Lyceo, foro, thoro*, caet. continet, in quo descripsit Vir industrius Vitas Ienae natorum, educatorum, politorum bonis litteris, sepultorum, reliqua. Sed vtut exstent adhuc isthaec scripta, vix futurum tamen est, vt nunc, mutata tantopere eruditionis facie, a quopiam in lucem protrahantur. Beieriano stimulatus exemplo, data opera, ad Vitas Professorum Ienensium conuertit animum IOH. CASP. ZEVMERVS, primumque Theologos *a.* 1704. deinde Iureconsultos *a.* 1705. *ibidem in 8.* diuulgauit. Reliquorum etiam Vitas iam typographo tradiderat, quum mors eundem opprimeret. Coniunctim itaque *ibid. a.* 1711. *in 8.* cum Praefatione sua laborem hoc titulo edidit CHRISTOPH. WEISSENBORNIVS: IOH. CASP. ZEVMERI *Vitae Professorum Theologiae, Iurisprudentiae, Medicinae et Philosophiae, qui in illustri Acad. Ienensi, ab ipsius fundatione, ad nostra vsque tempora vixerunt, et adhuc viuunt, vna cum scriptis a quolibet editis.* Fuse satis hoc argumentum pertractauit Auctor, vbi Beieriano vti Syllabo potuit. In recentioribus contra varia suppleri emendarique debent. Scripta quoque non sunt adcurate vbique memorata. Nec, nisi raro, expressa animi indoles, qua notabiles eruditorum singuli fuere. Stilus tandem non semper aequabilis. Cf. *die Ienaischen*

naifchen monathlichen Nachrichten a. 1727. *m. Sept. atque Octobr. p. 443. sq.* et REIMMANNI *Catal. Bibl. T. II. p. 662.* At excufat Zeumerum Editor in *Praefat.* his verbis: *Prolixiorem quidem in multis fe fuiffe futurum, Nofter ipfe, quum adhuc in viuis effet, fatebatur, nifi ardens bibliopolae defiderium reiicere quaedam et amputare iuffiffet. Stilum non vbique aequabilem in praemiffa priori primae vitarum claffis editioni praefatione ipfe excufauit eo, quod varios fecutus auctores eorum verba et phrafes faepius ftudio retinuit, ne aliquid de illis immutaturus iuuenili quodam tantae famae viros reprehendendi pruritu laborare videretur.* Adiecit BARTHOL. CHRISTIAN. RICHARDVS *ibid. a.* 1710. *in 8.* Commentationem *de Vita et fcriptis Profefforum, tunc temporis in Academia Ienenfi publice docentium.* Scribendi genus longe eft Zeumeriano elegantius; at omnes Vitae ab eo expofitae iam locum obtinent in ZEVMERI libro, adeoque pauca erunt a Richardo prolata, quae Zeumerus non dixerit prius. Catalogus fcriptorum haud eft vbique ita confectus, vt omnino fieri debebat. Vid. et hic *die Ienaifchen monathlichen Nachrichten l. c. p. 439.* Denique IOH. ANT. STRVBBERGIVM *Diario* fuo *Salano a.* 1720. et 1721. *in 8.* typis impreffo, *Catalogum et Biographiam omnium Theologiae Profefforum omnium*que *Iurispr. Profefforum*, inde ab ortu Academiae, *p. 193 - 238.* ac *p. 364 - 411.* inferuiffe, teftatur HEVMANNVS *Biblioth. Academ. p. 94.* Ipfum enim hocce Diarium non eft ad manus, vt quid praeftiterit Auctor ea in re, perquirere diligentius et inueftigare queam.

Ingolftadienfium Theologorum Vitae non ineleganter a VALENT. ROTMARO et IOH. ENGERDO compofitae, magno numero occurrunt in *Almae Ingolftadienfis Academiae Tomo I. Ingolft. a.* 1581. *in 4.*

cuius libri est insignis hodie raritas. Vid. in eodem *Pars VII. p. 95. sq.* Alter Tomus, Ictorum, Medicorum ac Philosophorum Vitis ab Engerdo, post Rotmari obitum, destinatus, lucem non adspexit. Acerbissima quaedam de Luthero, et eius adseclis, in Tomo primo obuia detestabilem indicant mentis feruorem. Recensio libri, qui ne in Bibliotheca quidem Ingolstadiensium Academica reperitur, legenda in *den Arbeiten der Gelehrten im Reich, P. VI. p. 501. sq.* Auctor est huius notitiae FRANC. IOSEPH. GRIENWALDTIVS, Medicus Monachiensis, teste HEVMANNO *l. c. p. 98.* Hac aetate de Vitis Ingolstadiensium, imo et aliorum Bauariae eruditorum, copiose actum est in *Parnasso Boico, oder dem neu eröfneten Musenberge* caet. de quo Opere, *Monachii a.* 1722. *sq. in 8.* euulgato, repete, si lubet, quae *Capitis VII. Sect. 2. §. 7.* notaui. *Leorinum eruditum*, in quo Viri, quos protulit Leoberga Silesiorum, scriptis et doctrina celebres, Centuria quadam comprehenduntur, ac breuiter delineantur, *Vratislav. anno* 1714. *in 4.* editum habemus a IOH. CASP. EBERTO. Sed, quod est commune fere libris eiusmodi vitium, complures hic anseres argutos strepunt inter olores. Ne quid de testibus dicam, ad quos prouocat quandoque, parum certos et locupletes. Doctorum Virorum, quos *Lipsia* filios nacta vel alumnos est, quo speciosiorem nouimus numerum, eo magis mirandum certe, quod nemo adhuc Vitas eorum digne descripserit. Varios breuissimis exornauit saltim elogiis IOH. BVRCH. MENCKENIVS in Orat. polita *de Viris eruditis, qui Lipsiam scriptis atque doctrina illustrem reddiderunt, Lips. a. 1710. in 4.* primum, iterumque in *Orationibus* eiusdem *Academicis p. 120. sq.* publicata. Paullo vberius de Vitis diuersorum dictum est in Anonymi *kurzen Nachricht von der Stadt*

Leipzig,

Leipzig, und absonderlich von der Universität daselbst, cap. V. et *VI. p. 102. sq.* Prodiit hic libellus *ibidem a. 1709. in 8.* Verum enim vero nec ea sufficere, vnusquisque haud difficulter obseruabit. Ipse ego igitur meditatus olim fui maiora in *Historia Academiae Lipsiensis litteraria*, cuius laboris summa capita indicant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1739. *p. 288.* Hic enim de Vitis omnium Professorum, reque deinceps adcuratius perspecta, aliorum etiam Lipsiensium, doctrina et scriptis celebrium, agere, inter alia, constitueram. Iamque manum admoueram Operi, et complura collegeram subsidia, de iis etiam certior factus, quae in Tabulario Academico meo inseruire instituto poterant. Nunc autem, Deo ita volente, per quatuor prope lustra distractus a Musis Lipsiensibus, quarum iucundissima mihi semper erit recordatio, alterius industriae relinquere cogor et a me, et ab AVG. QVIRINO RIVINO antea, vti docent *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1720. *p. 39.* initum consilium; quod vt mox a Viro quodam expleatur harum rerum perito, nouumque sic decus Vrbi pulcherrimae, tabescentibus inuidia hostibus, adiiciatur, non vna ego de caussa in votis habeo. De *Lubecensibus* eruditis consulendus IAC. A MELLE in *Notitia maiorum, plurimas Lubecensium, aliorumque clarorum Virorum, de ecclesia, Republica et litteris egregie meritorum, Vitas, ab aliquot saeculis repetitas; et documentis authenticis illustratas, comprehendente, Lips. a.* 1707. *in* 4. Cf. de hoc 19. plagularum Opusculo *Noua litter. Germaniae a.* 1707. *p. 56. sq.* item *Acta Erud. Lat. a. eiusd. p. 218.* vbi dicitur, quicquid ex dispersis hinc inde monumentis ad familiae suae memoriam conseruandam indagare potuerit Auctor, id collegisse eundem in hoc Schediasmate industria haud mediocri, Vitasque aliquorum doctrina celebrium, scripta, fata, et

quodcunque ad eos ſpectare viſum eſt, laudabiliter propoſuiſſe. Poſtea Vir praeſtantiſſimus, IOH. HENR. VON SEELEN, praecipuum hodie Lubecenſium decus, parauit *Athenas Lubecenſes*, in quibus, praeter glorioſas memorias Conſulum et Senatorum, caet. multae clariſſimorum Theologorum, Ictorum, Medicorum, Philologorum et Philoſophorum Vitae, partim renouatae, partim nunc primum litteris conſignatae, adiecta ſcriptorum editorum et non editorum notitia, exhibentur. Partes proſtant Operis docti *IV. in 8. Lubecae a.* 1719. vsque *ad a.* 1722. excuſae. Quarta Pars Hiſtoriam Athenaei Lubecenſis, cum variis Epiſtolis et aliis documentis rarioribus, complectitur. Diligenter, quae coeperat, exſequutus eſt Auctor, non pauca tamen deinceps obſeruauit, quae Supplementa ſuppeditare in poſterum queant. Ita enim ille in *Progr.* memoriae HENR. SCHARBAV *a.* 1759. *in fol.* dicato: *Pleniorem et adcuratiorem ſcriptorum Scharbauii, et aliorum momentorum ad eum ſpectantium, indicem promitto aut in Supplementis Athenarum Lubecenſium, quas valde augeri poſſe, non diffiteor, ſi Deo ſanctiſſimo benigniſſimo vitam prorogare placuerit; aut ab illo, qui a me collectis et colligendis vti, atque laborem meum continuare voluerit.* In CASP. HENR. STARCKII *Lübeckiſchen Kirchenhiſtorie, Hamburgi* 1724. *in 4.* praeter multa alia, quae ad litterarium vrbis huius ſtatum cognoſcendum faciunt, ſtudioſius elaboratae Vitae Antiſtitum ſacrorum Lubecenſium, vna cum Iconibus, et ſcriptorum ab iis relictorum Indice, reperiuntur. Cf. *die Deutſchen Acta Erudit. Vol. IX. P.* 102. *p.* 407. *ſq.* vbi plura de hoc Opere quae notari merentur, diſces. *Luſatiae* eruditos quosdam deſcripſit IOH. CHRIST. SÜHNELIVS in *Decemuiralibus Luſaticis, oder Lebensbeſchreibungen X. Adlicher und gelehrter Männer im Marggrafthum*

Ober-

Ober-Lausitz, welche im Iahr 1728. *das Zeitliche geseg-net haben. Budissae a.* 1730. *in* 8. Sed non vidi libellum. De Zittauiensibus speciatim agitur in IOH. BENED. CARPZOVII *historischem Schauplatz der Stadt Zittau, Parte III. cap. 7. p. 118. sq.* Lusatiae inferioris homines clari repraesentantur a PETRO IAENICHIO in *Conspectu Lusatiae litteratae*, Dissertat. quatuor, *Vitemb. a.* 1703. *et* 1705. editis. Recusae nunc exstant in CHR. GOD. HOFFMANNI *Scriptor. rerum Lusatic. Tomo II. p. 326. sq.* Auctorem nouam parare voluisse editionem, eamque longe locupletiorem, indicant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1717. *p. 829.* At nescio, quae caussae obstiterint conatui. Interim non vulgariter Lusatorum suorum Vitas exposuit, inter quos eminent Basil. Faber, Mich. Neander, Ioh. Rhagius, aliique nonnulli. Adpendicis quoque loco *Litterati Sorauienses* adiecti sunt IOH. SAM. MAGNI *Beschreib. der Stadt Sorau, Lipf. a.* 1710. *in 4.* de qua tamen sylloge quid sentiendum sit, candide profitentur Auctores *der Neuen Häll. Bibl. Tomo I. p. 217.* En! ipsa eorundem verba: *Nach dem Chronico folgen die Litterati Sorauienses, nach dem Unterschied der Facultäten in Alphabetischer Ordnung. Es sind aber fast lauter Dii minorum gentium, welche sich in der Welt keinen sonderlichen Rang unter den Gelehrten gemachet; wo aber noch so ein mittelmässiger vorkommt, ist die Beschreibung so mager, daß man Barmherzigkeit damit haben muß.* An meliora praestiterit Anonymus in *den gründlichen Nachrichten von alten gelehrten Sorauern nach allen Facultäten,* qui libellus *Sorau* 1738. *in 4.* prodiit, viderint ii, quibus ad manus est; nunquam enim oculis meis occurrit.

§. XV.

Marchiae Brandenburgicae litteratos posteritatis memoriae commendauit MARTIN. FRID. SEIDELIVS in *Iconibus et Elogiis Virorum aliquot praestantium, qui multum studiis suis consiliisque Marchiam olim iuuerunt et illustrarunt. Berol.* 1671. *in f.* At praetermisit tunc temporis Elogia, scribens in Praefatione: *Vitas et Elogia istorum Virorum feminarumque communicare tecum huc vsque non visum est; elaborata tamen et collecta pro virium nostrarum et ingenii modulo proximo vsui reseruo.* Centum igitur Icones hominum illustrium, plerumque cum insignibus eorum, annisque notatis, quibus et nati sunt, et desierunt inter viuos esse, exhibuit saltim Seidelius. Parum autem, vel nihil potius, elegantiae habent plurimae Icones, quo de naeuo conqueritur APINVS in *der Anleit. wie man die Bildnisse gelehrter Männer mit Nutzen sammlen soll, Norimberg.* 1728. *in 8. p.* 150. Neque tamen fictae putandae imagines. Scribit enim in dicta Praefatione Auctor: *Incorrupta fide e numis, epitaphiis, saxis, gemmis ac picturis antiquis et nouis singulas me desumsisse, et tuo vsui accommodasse persuasissimum tibi habeto.* Rarus interea fuit liber, ipsius quippe Auctoris editus impensa. Mouit hoc Virum clarissimum GE. GODOFR. KÜSTERVM, vt frequentiorem redderet non solum hancce Collectionem, sed nouo etiam cultu ornatuque illustraret. Addidit nimirum Vitas, sermone Germanico, Catalogumque scriptorum, et vtrumque peregit tam concinne profecto et adcurate, vt semper est eidem in more positum, si quid suis elabi scriniis patiatur. Titulus Operis, *Berolini a.* 1751. *in fol.* excusi, sequens est: MART. FRID. SEIDELS *Bilder-Sammlung, in welcher hundert gröstentheils in der Marck Brandenburg gebohrne, allerseits aber um dieselbe wohlverdiente Männer vorgestellet werden,*

werden, mit beygefügter Erläuterung, in welcher derselben merkwürdigste Lebens-Umstände und Schriften erzehlet werden, von GE. GOTTFR. KÜSTER. De Seidelii *Historia librorum, et Vitis doctorum*, grandi Opere manuscripto, sex Volumina *in fol.* continente, quod fuit nuper in IOH. PETR. A LVDEWIG Bibliotheca, V. BAVMGARTEN *Nachricht von einer Hällischen Biblioth. Vol. V. p. 522. sq.* Habemus etiam GE. PETR. SCHVLTZII *de claris Marchicis Dissertationes epistolicas quinque*, quarum prior *Frf. ad V. a.* 1706. postrema *ibid. a.* 1709. *in 4.* typis impressa. Omnes non nisi rarissime conspiciuntur, dignaeque essent omnino, quae recuderentur. Binas deinde Centurias *clarorum Marchicorum* prelo paratas possedit Auctor. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1724. *p. 839.* et KÜSTERI *Marchiae litter. Specimen VI. §. IX.* vbi haec sub finem: *Id adiungo, celeberrimum* Schultzium, *quae de claris Marchicis collegit, mihi transmisisse, ea lege, vt publici iuris facerem. Stabo igitur, si Deus dederit, promissis, datam* Schultzio *fidem liberaturus, quamprimum opportuna offerretur occasio.* Quod vt fiat tandem aliquando, mecum non pauci optabunt. Interim quasdam harum Vitarum, quae vel nouae sunt, vel fusius exaratae, de Latino in Germanicum conuersas, notisque amplificatas luculentis, *Collectioni Opuscul. Histor. Marchicam illustrantium*, cuius *Vol. II. in 8.* prostant, iam inseruit laudatus KÜSTERVS. Idem *Marchiae litteratae Specim. cit. §. VIII.* eos nominat omnes, qui descripti in Dissertationibus quinque Schultzianis fuere. Pertinent huc porro KÜSTERI *Memorabilia Coloniensia, Speciminibus XIX. absoluta, Lipsiae* 1731. *in 4.* His quippe de Historia litteraria biographica praeclare promeritum esse Auctorem, recte adseritur in *Supplem. Nouor. Actor. Erud. Tomo III. p. 144.* Eidem debetur, vt paullo ante dixi, *Marchia litte-*

 rata,

rata, Schultzii exemplo, variis Speciminibus exhibita, in quibus ſpicilegium poſt meſſem inſtituit. Primum *Berol. a.* 1740. octauum ac decimum *ann.* 1756. *in 4.* lucem adſpexit, nec dubitandum forte, quin plura ſequantur, tandemque vno coniuncta faſciculo facilius, quam adhuc, comparari queant. Agitur autem in his de variis Marchiae doctis hominibus, nec obuia vbiuis adferuntur. Praecipue digna ſunt lectu, quae de Stoſchio, eiusque damnato libro, *Concordia rationis et fidei* inſcripto, Ioach. Hoppio, Burggrauio Regio Gedanenſi, Ge. Petro Schultzio, caet. memorata fuerunt. *Marburgenſes* carminibus elegiacis breuiter, pro inſtituti ratione, delineauit PETR. NIGIDIVS in *Elencho Profeſſorum Academiae Marburgenſis*, *Marb. a.* 1591. *in 8.* Maiori deinceps adparatu IOH. TILEMANNVS, dictus SCHENCK, *Vitas Profeſſorum Theologiae*, *qui in Acad. Marburgenſi ad noſtra vsque tempora docuerunt*, *ibid. a.* 1727. *in 4.* expoſuit. Quem librum laudant merito *Acta Erud. Lat. a.* 1730. *p.* 17. his praecipue verbis: *Auctor*, *quicquid de Academiae Marburgenſis doctoribus inuenire in aliorum libris potuit*, *curate hic congeſſit*, *adiecto e* Petri Nigidii *Elencho Profeſſorum Marburgenſium elogio cuiusque metrico*, *et e* Guil. Dilichii *inedito de vrbe et Academia Marburgenſi Opere vita cuiusque breuiter deſcripta*, *annexo catalogo librorum et diſputationum*, *ab vnoquoque editarum - - - Optamus*, additur in fine, *vt breui etiam videamus promiſſas in Praef. Vitas Ictorum*, *Medicorum et Philoſophorum eiusdem Academiae.* Id vero ad hunc vsque diem non factum; quaeque meditatus eſt olim IOH GE. ESTOR, Vir illuſtris, nunc grauioribus implicitus negotiis vix proſequetur. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1726. *p.* 554. vbi tamen, quae de iam editis Vitis non-

nonnullis adduntur, Tilemanno potius videntur tribuenda, quam ESTORI laudato, vt credidit HEVMANN. *Bibl. Academ. p. 118.* Nuſquam certe tales in ſcriptorum Eſtorianorum Catalogo inueni. De *Megapolitanis* eruditis generatim conſuli poteſt *das Mecklenburgiſche Gelehrten-Lexicon, oder kurtze Lebens-Geſchichte derer in Mecklenburg in allerley geiſt- und weltlichen Bedienungen geſtandenen Gelehrten, IV. Centurien, als der Miſcellaneorum Mecklenburgicorum I. - IX. Stück. Roſtoch. a. 1729-1734. in 8.* Ita memoratur liber, mihi non cognitus, in *Catal. Bibl. Bunav. Tom. I. Vol. I. p. 575.* ſimulque docetur, Partem tertiam, quartam, quintam, ſeptimam nonamque de ſcriptis agere eruditorum Megapolenſium. HEVMANNO teſte *l. c. p. 183.* Auctor huius Opuſculi eſt ERN. IOH. FRID. MANTZELIVS, clariſſimus Acad. Roſtoch. Ictus. Hiſtoriam *Mulhuſae* litterariam Diſſert. quadam, Reſpondente Ioh. Ge. Fritſchlero, *Vitemb. a.* 1709. propoſuit GE. GVIL. VOLLANDVS. Vidi hanc ſolo etiam Reſpondentis nomine adductam eſſe a quibusdam, quod errorem forte peperit, vt vno ex ſcripto bina fingerentur. De *Nordhuſanis* Viris doctis euoluenda IOH. HENR. KINDERVATERI *Nordhuſa illuſtris, oder hiſtoriſche Beſchreibung gelehrter Leute, welche in der Kayſerl. freyen Reichsſtadt Nordhauſen gebohren, und theils daſelbſt, theils an andern Orten, im Regiment, in der Kirche, auch hohen und niedern Schulen, Gott gedienet haben*, caet. *Guelpherb. a.* 1715. *in 8.* Auctor alphabetico ordine Vitas quinque et ſexaginta ſupra centum eorum recenſet Virorum, quorum patria Nordhuſa fuit, illa Thuringiae Ciuitas Imperialis. Eminent inter hos Iuſtus Ionas, Ioh. Gigas, Petr. Müllerus, notiſſimus Ictus Ienenſis, Sigfr. Saccus, Gottl. Gerh. Titius, et pauci alii.

Cae-

Caeterorum plerique parum celebritatis consequuti sunt in orbe litterario, digni tamen visi, quorum, ob merita in rem sacram et ciuilem, ad posteros memoria propagaretur. Insertae sunt etiam variorum Epistolae, partim nondum editae. Vtilior foret Auctoris labor, si scripta, a quolibet relicta, memorasset adcurate, quod certe parcius factum. Cf. *die Neue Häll. Bibl. Parte XLI. p. 54. sq.* quo loco simul nominantur omnes, quorum de fatis disseruit Kinderuaterus. *Norimbergensium* Vitas et in litteras merita plures descripserunt. Referendus huc DAN. GVIL. MOLLERVS, a quo tres habemus Dissertationes, *Altorf. a.* 1706. *et* 1707. excusas, in quibus Vita Andr. Arnoldi, Ge. Phil. Harsdoerferi, et Leon. Wurfbainii exponitur. Plures non successerunt. Prioris Diss. titulus satis est ridiculus, vti tunc erat more receptum. Ita enim se habet: *Lamprandrologia Norimbergensis, sub Daduchia* Molleriana *in fano Phoebeo Palaeocometico arae Musarum cyclicae illata a Ge. Iac. Schwindelio.* MAGNVS etiam DAN. OMEISIVS *de claris quibusdam in orbe litterato Norimbergensibus* Schediasma, ordine alphabetico conscriptum, *ibid. a.* 1708. *in 4.* coepit edere, disputationibus circularibus continuandum. Sed res exitu caruit. Interim Opusculum diuulgatum, accessionibus bene multis auctum, recudendum curasset ERH. REVSCHIVS, nisi primum alia negotia, deinde mors, interrupisset conatum. Breuiter, at ea, qua semper solebat, elegantia CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVS *Altorf. ab a.* 1714. vsque ad *a.* 1737. singularibus Programmatibus *in 4.* protulit *Norimbergenses* de Academiis Lipsiensi, Vitembergensi, Ienensi, Argentoratensi, Ingolstadiensi, Regiomontana et Helmstadiensi aliisque bene meritos, quibus addidit Norimbergenses quosdam, Megun-

Moguntiae olim celebres; de re ſacra bene meritos; de Auguſtana Confeſſione, et de ſacris emendatis bene meritos. XVII. noui horum Programmatum generatim, quae quum rarius obueniant integra, in vnum redacta faſciculum denuo repeti typis merentur. Cf. KOELERI *Faſti Vniuerſ. Altorfinae a.* 1720. *p. 66. ſq.* et *Catal. Bibl. Rinckianae p. 983.* GE. IAC. SCHWINDELIVM parare voluiſſe olim *Norimbergam nobilem et litteratam*, intelligimus ex eius *Theſauro Bibliothecali Vol. III. p. 175.* quem vero laborem vix crediderim abſolutum, mortuo ante aliquot annos Viro doctiſſimo. Nunc omnium ſuperauit induſtriam V. C. GE. ANDR. WILLIVS, Profeſſor Altorfinus, quippe qui *Lexicon eruditorum Norimbergenſium*, qui vel nati intra Reipublicae ampliſſimae fines, vel meritorum cumulati laude fuerunt, lingua Germanica, exhibere ſtuduit *Norimb.* et *Altorfii a.* 1755. *in 4.* quo Pars I. prodiit. Succeſſit Pars IV. eademque vltima, cum Supplementis, *ibid. a.* 1758. Cedro eſt Opus digniſſimum, de quo plura honorifice dicuntur in *den Göttingiſ. gel. Anzeig. a.* 1755. *Parte 127. p. 1180.* Commode iungi cum hoc poteſt, quod itidem laudato debemus WILLIO, *Commercium epiſtolicum Norimbergenſe*, in *Capite ſequenti* fuſius memorandum. Mathematicorum ſpeciatim et Artificum Norimbergenſium conſeruare memoriam placuit IOH. GABR. DOPPELMAYERO in *der hiſtoriſchen Nachricht von den Nürnbergiſchen Mathematicis und Künſtlern, welche faſt von dreyen Seculis her, durch ihre Schriften und Kunſtbemühungen, die Mathematic und mehreſte Künſte in Nürnberg vor andern befördert, und ſich um ſolche ſehr wohl verdient gemacht*, caet. Partes ſunt II. *in fol. Norimbergae a.* 1730. excuſae, variisque ornatae tabulis aeneis. In Vitarum deſcriptione duos maxime ſcopulos vitauit, tum ne ſicca et ieiuna eſſet,

tum

tum ne ſeries dicendorum, excitatis Auctorum verbis, veluti emblematis diſtincta, ſaepius interrumperetur. Quo autem omnium expleret cupiditatem, ſatis amplas copioſasque, et eas quidem eruditiſſimas, adnotationes extremae paginarum parti adiecit, quibus Hiſtoriae Mathematicorum litterariae conſcribendae facem praefert, ac praeterea multarum rerum inuentionem ciuibus ſuis vindicat. In Vitarum tamen recenſione ea tantum laudauit merita, quae ex Mathematum cultura quisque ſibi comparauerat: reliqua, tamquam aliena ab inſtituto, conſulto praeteriit, indicans modo Lectori, vnde et iſta poſſint cognoſci. Vitas non nullorum, iam ante ipſum ab aliis expoſitas, v. g. *Regiomontani*, *Pirckheimeri*, *Camerarii*, luculentis acceſſionibus auxit, ſcriptorumque catalogos confecit diligentiſſime. Ita iudicant Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1730. *p. 512. ſq.* et plura ex Opere hoc notatu digna proferunt. Norimbergenſibus adiungi hic abs me licebit *Altorfinos*, ſuo ſupra loco praetermiſſos. Prima eſt mentio iniicienda MAGNI DAN. OMEISII, qui *Altorf. a.* 1683. *in 4.* euulgauit *Gloriam Academiae Altorfinae, ſiue Orationum faſciculum, Vniuerſitatis Noricae ortum, progreſſum et cuncta memorabilia, omniumque Profeſſorum Vitas, mortes et ſcripta fideliter exhibentem.* Quatuor in eo Opuſculo Orationes, a iuuenibus ſtudioſis recitatae, ab Omeiſio autem plurima ex parte compoſitae, de Profeſſoribus Theologiae, Iuriſprudentiae, Medicinae et Philoſophiae agunt. Accedit alia, de *Vita et obitu* IOH. PAVLI FELWINGERI, itidem Philoſophi Altorfini. Poſt eam *p. 132. ſq.* Additamenta Omeiſii varia occurrunt, quibus Orationes antecedentes vtiliter illuſtrantur. Nec deeſt perſonarum, rerumque praecipuarum Index. Quum autem nondum ſufficeret labor ille, quamquam

laude

laude non indignus; hoc saeculo alii Viri clarissimi Vitas Professorum Altorfinorum separatis Voluminibus copiosius adcuratiusque descripserunt. Initium instituti factum a SIGISM. IAC. APINO, qui *Vitas et effigies Procancellariorum Acad. Altorfinae Norimbergae* et *Altorf. a.* 1721. *in* 4. praemisit. Tum sequutae sunt GVST. GE. ZELTNERI *Vitae Theologorum Altorfinorum, a condita Academia omnium, vna cum scriptorum recensu*, et imaginibus horum Virorum aeri incisis, *ibid. a.* 1722. *in* 4. Denuo eas bibliopola *a.* 1742. produxit, at nouo saltim titulo fraudulenter praefixo, qui sequens est: *Vitae celebriorum quorundam in Germania Theologorum, vna cum scriptorum ab iis editorum recensione, ad Historiae ecclesiasticae et litterariae vsum plenius et adcuratius descriptae.* Addidit IOH. IAC. BAIERVS *Biographias Professorum Medicinae, qui in Academ. Altorfina vnquam vixerunt, singulorum aere expressis Iconibus* ornatas, *ibid.* 1728. *in* 4. Denique accepimus *eodem anno, eademque forma* laudati APINI *Vitas Professorum Philosophiae, qui a condita Academia Altorfina ad hunc vsque diem, claruerunt.* Adiectae sunt singulorum etiam effigies. De Zeltneriano libro vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1722. *p.* 455. *sq.* de Baieriano autem et Apiniano *die Fränckischen Acta Erudita et Curiosa, Vol. II. p.* 123. et 233. *sq.* quo posteriori loco variae Obseruationes interseratae leguntur. Restant igitur Vitae tantum Ictorum Altorfinorum, quod in se negotium susceperat CHRISTIAN. GOTTL. SCHWARTZIVS, vti docent *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1722. *p.* 309. iamque hoc Opus editum ait GOTTL. STOLLIVS in *der Hist. der iurist. Gelahrh. p.* 33. Sed verissimum est, id ad hunc vsque diem non prodiisse. Alium igitur Professores Iuris merentur Scriptorem, qui, post obitum Schwar-

Schwartzii, collecta forsitan ab eo in ordinem redigat, quaeque desunt, suppleat; cui labori par hodie, prae caeteris, esset IOH. HEVMANNVS, Academiae Noricae decus. Icones omnium horum eruditorum Altorfinorum separatim vno Volumine FRID. ROTHSCHOLTZIVS *Norimb.* et *Altorfii ann.* 1721. *sq. in f.* exhibuit, ipsorumque breuia repetiit Elogia, annos et dies, quibus nati mortuique sunt, item dignitates, indicantia. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1723. *p.* 363. *sq.* et NETTELBLADT *in den Hällischen Beyträgen zu der iuristisch. gelehrt. Historie, Vol. II. p.* 376.

§. XVI.

Viros doctos, quos vel protulit *Numburgum*, vrbs ad Salam Episcopalis, vel fouit aluitque, secundum temporum seriem breuiter recensuit IOH. MART. SCHAMELIVS Partibus II. titulo *Numburgi litterati* insignitis, quarum prior *a.* 1727. altera, continuationem huius et supplementa comprehendens, *a.* 1736. *Lipsiae in* 4. edita. Adiectae sunt vtrique Parti variae eruditorum Epistolae, antea nondum in lucem productae. Atque his quidem suum denegari pretium nequit. Ad Vitas autem quod attinet, recte iudicauit REIMMANNVS in *Catal. Bibl. Tomo II. p.* 389. Etenim *non defuit*, ait, *materiae Auctor*, *qui multum, et fere nimium, diligentiae in ea expolienda consumsit; sed defuit Auctori materies. - - Sane in hac rerum litterariarum, Numburgi gestarum, serie multae sunt minutiae. Et in doctorum Catalogo plures thyrsigeri quam Bacchi. Dele enim quinque vel sex nomina*, et *habebis elenchum Virorum non admodum celebrium in re publica litteraria. Quo ipso tamen laudibus Auctoris nihil decerpitur.* Dedit, quae poterat, Theologus, de hac ciuitate et Historia

ſtoria patria praeclare meritus. *Pomeraniae* homines eruditos plures deſcribere tentarunt. Primus *Pomeraniam litteratam* promiſit BENIAM. POTZERNE, Acad. Gryphiswald. Profeſſor, iamque *a.* 1693. *in 4.* Schediaſma cum Sciagraphia Operis diuulgauit, teſte MICH. LILIENTHALIO in *Conſult. de Hiſt. litt. certae gentis ſcribenda p. 3.* Idem ſunt meditati COLBERGIVS et PALTHENIVS; at omnium conatus mors interrupit. *Colbergii* Epiſtola *de conſcribenda Pomerania litterata*, *a.* 1698. edita, legi nunc poteſt in Viri illuſtris, HERM. HENR. ENGELBRECHT *Delineat. Status Pomeraniae Suethicae*, in *Mantiſſa Num. II. p. 6.* Cf. IAENCKENII *gelehrtes Pommerland*, de quo paullo poſt, in *Praefatione.* ANDREAM quoque WESTPHALIVM luci exponere voluiſſe *Hiſtoriam Pomeranorum litterariam*, ex priorum forſitan ſchedis adornatam, diſco ex laudati ENGELBRECHTI *Diſſ. epiſtol. de meritis Pomeranorum in Iurispr. naturalem, Gryphiswald. a.* 1726. *in 4. p. 8.* Quod inſtitutum neſcio quae fata retardarint. Poſtea *Stargard. a.* 1728. *in 4.* AMAND. CAROL. VANSELOW exhibuit *das gelehrte Pommern, oder alphabetiſches Verzeichniß einiger in Pommern gebohrnen Gelehrten, männlichen und weiblichen Geſchlechts, nach ihren merkwürdigſten Umſtänden und verfertigten Schriften zuſammen getragen.* Produxit eruditorum trecentos prope et quinquaginta, inter quos tamen, vt facile credendum, ſunt varii, parum celebres. Interim fuſius agit de iisdem Auctor, parcius contra de Viris clariſſimis aliquando, quum deſtitutus eſſet melioribus documentis. Iucundum vero erit hic paſſim cognoſcere Opera anecdota, maxime quae ad Hiſtoriam Pomeranicam, vel vicinam, ſpectant. Vid. *Acta Erud. Latina a.* 1729. *p.* 405. Sequutus hunc eſt IOH. DAVID IAENCKEN, qui, poſtquam *ibidem*

a. 1730. *in 8.* praemiserat *Vorbericht von seiner Abhandlung des Gelehrten Pommerlandes*, *Sedini a. 1734. in 4.* foras dedit *das Gelehrte Pommerland, worinnen die Historie sowohl aller in Pommern gebohrnen, als auch anderer in Pommern gestandenen, oder verstorbenen, Gelehrten, die sich durch Schriften bekannt gemacht haben*, *mitgetheilet wird.* Sed prima saltim Pars Tomi I, qui Theologis consecratus fuerat, nostris in manibus est, et haec ipsa Pars non nisi Vitam Ioh. Bugenhagenii complectitur, satis copiose expositam, et eleganti ornatam Viri summi effigie. Nouo titulo, Praefatione de fatis libri huius, Obseruationibus nonnullis ipsi transmissis, Vitaque Auctoris instructa est a IOH. CAROLO CONR. OELRICHS, Viro clarissimo, mihique amicissimo. Factum id a. 1757. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1757. *p. 843. sq.* et, vbi plura de libro memorantur, *Acta Erud. Germanica Vol. XVII. Parte 199. p. 525. sq.* Caeterum dolendum non est admodum, reliqua, quae moliebatur Iaenckenius, haud successisse, vti ostendit DAEHNERTVS in *der Pommerischen Bibliothec*, *Vol. I. Parte 12. p. 98. sq.* Antistitum supremorum in Pomerania citeriori Vitas IAC. HENR. BALTHASAR inseruit *Collectioni II. einiger zur Pommerischen Kirchenhistorie gehörigen Schriften*, *P. II. p. 317. sq.* Varia simul Documenta et Obseruationes haud vulgares, quas addidit Theologus hic Gryphiswaldensis, vsum Vitarum amplificant. *Ratisbonensium* doctorum Vitas concinnauit, superiori saeculo, EVERHARD. WASSENBERGIVS in *Ratisbonensi Dioecesi illustrata*, quod septem Voluminum in maiori forma Opus adhuc manuscriptum latet in Bibliotheca Monasterii Scotorum ad S. Iacobi Ratisbonae. Sextus Tomus has complectitur Vitas, cuius editionem MOSERVS in *Biblioth. MStor. Norimb. a.* 1722. *in 4.*

in 4. p. 10. ideo optat, quoniam Auctor de integris eruditorum Centuriis egregia et incognita referat. De *Rintelienſis* Academiae eruditis nemo adhuc, praeter V. C. CAR. ANT. DOLLIVM, Theologum Stadthagenſem, bene ſtuduit mereri. Emittere is coepit *Hanouerae a.* 1752. *in 8.* Partibus II. *Vitas Profeſſorum Theologiae Rintelienſium*, ſermone Germanico, qui labor eruditus plauſu exceptus eſt publico. Excitet hoc inſtitutum alios, vt caeterorum Ordinum Profeſſores, quorum non pauci rerum geſtarum gloria florent, methodo eius delineandos ſibi ſumant. *Roſtochienſes* quodammodo cognoſcuntur ex *Roſtochio litterato*, *Roſtoch. a.* 1700. *in 8.* Auctor, qui ſub litteris A. D. H. D. latere voluit, eſt ANDR. DAN. HABICHHORSTIVS, Theol. Doctor et Profeſſor. Exhibet ſyllabum litteratorum, qui ibidem a. 1698. et 1699. vixerunt, cum Vitis praecipuorum, non Profeſſorum tantum, ſed aliorum etiam, qui Muſas coluerunt. Recenſetur liber in *Nouis litterar. maris Balthici a.* 1700. *p. 347. ſq.* Perfectius eſſet vtique, cuius magna iam pars proceſſerat, SEBASTIANI BACMEISTERI Opus, niſi abruptum fuiſſet. Ille ſcilicet reliquit *Megapoleos litteratae Prodromum*, de Rectoribus Acad. Roſtochienſis, librosque duos *de Ictis et Medicis Roſtochienſibus*, a condita Academia vsque ad huius initium ſaeculi. Quae ſcripta, multis eruditorum Iconibus, iisque elegantiſſimis, decorata, et a filio, IOH. BACMEISTERO, aucta atque emendata, primum in lucem conſpectumque protulit ERN. IOACH. DE WESTPHALEN, *Monument. rer. Cimbric. et Megapol. Tomo III. p. 1005. ſq.* qui et in *Praefatione p. 139. ſq.* complura, omnino legenda, de iisdem diſſeruit. Inter alia ſcribit, non dubitandum eſſe, quin Bacmeiſterus biographias Profeſſorum Theologorum, Philoſophorum, Doctorumque ibi creatorum

ac reliquos, qui Roſtochium patriam nobilitarunt, aliquot libris perſequutus ſit, vel ſaltim primas eorum duxerit lineas. Fruſtra ſe tamen id ſcripti quaeſiuiſſe. *Salisburgenſium* Profeſſ. Vitae breuiter memorantur, ſubiecto librorum, a ſingulis compoſitorum, Catal. in *Hiſt. Vniuerſ. Salisburg. Frf. et Lipſ. a.* 1728. *in 4.* vbi toto *libro II.* hoc argumentum non ſine diligentia pertractatur. Auctorem huius Operis eſſe IOSEPH. PORTAM Caſinenſem Theol. didici ex *Act. Er. Lat. a.* 1741. *p. 678.* Ictos huius Academiae exinde decerpſit V. C. DAN. NETTELBADT, in *den Häll. Beytr. zur iur. Gelehrten-Hiſt. V. III. P. 9. p. 66. ſq.* Ad *Sileſiae* eruditos facit IOH. HENR. CVNRADI *Sileſia togata, ſiue Sileſior. doctrina et virtutibus clariſſimor. Elogia ſingulis diſtichis comprehenſa, quibus dies omnium natales et emortuales, officiorumque ab iis geſtorum tituli ſubiunguntur.* Ex manuſcripto Auctoris edidit librum CASP. THEOPH. SCHINDLERVS *Lign. a.* 1706. *in 4.* Non inique iudicat de eo REIMMANNVS *Cat. Bibl. T. II. p. 249.* vbi profitetur, pleroſque, qui enumerantur in hac Sylloge, obſcuros eſſe et ignobiles, nullaque doctrinae laude commendatos: et ſi qua habeant in litteras merita, ea ab Auctore fuiſſe praetermiſſa: Carmina id ſalis non oſtendere, quod ineſſe debeat Epigrammati: adiectam exegeſin hiſtoricam mutilam eſſe ſaepius, et parum quandoque adcuratam. Interim ad hanc Sileſiam togatam IOH. CHRISTIAN. LEVSCHNERVS *Hirſchberg.* ab *anno* 1752. vsque ad *a.* 1757. Progr. XXII. *in 4.* bonae frugis Spicilegium inſtituit, quod aliquando, vt ſpes eſt, Volumen ſingulare implebit, facilius, quam hae ſchedae, comparandum. Longe vincit Cunradi laborem MARTINI HANCKII liber *de Sileſiis indigenis, poſt litterarum culturam cum Chriſtianiſmi ſtudiis a.* 965. *ſuſceptam, ab a.* 1165. *ad a.* 1550. Prodiit *Lipſ. a.* 1707. *in 4.* Acceſſerunt ſtatim, *eod. anno eademque forma, Sileſii alienigeni eruditi ab a.* 1170. *vsque ad a.*

1550.

1550. Agitur in vtroque libro ea, qua fulgebat Auctor, eruditione de iis, quos vel patria, vel vita, fecit Silesios, neque de eruditis tantum, sed etiam de Viris illustribus, Ducibus, Praesulibus, Equitibus et Nobilibus, qui factis inclaruerunt. Subiecit sex Indices, scilicet praenominum, cognominum, patriae, temporis, quo mortem obierunt, scriptorum, et rerum memorabilium. Extra oleas vagari non nunquam Hanckium, iam obseruauit STOLLIVS in *den Nachr. von den Büch. seiner Bibl. P. III. p. 242.* De IOH. IAC. FVLDNERI *Bio-et Bibliographia Silesiaca* cuius Repositorium primum, Vol. I. *Laubanae, a.* 1731. *in 4.* sermone German. excusum est, euolui possunt, *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1731. *p. 361. sq.* vbi vitia opellae indicantur. NIC. HENELII *Silesia togata* lucem nondum adspexit. Idem dicendum de IOH. CASP. EBERTI *Bibliotheca Silesiaca*, seu de Scriptoribus, Virisque doctis caeteris, qui vel ortu Silesii, vel habitatione fuerunt. Sed hic schedas suas reliquisse imperfectas videtur. Interim specimina quaedam Operis exstant in *Nouis litter. Germaniae, a.* 1705. *p.* 287. *sq.* De Poetis sigillatim, quorum fertilissima semper fuit haec prouincia, IOH. SIGISMVND. IOHNIVS egit in *Parnasso Silesiaco, siue recensionis Poetarum Silesiacorum Centuriis II. Vratislav. a.* 1728. *et* 1729. *in 8.* editis. Rectius tamen fecisset Auctor, si Deos ipsi minorum gentium eiicere hoc ex choro placuisset. *Stadam litteratam*, doctorum Virorum, Stadae a. 1711. viuentium, Vitas, honores atque Opera, edita et inedita, exhibentem, *Stadae a.* 1711. *in* 4. diuulgauit doctissimus tunc Gymnasii ciuis, IOH. HENR. VON SEELEN. Non exigua redundaret in studium biographicum vtilitas, si omnes huius generis Commentationes simili doctrina industriaque confectae essent. De Viris eruditis *Tirolensibus* praeclarum habemus libellum

IAC. TARTAROTTI, lingua Italica hoc proſtantem titulo: *Saggio della Biblioteca Tiroleſe, o ſia Notizie iſtoriche degli Scrittori della Provincia del Tirolo. In Rovereto a. 1733. in 8.* Rarius obuium hoc Specimen Bibliothecae Tirolenſis, quod laudat GOETZIVS, doletque, Auctorem, praematura morte ereptum, non potuiſſe perficere, quas ſit meditatus, doctorum Tirolenſium Vitas. Vid. *Merckwürdigk. der Königl. Bibl. zu Dresden, Tomo I. p. 24.* Quae REINH. HENR. ROLLIO innotuerant olim, ad eruditos *Tremonienſes* ſpectantia, ea congeſſit in *Memoriis Tremonienſibus, ſiue Virorum eruditorum, qui Tremoniae Weſtphalorum, a Lutheri Reformatione ad noſtra vsque tempora, claruerunt, et vel ibidem, vel alibi, diem ſuum obierunt, Vitis et elogiis.* Prodiit Opuſculum *Tremoniae a. 1729. in 4.* Generatim autem de doctis *Weſtphaliae* hominibus DAV. CHYTRAEI, IOH. CASELII, HERM. HAMELMANNI aliorumque narrationes exſtant inter *Opuſcula varia de Weſtphalia*, quae cum notis IOH. GOES *Helmſt. a.* 1668. *in 4.* edita fuere. Plura tamen ex dicti HAMELMANNI *Operibus genealogico-hiſtoricis de Weſtphalia, Lemgou. a.* 1711. *in* 4. peti poſſunt. Sermo eſt enim *p. 91. ſq.* de quibusdam Weſtphaliae Viris ſcientia claris, qui, exploſa barbarie, puritatem Romanae linguae toti Germaniae attulerunt; *p. 133. ſq.* de illuſtribus ſcientia, virtute, pietate et ſcriptis Viris, qui vel Weſtphali fuerunt, vel in Weſtphalia olim vixerunt, vel inde oriundi aliis in regionibus claruerunt; tandem *p. 321. ſq.* adſerit Auctor, hominibus Weſtphalis adſcribendum potiſſimum eſſe, quod lingua Latina, et politiores artes, reſtitutae priori nitori ſint. Tria deinde Programmata, *Mindae a.* 1713. *ſq. in* 4. typis impreſſa, *de Weſtphalis doctis*, HAMELMANNO *plane non, vel minus,*

memora-

memoratis, accepimus ab IOH. LVDOLPHO BVNEMANNO. Tertium ſpeciatim ſiſtit Mindenſes. Acceſſit *ibid. a.* 1748. IOH. CAR. OPITII Programm. diligenter exaratum *de tribus Weſſelingiis*, *doctis Weſtphalis in* 4. In *Miſcellan. Nouis Lipſienſibus Vol. I. p. 665. ſq.* MENCKENIVS paucis in ſcenam produxit Weſtphalos, eorumque Elogia adiecit, qui prae caeteris in horum litteratorum ſunt numero ponendi. Plenius olim Opus *de illuſtribus Viris et Scriptoribus Weſtphalis* meditatus eſt CHRISTIAN. Baro DE PLETTENBERG, vti teſtatur MEIMBOMIVS *Addit. ad* VOGLERI *Introd. vniuerſ. p. m.* 194. Sed vix, poſt Auctoris mortem, amplius quid exſpectandum. Nec *Wittembergenſis* Academiae eruditi neglecti penitus fuerunt. *Elogia praecipuorum Doctorum ac Profeſſorum Theologiae*, complectentia vitam, lucubrationes et confeſſionem Lutheri, Crucigeri, Ionae, Melanchthonis, et aliorum, BALTHAS. MENCIVS *Vitemb. a. 1606. in 8.* concinnauit, Iconibus ligno inciſis, quae rudes ſunt vtique, nec ad ſimilitudinem hominum laudatorum accedere videntur, inſtructa. Cf. STOLLII *Nachricht von den Büchern ſeiner Biblioth. Tomo I. p. 616.* Poſt hunc Vitas ac res geſtas praecipuorum Theologorum *Halae M. a.* 1614. *in* 4. exhibuit IOH. BISMARCVS, qui liber *Baſil. a.* 1657. *ead. forma* recuſus dicitur. Continet Orationes, quas vel ipſe Auctor coram Colloquii Aluenslebiani fratribus, vel alii in Academia Wittembergenſi, recitauerant. Inueniuntur hic etiam Vitae illorum, qui habiti ſunt inter Crypto-Caluinianos. Sed leuis eſt labor, parumque adcuratus. De ſcriptis eorum plane nihil adlatum. Infrequens interim liber, de quo plura vid. in *Theſauro Biblioth. Vol. I. p. 310. ſq.* Meliora daturus erat IOH. CHRISTOPH. COLERVS, ſi, quarum ſpem fecerat aliquando, *Vitas Theologorum et* Profeſſorum *Wittem-*

bergensium absoluisset. Specimen instituti luculentum est *Vita* GOTTLIEB WERNSDORFII, *Wittemb. a.* 1719. *in* 4. ab eo ipso diuulgata. GODOFR. SVEVI *Vitas Ictorum*, ibidem clarorum, latere adhuc inter manuscripta, docet STRVVIVS *Biblioth. Saxonicae T. I. p. 32.* Cf. AVG. BVCHNERI *Dissertationes, seu Programmata Academica, Frf. a.* 1678. *in* 4. *p. 970.* vbi de Sueui conatibus idem legitur. Nouissime V. C. FRID. BOERNERVS renouare coepit *Memorias Professorum Medicinae in Academ. Wittembergensi*, Partemque primam *ibidem a.* 1755. *in* 4. emisit, quam sine dubio excipient, quae restant, caeterae. In adducto Buchneri Volumine, pariterque CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHII *Dissert. Academicis, Wittemb. a.* 1699. *in* 4. et IOH. GVIL. BERGERI *Dissert. Academ. ibid.* 1717. *in* 4. quibus postea successit eiusdem *Stromateus Academicus, ibid. a.* 1745. *ead. forma* excusus, multa sunt obuia eruditorum huius Ciuitatis Elogia, quibus Vita ipsorum delineata est; de scriptis contra vel nihil, vel parum, adiectum. Inter eos, qui homines in Ducatu *Würtembergico* doctrina librisque claros recensuerunt, laudandus est praecipue LVDOV. MELCH. FISCHLINVS, cuius *Memoria Theologorum Würtembergensium resuscitata* caet. *Vlmae a.* 1710. *in 8.* Partibus II. prodiit. Orditur Auctor laborem suum a tempore repurgatorum sacrorum, pergitque vsque ad huius initium saeculi, ita quidem, vt eos depingat, qui partim in hoc Ducatu, partim extra suam patriam, verbum diuinum docuerunt. Addidit Elenchum scriptorum et editorum, et ineditorum. Stilus exilis tamen et plebeius: nec probandus delectus est vbique, occurrentibus quibusdam, qui vel nullum, vel obscurum certe in Republica sacra et litteraria nomen habent. Quod quum perspexisset ipse, popularium suorum gratia id a se factum esse

esse monuit. Cf. REIMMANNI *Catal. Bibl. theolog. p.* 171. IOH. IAC. MOSERI curae debetur *Würtembergia litterata viua*, cuius tamen sola Decas I. plagulas tantum quatuor implens *Tub. a.* 1723. *in* 8. lucem adspexit. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1723. *p.* 280. In eiusdem *Erläuterten Würtemberg*, qui liber *ibid. a.* 1729. *in* 8. Partibus II. sequutus est, variae etiam eruditorum Würtembergicorum, cumprimis Tubingensium, Vitae, ex Programmatibus plerumque Academicis desumtae, exstant, quae legi non sine fructu possunt. *Imagines Professorum Tubingensium*, qui altero Academiae saeculo, an. 1577. inchoato, ad annum 1596. vixerunt et floruerunt, per Epigrammata, singulorum Vitam breuiter recensentia, illustrauit, ac *Tub. a.* 1596. *in* 4. ex ipsa, quam habuit, typographia, edidit ERH. CELIVS. Praeterire licebit alia antiquiora, minoris momenti. Hac nostra aetate celeberrimus MOSERVS, tunc annos habens septem ac decem, *Vitas Professorum Tubingensium, ordinis theologici* exarare coeperat, sed praeter Decadem I. *ibid. a.* 1718. *in* 4. emissam, nihil accepimus; ita enim Auctoris mos fuit saepius, vt, vni perficiendo operi non diu intentus, illico ad alia delaberetur. In hac Decade Theologorum quorundam, qui auspicatissima renouatae per Lutherum religionis initia viuendo praecesserunt, fata exposuit. In ANDR. CHRIST. ZELLERI *Merckwürdigkeiten der Uniuersitæt und Stadt Tubingen, ibid.* 1743. *in* 8. de Vitis quoque Professorum omnium a condita Academia vsque ad annum 1742. *p.* 398. *sq.* agitur, ita tamen, vt nemo Lectorum in his acquiescere possit. Plura cumulare huius argumenti scripta non lubet. Iam enim satis accreuit de Vitis Germanorum tractatio. Adeant, qui alia, sed magna ex parte leuioris farinae Opuscula nosse cupiunt, *Catal. Biblioth. Bunauianae*

uianae, Tom. I. Vol. I. p. 568. sq. vnde pleraque, iis etiam, quae ad biographias vix referenda, non praetermissis, fideliter desumsit clariss. FISCHERVS in noua *Introductionis Struuianae* editione *p. 625. sq.* quem ipse fontem *p. 632.* haud occultauit.

§. XVII.

Apud GALLOS primus de patriae suae ciuibus eruditis egit FRANC. DE LA CROIX-DV-MAINE. Nota est eius *Bibliotheque, qui est un Catalogue de toutes sortes d'Autheurs, qui ont écrit en François depuis cinq cents ans et plus, jusques à ce jour d'huy. Avec un Discours des Vies des plus illustres et renommez entre les trois mille, qui sont compris en cet Oeuvre, ensemble un recit de leurs compositions, tant imprimées, qu'autrement. à Paris 1584. in f.* Mox *anno 1585. Lugduni* successit eadem forma ANTON. DV VERDIER *Bibliotheque, contenant le Catalogue de tous ceux, qui ont écrit ou traduit en François et autres dialectes de ce Royaume, ensemble leur Oeuvres imprimées et non imprimées, l'argument de la matiére, y traitée, quelque bon propos, sentence, doctrine, phrase, proverbe, comparaison, ou autre chose notable tirée d'aucunes d'icelles Oeuvres, le lieu, forme, nom et datte, ou comment et de qui elles ont été mises en lumiere. Aussi y sont contenus les livres, dont les Autheurs sont incertains. Avec un supplement de l'Epitome de la Bibliotheque de* GESNER. Sed Opus vtrumque, iam pridem rarius factum, ad cognoscenda magis Scriptorum nomina, quam eorundem Vitam, pertinet. Interim praestantior Crucimanii labor. Audiamus COLOMESIVM in *Biblioth. choisie, num.* 74. vbi haec: *La Bibliotheque de la Croix du Maine, qui se fait rare, est à mon avis plus utile*

utile, que celle de du Verdier. Celle ci ne nous indique que le nom des Autheurs, et celui de leurs Ouvrages, au lieu, que l' autre nous apprend diverses particularitez de ceux, dont elle fait mention. Addendus omnino Clar. VON SEELEN in *Orat. de praecocibus eruditis p. 39.* ex quo loco excerpere sequentia iuuabit: *Non destituitur quidem Crucimanii Opus naeuis suis, dum scilicet nimia interdum breuitate vtitur ille, et nonnunquam Auctores parum certa fide adducit, siquidem non semper legit aut vidit libros, de quibus loquitur, sed aliorum saepe narrationibus se decipi passus est. Probauit hoc vno saltim exemplo* Baelius *T. III. Dict. p. 2614.* A. *minime autem difficile foret, longe plura eidem adiungere. At haec tamen eo magis condonanda sunt Crucimanio, quo pauciora erant sua aetate subsidia, ad eiusmodi Opus scribendum necessaria, et quo largius isthaec diligentia, atque notatu dignis, de auctoribus plerisque eorumque scriptis, relationibus compensauit.* Σύγχρονον *in eodem argumento scriptorem habuit* Ant. Verdierium, *qui quidem strenue negat, quod Crucimanio quaedam suffuratus sit, verum a plagii suspicione non omnino eundem absolui posse, vtrumque legenti et inter se conferenti patebit. Reliquit tamen non pauca egregia Crucimanio Verdierius, neque semper optima et singularia ex eodem selegit. Vnde haud praeter rem Bibliothecam Crucimanianam Verdieriana vtiliorem et praestantiorem dixerunt Colomesius et Baillètus T. II. P. I. Iudic. p. 155. Feminas doctas quoque recensuit Crucimanius in hac sua Bibliotheca, cuius primum Tomum secundus, quantum constat, non excepit.* In hoc Auctores Gallos, qui Latine scripserunt, proponere statuerat. Ad nouam pariter Bibliothecam Gallicam instruen-

ſtruendam, i. e. ad condendos ampliſſimos de Scriptoribus, quotquot vnquam Gallia habuit, eorumque libris, Commentarios multa collegerat, perficienda, niſi mors obſtitiſſet, NICERONIVS; qua de re vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1742. *p.* 377. Communi excepta plauſu fuerunt SCAEVOLAE SAMMARTHANI *Elogia Gallorum* (paucis, qui tales non ſunt, immixtis) *ſaeculo XVI. doctrina illuſtrium*, quae nouiſſime, ſaltim apud Germanos, prodierunt *Iſenaci a.* 1722. cum notis et erudita Praefat. CHR. AVG. HEVMANNI *in* 8. quae eſt optima editio. Primam DRAVDIVS in *Bibl. claſſica p.* 1106. exhibitam dicit *Auguſtoriti Pictonum a.* 1598. *in* 8. idque confirmatur, niſi error vel ſcribentis, vel typographi, irrepſerit, in *Bibliotheca* FRID. OTTON. MENCKENII, *Parte II. p.* 349. *n.* 309. Sed talis creditur potius ab Heumanno *Pictauienſis* eſſe, *a.* 1600. *in* 8. producta, quam ſequuta fuit *Pariſienſis* auctior *a.* 1616. *ead. forma*, et, inter *Opera Sammarthanorum*, *ibid. a.* 1633. *in* 4. Recuſa quoque ſunt haec Elogia *Ienae ann.* 1690. *in* 12. ibidemque, GEORGIO SCHVBARTO, vt aiunt, Editore, *a.* 1696. *in* 8. Sed admodum vitioſe, ita quidem, vt ſaepe verba, imo integri nonnunquam verſus, omiſſi ſint. Gallicam verſionem *Pariſ. a.* 1644. *in* 4. adornauit GVIL. COLLETETVS, quam elegantem eſſe adcuratamque Heumannus exiſtimat. Ad ipſum quod attinet librum, recte obſeruat idem in *Praefat.* §. *XIX.* Auctorem, etſi non hiſtoriam, ſed Elogia, ſcripſerit, tamen, quum partem hiſtoriae non negligenter pertractarit, eundem illum, quem caeteri Elogiorum conditores, mereri inter Biographos locum: adeoque nec infructuoſam eſſe Vitarum eiusmodi lectionem. Interim negandum tamen non eſt, quod IAC. LE LONG in *Biblioth. hiſtor. de la France p.* 870. his adſerit verbis: *Ses eloges ſont bien écrits, mais ils contiennent*

nent peu de faits. Stilus plerumque nitidus est ac venustus, et iure omnium in se admirationem iam dudum conuertit. Quae sermonis vitia notauit Heumannus, ea *l. c. §. XXI.* indicata fuerunt. Idem CORNEL. TOLLII et AVB. MIRAEI ex Sammarthano plagia, de quibus suo loco, detexit, memorauitque adhuc *§. XXIII.* GVID. PATINVM *Epist. CCCLXIII. p. 86. sq.* pollicitum esse Continuationem horum Elogiorum; *sed*, inquit, *sap. ter eum fecisse arbitror, quod postea consilium illud abiecit. Summa enim stili diuersitas et Scaeuolae bonorifica, et Patino ingenti erat futura dedecori.* Quaedam olim Capiti huic de Scriptoribus Vitarum apud Gallos addidit STRVVIVS, quae ad LVDOV. IACOBI DE ST. CAROLO spectant, non quidem huc referenda, quum Vitas apud eum frustra quaeramus. Auctorum tamen variorum nomina recenset, qua de caussa, commodiorem ignorans occasionem, hic etiam mentionem iniicere Viri placuit. In animo is habuit *Bibliothecam Gallicam vniuersalem* quatuor formae maioris Voluminibus conscribere, hoc titulo: *La Bibliotheque universelle de tous les Autheurs de France, qui ont écrits en quelque sorte de sciences et de langues.* Verum exstat modo *Bibliographia* eiusdem *Parisina*, seu *Catalogus omnium librorum, Parisiis ab anno* 1643. *vsque ad annum* 1650. *inclusiue excusorum*, qui Voluminibus quinque *in 4. mai.* lucem vidit. Annus vero 1646. neglectus est, annique 1643. et 44. nec non anni 1647. et 48. coniunctim prodiere. Idem composuit *Bibliographiam Gallicam vniuersalem*, h. e. *Catalogum omnium librorum, per vniuersum Galliae regnum, annis* 1643. 44. 45. *et* 46. *pariterque annis* 1651. 52. *et* 53. *excusorum*, quae Bibliographia Volumina quatuor eadem forma explet. Omnia haec, et priora, *Parisiis* typis fuerunt impressa, rariusque integra occurrunt. Cf.

LABBEI

LABBEI *Biblioth. Bibliothecar. p. 148. edit. Rothom. anno* 1678. repetitae, et FREYTAGII *Analecta litter. de libr. rarior. p. 479. sq.* Maiori omnino iure hic sibi locum vindicat IOH. CAPELLANI, Gallice Chapelain, *Memoire de quelques gens de Lettres, vivans 1662.* quod scriptum, de plurimorum Gallorum fatis agens, DESMOLETS legendum praebuit in *Continuation des Memoires de Litterature et d' Histoire de Mr.* DE SALLENGRE, *Tomi II.* P. *1. p. 21. sq.* iterumque CAMVSATVS in *Melang. de Litterature de Mr.* CHAPELAIN *p. 181. sq.* notis illustratum suis. Gallorum, qui linguam Ebraeam, et Orientales alias, excoluerunt, Vitas PAVL. COLOMESIVS in *Gallia Orientali* exhibuit, *Hagae Com.* 1665. *in* 4. et in *Opusculis* eius, a FABRICIO collectis. Pauca tamen de cuiusque fatis singularia protulit, sollicitus magis de congerendis elogiis, quibus hi Viri ornati ab aliis fuerant. CAROLVS PERRALTVS homines Galliae illustres ex recentiori aeuo reuocauit depinxitque in Opere, sic inscripto: *Les Hommes illustres, qui ont paru en France, pendant un Siecle avec leurs Portraits au naturel.* Tomus I. *a.* 1696. Tom. II. *a.* 1700. *Parisiis in fol.* diuulgatus est. Vterque autem Volumen mediocre conficit. Icones artificiosissime, et ad stuporem vsque, sunt aere expressae. Rara profecto et pretiosa haec prima editio. Amstaelodamensis enim, *annis* 1698. et 1701. Tomis II. *in* 8. prelo subiecta, caret Iconibus. Cf. BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürdigen Büchern, Vol. VII. p. 273.* Occasionem, cui debemus hoc Opus, refert DES MAIZEAVX *in Lettres de Mr.* BAYLE, *Tom. II. p. 610.* edit. *anno* 1729. adornatae. *Mr. Begon,* ait in notis, *Intendant de Justice et de Marine, fit graver les Portraits de ces Hommes illustres d'après ceux, qu'il avoit dans sa Bibliotheque, et engagea Mr. Perrault, a composer les Eloges, qui les accompagnent.* Primum

Auctor

auctor locum adſignat iis, qui in ſtatu eccleſiaſtico eminuerunt; alterum, qui bellicis excelluerunt ſtudiis; tertium, qui publicis muneribus regni Regisque miniſterio adfuerunt; quartum, qui eruditione inclaruerunt; quintum denique, qui alias excolendas artes ſumſerunt, veluti Muſicam, Architecturam, Mechanicam, caet. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1699. *p.* 323. et *a.* 1701. *p.* 241. *ſq.* Breuiter, at multa elegantia, Vitas centum Virorum expoſuit Perraltus, maiori omnino laude dignus, ſi parem in ſcriptis nominandis induſtriam adhibuiſſet. Caeterum ex BAELIO in *Dict. hiſt. et crit.* V. ANTON. ARNAVLD *litt.* (BB) *p. m.* 347. obſeruandum eſt merito, in plerisque primae editionis exemplaribus, Patrum e Soc. Ieſu gratia, Elogia et effigies Anton. Arnaldi et Paſchalii deſiderari, quae tamen ſuo reſtituta loco ſunt in editione Amſtaelodamenſi. Plura hac de re ap. BAELIVM *l. c.* Cf. VIGNEVL-MARVILLE *Melanges d'Hiſt. et de Litterat. Vol. II. p. m.* 24. edit. Roterod. *a.* 1700. abſolutae. In PETRI RICHELETI *Dictionaire de la langue Françoiſe ancienne et moderne*, cuius nouam *Lugduni a.* 1759. editionem, Tomis III. *in fol.* accepimus, praemiſſa eſt *Bibliotheca Auctorum*, qui paſſim in Opere ipſo memorantur. De hac ita in *Actis Erud. Lat. a.* 1729. *p.* 527. iudicatur: *Opuſculum perelegans et lectu admodum iucundum, quo vitae recenſentur celeberrimorum Gallorum, Lugdunenſium maxime, (quibus tamen et pauci ex aliis gentibus acceſſere) qui quouis tempore vixerunt, et partim adhuc in viuis ſunt: quod etſi in vltimis editionibus ſub Richeleti nomine praemiſſum iam fuit, hic tamen a* Petro Auberto *inſigniter auctum eſt, adeo vt* Morerius, Baelius, *et ſimiles Biographi inde corrigi et ſuppleri non parum poſſint. - - Paſſim etiam Auctores anonymi et pſeudonymi deteguntur.*

tur. Sed falſo hic tribuitur Auberto, Dictionarii Richeletiani Editori, iſthaec auctorum Bibliotheca. Debetur enim ea LAVR. JOSSE LE CLERC, cuius laborem plane contemnit PHILIPP. LE CERF, motosque adſerit librarios eſſe Amſtaelodamenſes, vt haſce ſchedas, tamquam monſtroſum corporis membrum, in editione Operis noua deſecarent. Vid. *Lexicon eruditor. Ioecherianum Tomo I. p. 1960.* itemque *Biblioth. Françoiſe Tomi XVI. Parte I. art. 4.* et quae exinde memorant *die Leipz. gel. Zeit. an. 1732. p. 168.* Egregius liber eſt, quem CAROL. ANCILLONIVS *Amſtael. a.* 1709. *in 12. mai.* edidit hoc titulo: *Memoires concernant les Vies et les Ouvrages de pluſieurs modernes, celebres dans la Republique des Lettres.* Omnes fere, qui hic occurrunt, eruditi Galli ſunt natione, ſcilicet Valent. Conrartius; Barthol. Herbelotius; Vrb. Chevreau; Henr. Iuſtellus; Adr. Baillet; Iacobus, Beniaminus, et Ludouici Aubery, Domini du Maurier; Iohannes et Claudius Aubery; Ioh. Bapt. Cotelerius, et Laur. Begerus. Horum Virorum Vitas ita deſcribit Auctor, vt non niſi ſingularia proponat, et, quicquid hinc inde ſparſum, colligat. Multa intermiſcet erudita, quae ad rei litterariae cognitionem adprime faciunt; Auberios probe diſtinguit, variorum errores notat, de ſcriptis iudicat, horumque ſaepe enarrat hiſtoriam. Aegre ferendum igitur, quod continuationem non ſuſceperit, a qua non plane alienus videbatur, Ancillonius. Forte mors, qui anno 1715. ſuſtulit hominem doctum Berolini, coeptos iam conatus interrupit. Cf. de libro hoc STOLLIVS in *den Nachrichten von den Büchern ſeiner Bibliothec, Parte VII. p. 658. ſq.* et REIMMANNVS *Catal. Bibl. ſuae Tomo II. p. 628.* quo ex loco haec iuuabit transſcribere: *hic faſciculus non Vitas quidem eruditorum continet, nec elogia, ſi Auctorem in Praefatione*

fatione audias, ſed memorias, h. e. Collectanea, ad vitas vel laudes eorum condendas idonea. Et quia ex iisdem interdum fontibus ſua prata irrigauit auctor, ex quibus Carolus Perraltius, factum eſt, vt in quibusdam eius ſcrinia compilaſſe videri queat, vbi maxime Perraltiana omnia ad verbum repetit. Quod in Herbelotii deſcriptione deprebendes, ſi, quae p. 134. 136. 137. leguntur, cum iis, quae p. 154. 155. 156. de eodem habet Perraltius, componas. Nec taceri hoc loco debet IAC. LE LONG, qui in *Biblioth. hiſtorique de la France, Pariſ. a.* 1719. *in fol.* excuſa, praeter libros adlatos multa etiam dixit, quae ad Auctorum Vitam conducunt. De nonnullis certe hiſtoriae Francicae Scriptoribus vberius egit ſub finem Operis, quoniam, ſi ſuis inſerta quaelibet locis fuiſſent, totam perturbaſſent tractationem, Lectoremque nimis ſuſpendiſſent, integrum perluſtrantem Volumen. Vid. *Acta Eruditor. Lat. a.* 1720. *p. 196.* Auctiorem hanc Bibliothecam et emendatiorem dare conſtituerat Longius, verum conatus hos mors interuertit. Et egere omnino eandem paſſim lima conſpectus probat. Vel ex ſola id Epiſtola elucet, Berolini Gallice exarata, productaque in *Nouvelles littéraires, Hagae Comit.* quondam et *Amſtaelod.* diuulgatis *Tomi XI. P. 2. art. 10.* vbi errores complures, praecipue in annis, quibus mortui dicuntur Scriptores, a Longo adducti, indicantur et corriguntur. In TITONI DE TILLET *Parnaſſe François,* quod Opus ſplendidum nouiſſime *Pariſ. a.* 1732. *in fol.* cum figuris aeneis editum eſt, memoriaeque Poetarum et Muſicorum Gallicorum conſecratum, ortus talium hominum, tempus, quo vixere, indoles, ingeniique dotes, et quae eruditi alii de variis eorundem ſcriptis iudicarint, breuiter exponi ſolet. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1728.

1728. *p. 249.* vbi tamen de antiquiori editione sermo est. De noua agitur in *Supplem. ad Noua Acta Erud. T. III. p. 49. sq.* Duo Supplementa accesserunt *a.* 1744. et 1755. *eadem forma.* Postea *ibid. a.* 1733. *in 4. mai.* coepta fuit *Histoire littéraire de la France*, caet. et studio quidem Monachorum, Ordini St. Benedicti deuotorum, quos inter praecipuus fuit ANTON. RIVETVS, ope suffultus IOSEPHI DVCLOV, MAVR. PONCET et IOH. COLOMB. Prostant Tomi IX. priore in Partes duas diuiso. Vltimus ad saeculi duodecimi excurrit saltim initium, vnde luculenter patet, quantum adhuc supersit. Vix esse videbatur continuatio speranda, ob summam laboris difficultatem, dicendorumque copiam, praecipue, postquam Riuetus a. 1749. morti succubuerat. Sed nunc indicatur in *France littér. p. 143. edit. Berol.* CAROL. CLEMENCET cum CLEMENTIO occupatum esse in perficiendo Opere, mirifica vtique diligentia elaborato, et inter alia Historiae litterariae capita illustribus in Gallia hominibus referto, quorum Vitas, res gestas et scripta vberrime Auctores, quantumque saeculis obscuris fieri potuit, adcuratissime commemorant. Conf. *Acta Erud. Lat. a.* 1736. *p. 342.* anno 1737. *p. 393. sq.* et 1741. *p. 629. sq.* itemque *Acta Erud. Germanica, Vol. XVII. P. 201. p. 612. sq.*, quibus locis de omni Virorum doctissimorum instituto plura cognoscere licet. Mirum profecto, nondum exstitisse hac aetate in Germania, vbi et leuissima exterorum scripta patriam in linguam transferuntur, qui Opus tantae vtilitatis, at plurimis nimis pretiosum forte, nec vbiuis obuium, Germanice reddere voluerit. Mentio hic iniicienda etiam libri egregii, cuius conditor est PHILIPP. LVDOV. JOLY, Canonicus Diuionensis. Edidit is, nomine tamen suo non addito, *Eloges de quelques Auteurs François*, *Diuione a.* 1742.

a. 1742. *in 8.* Honorifice recenſetur haec Vitarum Sylloge in *Actis Erud. Lat. a.* 1744. *p. 37. ſq.* En! quaedam exinde: *Succedere velle videtur Auctor in locum Niceronii. Adeo et ſtudioſe, et feliciter, huius inſiſtit veſtigiis. Imo eius diligentiam ſuperare videtur, dum Catalogis librorum inſerit iudicia de iis doctiſſimorum hominum, eaque, licet interdum copioſius expoſita, ad verbum exhibet. Imitatur et in eo Niceronium, quod Vitis, a ſe contextis, immiſcet Vitas, a ſuis amicis compoſitas. Hoc ſcilicet in Volumine tres occurrunt Vitae, ab ipſo non ſcriptae, Mich. Montani, Delecampii, et Broſſini.* Eruditos, qui Galliam imperante Ludouico XIV. illuſtrarunt, dexterrime quamquam non ſemper ſine partium ſtudio, quod ad Religionem attinet, depinxit, ſubiunctis eorundem ſcriptis, CLAVD. FRANCISC. LAMBERTVS in *Hiſtoire littéraire du regne de Louis XIV. Pariſ.* 1751. *Vol. III. in 4. mai.* Quod Opus nunc Germanica lingua recuditur *Lipſiae*, impenſis bibliopolii cuiusdam Hafnienſis. Iam *a. 1759.* Pars I. et II. *in 8. mai.* prodiit; duae adhuc exſpectandae propediem. Omnium hic Ordinum Viri docti locum habent, mulieres etiam ingenio ac litteris nobiles, quibus tandem adiuncti fuere Architecti, Pictores, aliique artifices praeſtantiſſimi. Subiectae ſunt ſemper hae Vitae Commentationibus ſingularibus de progreſſu Scientiarum et Artium in Gallia, per aetatem Regis illius. Non Vitas quidem plenius deſcriptas, multa tamen de Gallicorum Auctorum aetate ac dignitate, monumentisque ingenii, continet *la France littéraire, ou Dictionaire des Auteurs François vivans.* Primae libri lineae ductae fuerunt a FRANC. IOACH. DVPORT DV TERTRE *Pariſ. a.* 1752. Alteram editionem *a.* 1754. curauit DESBRAILLES, Abbas, tertiamque *a.* 1756. IOSEPH. DE LA PORTE, cui ſucceſſit quarta, in

Germania prima, *Berol. a.* 1756. *in 8.* iam abſoluta, et non paucis emendationibus atque ſupplementis a clariſſimo FORMEY exornata. Saepe, nec ſine fructu, vſus hoc ſum Lexico, vt paſſim Lectores mei obſeruabunt.

§. XVIII.

Pergendum ad eos, qui ſeorſum de Vitis Eruditorum Gallorum egerunt. Sic illuſtres *Aquitaniae* Viros, a Conſtantini M. imperio ad ſuam vsque aetatem, *Burdigalae a.* 1591. *in 8.* produxit GABR. LVRBEVS. Haud inſpicere contigit librum, ex aetate tamen eius facile credendum, de Vitis horum Virorum vel plane non, vel ſaltim leuiter, eſſe tractatum. Nec meliora ſunt haurienda forſitan de doctis *Bituricenſibus* ex NIC. CATHERINOT Opuſculo *Les illuſtres de Berry* inſcripto editoque *Biturige a.* 1682. *in 4.* Non deerat Auctori doctrina; ſed nimia ſtudiorum fiducia, et varia ſcribendi pruritus, effecerunt plerumque, vt ſchedas extemporales, crudasque adhuc, in tabernas librariorum propelleret. Quod ne quis dictum contemtim arbitretur, ipſius Auctoris adiiciam verba quaedam ex libello *de arte imprimendi*, Gallice *ibid. a.* 1685. *in 4.* excuſo, Latineque reddito in IOH. CHRISTIANI WOLFII *Monumentis typographicis Parte II.* vbi haec *p.* 960. leguntur: *Commentatus haec ſum more mihi familiari, ſine libris, ſine excerptis, ſine ſubſidiis, ſine conſultatione, ſine deliberatione, et fere memoriae meae confiſus.* Interim rariſſima ſunt eius omnia, quod non eſt ideo mirandum, quoniam pauca folia, eaque Auctoris aere prelo ſubiecta, ſaepenumero elabi ex aliorum manibus atque intercidere ſolent. Illuſtrium hominum, in agro *Bleſenſi* natorum, Vitas exhibuit IOH. BERNIER. Euoluatur eiusdem *Hiſtoire de Blois, Pariſ. a.* 1682.

in

in 4. Parte III. p. 335-604. Praeclarum eſt, longique laboris Opus, quod de Scriptoribus *Burgundiae* reliquit PHILIB. PAPILLONIVS. Prodiit illud, eo iam anno 1739. mortuo, *Diuione anno* 1742. *Tomis II. in f.* hoc titulo ſignatum: *Bibliotheque des Auteurs de Bourgogne.* Proferuntur autem hic dumtaxat quos ipſa procreauit Burgundia, neglectis qui aliam regionem nacti ſunt patriam, et apud Burgundos munus ſuſtinuerunt aliquod, ibidemque vita exceſſerunt. Nec iis datus eſt locus, quorum non niſi manuſcripti exſtant libri, vel opuſcula, quique vnum alterumue breue carmen aliorum praefixerunt lucubrationibus, praeterea nihil diuulgarunt. Cf. *Acta Erudit. Latin. a.* 1744. *p. 625. ſq.* vbi et ſequenti elogio commendatur labor, plauſu communi exceptus: *Opus ipſum, quod ordine decurrit alphabetico, ita eſt elaboratum, vt vel curioſiſſimo Lectori placere poſſit. Etſi enim Vitae pleraeque ſunt perbreues, ſcriptorum tamen cuiusque notitia exhibetur pleniſſima. Commemorantur omnes cuiusque libri editiones, verſiones item, ſi quae habentur; iudicia denique de iis aliorum proferuntur.* Edidit id ipſum Opus PHILIPP. LVDOV. JOLY, ſupra laudatus, ex Auctoris ſchedis, ita quidem, vt illud vsque ad annum 1742. continuaret, quae ad rem pertinere non videbantur, deleret, multisque contra articulis, ſiue capitibus, ſupplementa adiiceret atque correctiones. Praemiſit quoque Papillonii Vitam iisdem verbis, quibus eandem in *Eloges de quelques Auteurs François* paullo ante expoſuerat. *Cabilonenſium* eruditorum Catalogum habemus in LVD. IACOBI A ST. CAROLO *de claris Scriptoribus Cabilonenſibus libris III. Pariſ. a.* 1652. *in 4.* quibus centum fere exhibentur, at breui tantum ſermone, Vitae et Opera eorum, qui Cabiloni vel dignitate

aliqua floruerunt, vel in Dioecesi ac Praefectura Cabilonensi nati sunt, vel ibidem diem suum obierunt. Vid. *Biblioth. histor. Hamburg. Centur. V. p. 61. sq.* CLAVD. etiam PERRY *Historiam vrbis Cabilonensis ac de claris eius Viris* Gallice *Cabiloni a.* 1659. *in fol.* diuulgauit, in quo forsitan Opere Iacobi subsidiis vsus est, eundemque continuauit. Viderint hoc ii, quibus ante oculos versatur liber vterque rarius obuius, maxime Perrianus, frustra quaesitus a me in Bibliothecis instructissimis. Nec reperi quendam, qui de hoc ipso fusius disserat. *Cadomenses* Viros doctos collegit IACOB. CAHAGNESIVS in *Elogiorum ciuium Cadomensium Centuria prima, Cadomi a.* 1609. *in 4.* Vid. de raro hoc, at exigui momenti libro CLEMENT *Bibl. de livr. dificiles à trouver, Tomo VI. p. 40. sq.* et *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p. 592.* vbi adferitur ex fontibus liquidis, Auctorem optimi potius ciuis, quam optimi historici, personam sustinere: neque praemia distribuere bene meritis, sed missilia spargere in vulgus: nec delectum facere, sed congerere aceruum. Additur *ibidem* in PETRI DAN. HVETII *Origines de Caën, à Rouen a.* 1702. *in 8. Cap. XXIV.* produci *Les hommes de Caën illustres dans l'Eglise et dans les Lettres.* Multo diffusissimum esse docent hocce Caput *Acta Erud. Latin. a.* 1704. *p. 186.* eosque primo recenseri loco, qui nati in vrbe, aut agro vicino, sunt, hosque excipere, qui aliam nacti patriam, Cadomum tamen sedem elegerunt, munerumque illustrarunt dignitate. De *Carnutensibus,* litterarum studiis celebribus, exstat IOH. LIRONII *Bibliotheque generale des Auteurs de France livre premier, contenant la Bibliotheque Chartraine* caet. *Paris. a.* 1719. *in 4.* Auctor, quemadmodum ex titulo adparet, de condenda vniuersali Gallorum Eruditorum Bibliotheca cogitans, praemisit Carnutensem,

ſem, breuique ſe daturum pollicitus eſt Turonenſem, mox plures, amico etiam adſcito ſocio, qui aliis in partibus eidem negótio ſeſe accingeret. Hanc enim vnicam eiusmodi Operis conficiendi rationem eſſe arbitrabatur Scriptor doctus, quod ita laboris immenſitas, cui Ludouicum Iacobum et Philipp. Labbeum ſuccubuiſſe ferunt, minus eſſet metuenda, facileque; quibusdam fato exſtinctis, ſuccedere per ſingulas regiones alii poſſent, vnius etiam cuiusque prouinciae Viri clari lubentius in ſingulari Volumine deſcripti legantur. Verum enim vero inſtitutum LIRONII in ipſa quaſi herba ſuppreſſum eſt, nihilque, praeter primum hunc librum, accepimus. Coniunguntur hic cum doctis hominibus Viri feminaeque Principes, quorum nomen charta vetus prae ſe fert, item, Perralti exemplo, arte pictoria, ſculptoria, architectonica, ſimilibusque conſpicui. Ordo vbique chronologicus, ratione in primis habita annorum, ſi de iis conſtat, emortualium, electus fuit, quo ſeruato et quae ad Vitam cuiusque ſpectant, et quae ad notitiam ſcriptorum eius faciunt, quanta fieri potuit, diligentia recenſentur. De compluribus varia notatu digna congeſſit Auctor. Saepe tamen miſcet quadrata rotundis, rudesque ac ignobiles hominibus doctiſſimis: nonnunquam etiam monumenta et ſubſidia ſcribendi, vti conqueritur ipſe, defuerunt. Vid. *Lettre d'un Conſeiller de Blois à un Chanoine de Chartres ſur la Bibliotheque Chartraine de D.* LIRON, *à Orleans* 1719. *in 8.* vbi Auctor, PERDOVX DE LA PERIERE critice hanc Bibliothecam examinat, et *Acta Erud. Lat. a.* 1720. *p. 1. ſq.* quo ex loco me profeciſſe, niſi faterer ingenue, plagii temerarii reus eſſem. *Delphinatus* Viros litteris claros, qui nati ſunt ibidem vel ſuſtentati, collegit GVIDO ALLARDVS in *Bibliotheque de Dauphiné, contenant les noms de ceux, qui ſe*

Gggg 4 *ſont*

ſont diſtinguez par leur ſavoir dans cette Province, et le dénombrement de leurs Ouvrages, depuis XII. Siecles. à Grenoble a. 1680. in 12. Dolendum autem, eum in ſcriptis memorandis non vbique, vti debebat, eſſe adcuratum copioſumque. Recenſio libri vid. in *Journal des Savans a. 1680. p. 332. ſq.* Haud ita pridem AVGVSTIN. CALMETVS, Monachus Benedictinus, non ignotus ſacrarum litterarum ſtudioſis, doctorum in *Lotharingia* ciuium memoriam renouauit in *Bibliotheque Lorraine, ou Hiſtoire des hommes illuſtres, qui ont fleuri en Lorraine.* Prodiit Opus hoc *Nanceii a.* 1751. *in f.* eiusque notitia exſtat in *Actis Erud. Lat. a.* 1755. *m. Iunio, Parte I. p. 231. ſq.* Mox autem oppoſuit eidem *Bruxell. ann.* 1754. *Tomis II. in 8.* FRANC. ANT. DE CHEVRIER *Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire des hommes illuſtres de Lorraine, avec une refûtation de la Biblioth. Lorraine de Calmet.* Vti docent *die Götting. gel. Anzeigen. a. 1755. p. 66. ſq.* paſſim haud immerito ſub examen vocatur Calmeti Bibliotheca; ipſe tamen Cenſor non eſt variis ſolutus erratis. Lectorum omnium gratiam conciliauit ſibi, qui eleganti perſpicuoque ſcribendi genere *Lugdunenſium* eruditorum Vitas expoſuit, DOMINICVS DE COLONIA. Factum id in *Hiſtoire litteraire de la ville de Lion, Lugd. ann.* 1728. et 1730. *Partibus II. in 4. mai.* Per ſaecula procedit Auctor, et ſingularibus ſemper Capitibus de Scriptoribus ſacris atque profanis agit, qui in hac vrbe floruerunt. Non pauci, quos *Lutetia Pariſiorum* nobiles ingenio habuit, delineantur a CAESARE EGASSIO BVLAEO in *Hiſtoria Vniuerſitatis Pariſienſis*, rariſſimo, magnique pretii, Opere, *Pariſ.* ab *a.* 1665. vsque ad *a.* 1673. Tomis VI. *in fol.* excuſo. Qua de re fuſius differentem conſule HEVMANNVM in *Bibliotheca Academ. p. 152. ſq.* Multi quoque

quoque hic esse vsus potest IOH. LAVNOII *Regii Nauarrae Gymnasii Parisiensis Historia*, edita *ibid. a.* 1677. *in 4. Partibus II.* iterumque, vt bibliopola exemplaria reliqua felicius diuenderet, *ibid. an.* 1682. nouo hoc producta titulo: *Academia Parisiensis illustrata, quatuor Partibus diuisa.* Nouissime locum obtinuit in Auctoris *Operibus*, *Coloniae Allobrogum a.* 1731. *in fol. Tomis V.* collectis, *Tomi quarti* Parte prima *p. 289. sq.* In Parte altera laudati libri, qui non est mediocris molis, Launoius Vitam et scripta centum quatuorque ac triginta enarrat Virorum, hoc in Gymnasio litteris perpolitorum, iisque adiuncti fuere alii, centum, tres et sexaginta numero, nullis quidem ingenii monumentis memorabiles, non tamen indigni elogio, quia bene acta vita inclaruerunt. Cf. *die summarischen Nachrichten von der Thomasischen Biblioth. Vol. I. p. 242. sq.* Quae de *Collegii Regii* Professoribus in promtu habuit, ea eleganter tradidit CLAVD. PETR. GOVIETVS Opere singulari, *Paris. a.* 1758. *Vol. III. in 12.* euulgato, atque sic inscripto: *Memoire historique et litteraire sur le College Royal de France.* Pauciores maculae nihil detrahunt de pretio laboris vtilissimi, multisque anecdotis exornati. Huc porro referenda PAVLI PELISSON *Histoire de l'Academie Françoise* caet. quae lucem primum vidit *Paris. a.* 1653. post recusa est auctior *Hagae Com. ann.* 1688. *in 12.* ac denuo *Amstael. a.* 1717. *in 8.* tandemque, nouis locupletata Obseruationibus, et ad nostri vsque saeculi initium deducta, studio IOSEPHI THOVLIERII OLIVETI, *Paris. a.* 1729. *in 4.* Vol. II. et 1730. *in 12.* totidem Voluminibus, qui liber Academicorum etiam omnium, iam viuis ereptorum, fata complectitur, et scripta. Oliuetus maxime laudatur in *Actis Erud. Lat. a.* 1730. *p. 361.* his quidem verbis: *Altera Sectio, ad singulorum Academi-*

eorum historiam priuatam spectans, vniuscuiusque vitae summam, in Academiam merita, subinde etiam scriptorum, tum vorsa, tum prosa editorum, censuras, quantumuis liberas, modestas tamen, continet. Placuit omnino nobis doctissimi Editoris prudens consilium, qui noluit, vulgarium Biographorum more, minutissimas etiam domesticarum rerum circumstantias taediose consectari, sed illas vnice attentione dignas existimauit, quibus viri illi tamquam Academici debent considerari caet. Eorum, qui Academiae Regiae Scientiarum adscripti fuerunt, Elogia, venusto et concinno sermone Gallice exposita, debemus BERN. DE FONTENELLE. Coniunctim prodierunt *Hagae Com. a.* 1731. *in 12. Tomis II.* ac teste clar. FORMEY *in France littér. p. 168. anno* 1742. *eadem forma Vol. IV*, forte *Parisiis*. Hoc excitatus exemplo IOH. IAC. D'ORTOVS DE MAIRAN, successor olim Fontenellii, composuit *Les Eloges des Academiciens de l' Academie Royale des Sciences, morts dans les Années* 1741. 1742. *et* 1743. quae vnum in Volumen redactae Vitae *Paris. a.* 1747. *in 12.* diuulgatae sunt. Egregie perfunctus est Auctor partibus suis, et praeter ea, quae de fatis decem Virorum doctissimorum scitu sunt necessaria, adcuratissime etiam eorundem scripta recensuit. De *Montis Pessulani* hominibus claris euolui potest DE SERRES *Histoire abregêe de la Ville de Montpellier, avec un abregé de la vie de quelques hommes, illustres, tant en Droit civil, qu'en Medecine, qui s'y sont rendus recommendables, à Montpellier a.* 1719. *in 12.* qui liber, parum apud Germanos cognitus, in *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p. 593.* memoratur, in iis autem, quae consului, Diariis penitus est neglectus. *Pictauiensium* eruditorum Vitas exhibuit IOH. FRANC. DREVX DV RADIER, elegans caussarum patronus, in *Bibliotheque historique et critique*

de

de Poitu, contenant les Vies des Savans de cette Province, depuis le troisiéme siécle, jusqu' à present; une notice de leurs Ouvrages, caet. *Paris. a.* 1754. *in 12. mai. Vol. V.* Laude dignissimum Opus, in quo multa occurrunt de hominibus doctis, antea ignota. Inter celebriores reperiuntur Barn. Brissonius, Andr. Tiraquellus, Iul. Caes. Bulengerus, Anton. Rivetus, cuius *ss. priori* mentio est iniecta, aliique plures. Commendari merentur *die zuverl. Nachr. Vol. XVII. P. 196. p. 292. sq.* iis omnibus, qui de hac ipsa Bibliotheca copiosiorem recensionem legere cupiunt. *Prouinciae* Viros illustres olim de scribere constituerat IOSEPH. BOVGERELLVS, in scriptione laboris sequentis iam indicata: *Histoire des hommes illustres de Provence, qui se sont distinguez par leur Sainteté, par leur savoir, par leurs emplois, et par leur habileté dans les beaux Arts, depuis le siécle d' Alexandre le Grand, jusqu' à present.* Quo de conatu multa suppeditantur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1719. *p.* 73. *sq.* et in *Europe savante, Tomo X. p. 306.* Sed nescio, quae impedimenta obstiterint Auctori; diu enim superstes adhuc, (viuere quippe desiit anno demum 1753.) non tamen praestitit, quae promiserat. Interim Anonymus *Paris. a.* 1752. *in 12. mai.* edidit *Mémoires pour servir à l'Histoire de plusieurs hommes illustres de Provence.* Quod specimen est saltim Operis maioris, aliquando perficiendi. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1754. *p.* 177. Auctor videtur IOH. BAPT. BONARDY, Doctor Sorbonicus, de quo v. FORMEY *France litter. p. 116.* Vitas Poetarum, quos haec tulit Prouincia, composuit IOH. DE NOSTRADAMVS. Titulus libri hic est: *Vies des plus celebres et anciens Poëtes Provenceaux, à Lion* 1575. *in 8.* Italice redditus a IOH. GIVDICI prodiit *ibidem, eodemque anno et forma*: item in IOH. MARII CRESCIMBENI *Istoria della volgar Poesia Vol. II, Romae a.* 1710.

1710. *in 4.* excuſo, *Parte I.* vbi et nouus interpres notas adiecit bene largas atque eruditas, quibus adſertionibus Noſtradami ex aliorum teſtimoniis fidem facit ampliorem, interdum diuerſam quoque ab eo ſententiam tuetur, idque agit in primis, vt adpareat, quinam de his Poetis fuſius commentati ſint, aut quae ipſorum monumenta manuſcripta in Bibliothecis lateant. Sequuntur deinde Acceſſiones ad Poetarum Prouincialium hiſtoriam, quorum haud meminit Noſtradamus. Recenſentur ii ſecundum litterarum ſeriem, et maiori quidem copia, quam in ipſo Noſtradami libro factum. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1711. *p.* 43. Denique PETR. FRANC. GODARD. DE BEAVCHAMPS in *Recherches ſur les Theatres de France, à Paris* 1735. *in 12.* Tomo I. easdem inſeruit Vitas, neque tamen ad verbum tranſtulit. *Timerenſis pagi*, in regione Perticenſi, Viros claros cognoſces ex *Eloges hiſtoriques des hommes illuſtres de la Province de Thymerais, avec un Catalogue raiſonné de leurs Ouvrages, à Paris* 1749. *in 12.* qui liber breuis et paucos, eosque parum exterorum notitia dignos, continens homines, adſcribitur ſupra laudato DREVX DV RADIER in FORMEY *France littér. p.* 165.

§. XIX.

Inſignia quoque de HISPANIAE eruditis exſtant ſubſidia. Inter antiquiores notus eſt ISIDORVS, Hiſpalenſis Epiſcopus, cuius *de claris Hiſpaniae Scriptoribus et Epiſcopis* libellus, cum variorum additionibus, ſaepe eſt editus, e. g. in ANDR. SCHOTTI *Hiſpania illuſtrata, Tomo II. p.* 1. *ſq.* vbi etiam eiusdem notae acceſſerunt, et nouiſſime in I. A. FABRICII *Bibliotheca eccleſ. p.* 58. Cf. *Bibliothec. Hiſtorica Hamburg. Centur. VIII. p.* 66. *ſq.* et *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p.* 815. item ALPHONSI GARSIAE MATAMORI Liber ſing. *de Academiis*

demiis et claris Hispaniae Scriptoribus, *Compluti ann.* 1553. *in 8.* et *Hispan. illustr. Tomo II. p. 801 - 823.* Copiosius Auctorem de Viris eruditis, quam de Academiis Hispanorum, agere, docet HEVMANNVS in *Bibl. Academ. p. 19.* Post hunc VALERIVS ANDREAS, qui se TAXANDRVM dixit, (Brabantia enim, patria eius, olim vocata Texandria, vel Taxandria, vid. *Praef.* NIC. ANTONII *Biblioth. Hispan. veteri* praefixa *§. IX. p. 30.*) *Catalogum clarorum Hispaniae Scriptorum* edidit *Mogunt. a. 1607. in 4.* qui rarus quidem hodie, nec magni tamen momenti, liber est. ANTONIVS eum instinctu SCHOTTI, cui tunc temporis a manu fuit Andreas, congestum esse, adserit, eo quidem consilio, vt excitarentur Hispani ad suppeditanda ipsi subsidia, locupletandae Bibliothecae Hispanicae caussa, quam Schottus meditabatur. Vid. CLEMENT *Biblioth. de livr. dificiles à trouver, Tomo I. p. 318.* vbi et haec: *V. André ne l'a pas mis au nombre de ses Ecrits, dont il a fait la liste p. 852. et 853.* de sa Bibliotheca Belgica: *ce qui fait, que quelques Auteurs l'ont attribué au P. Schott, en ont crû, que V. André avoit été obligé de lui prêter son nom, parceque ce Pére ne jugeoit pas cet Ouvrage digne de porter le sien.* Melior est dicti SCHOTTI *Hispaniae Bibliotheca, Frf. ad M. a. 1608. in 4. Tomis III*, qui tamen mediocre tantum Volumen efficiunt, diuulgata. Nomen suum Editor non adposuit, sed ita saltim subscripsit Dedicationi: *A. S. Peregrinus.* In hoc libro, hodie perraro, praeter alia de Academiis, Bibliothecis, Episcopis, caet. *Tomo II.* de omnium Ordinum eruditis egit, separatisque classibus Dominicanos, Franciscanos, Carmelitas, Eremitas, et Societati Iesu addictos, Ictos item, Medicos, Poetas, Historicos, feminasque litteris claras, descripsit, facta etiam librorum aliqua mentione, sed ea nec

integra,

integra, nec adnotatione loci, temporisque, quo prodierunt, distincta. *Tertio* autem *Tomo* Elogia diuersorum, secundum prouincias, continentur, ita quidem, vt iunctim semper recenseri soleant eruditi Lusitanorum, Castellanorum, Arragonum, aliarumque nationum. Hunc postea Auctorem longe multumque superauit NIC. ANTONIVS in *Bibliotheca* sua *Hispana*, de qua paullo vberius dicendum. Praemisit Scriptores saeculi XVI. et XVII, *Romae*que *a.* 1672. *Tomis II. in f.* edidit oratione venusta *Bibliothecam Hispanam*, *siue Hispanorum*, *qui vsquam vnquamue*, *siue Latina*, *siue populari*, *siue alia quauis lingua*, *scripto aliquid consignauerunt*, *Notitiam*, *his*, *quae praecesserunt*, *locupletiorem et certiorem*, *breuia elogia*, *editorum atque ineditorum Operum Catalogum*, *duabus Partibus continentem*, *quarum haec ordine quidem rei posterior*, *conceptu vero prior*, *duobus Tomis de his agit*, *qui post annum saecularem MD. vsque ad praesentem diem floruere*. Quum Antonii impensa hi Tomi excusi essent, in summam propterea paupertatem incidit, vnde et factum, vt reliqui, eo iam anno 1684. viuis erepto, aere Patris purpurati, IOSEPHI SAENZ DE AGVIRRE, in lucem producerentur. Insequuta est itaque *ibid. a.* 1696. *eadem forma*, *Tomis itidem II. Bibliotheca Hispana vetus*, *siue Hispanorum*, *qui vsquam*, *vnquamue scripto aliquid consignarunt*, *Notitia*, *complectens scriptores omnes*, *qui ab Octauiani Augusti imperio*, *vsque ad annum MD. floruerunt*. In noua quidem Bibliotheca ordine alphabetico procedit Antonius, secundum Auctorum praenomina: in veteri e contrario aetatis habet rationem. Elegantissimum est institutum, quippe primo cuiuslibet Scriptoris Vita delineatur adcuratissime, atque elogia et testimonia de eo adducuntur. Deinde libros eorum

editos

editos, itemque in Bibliothecis latentes adhuc, vel deperditos, sollicite memorat, veraque a suspectis suppositisue discernit. Porro nec desunt Obseruationes doctissimae de librorum editionibus, versionibus, fatis, virtutibus ac vitiis. Tandem vero accedunt Bibliothecae nouae Indices septem, in quibus occurrunt Auctores secundum cognomina, patriam, munera, et ecclesiastica, et ciuilia, Ordines Monachorum, vltimoque loco res praecipuae, qui Index adcuratissimus est, caeterisque amplior. Antiquae Bibliothecae praemissus est tantum Auctorum, et in fine subiectus rerum memorabilium Index. Praefatio Antonii de Hispanorum doctrina, Bibliothecarum vtilitate, et proposito huius Operis, lectu dignissima certe, quae ornat Bibliothecam nouam, denuo, eam forte ob caussam, ne haec desideraretur, si quis vtramque comparare nollet, exhibita fuit in Bibliotheca antiqua. Pauca saltim addidit hic, quae ad cognitionem laboris postumi pertinent, EMAN. MARTINI, Vir notus omnibus hodie, cui curam editionis demandauerat SAENZIVS. Caetera, meo quidem iudicio, non erant repetenda. Idem Martini nonnunquam notulas quasdam, in margine obuias, ipsius Cardinalis nomine intexuit. Recensere plures possem, qui de Opere hoc eximiae raritatis, pleraque nimirum exemplaria sensim pedetentimque in ipsa diuendita sunt Hispania, haud negligenter disseruerunt. At, breuitatis studio, non nisi vnum alterumue laudabo, cum primis consulendum. Instar omnium est celeb. VAN SEELEN, cuius plenior exstat *Notitia* NIC. ANTONII *Bibliothecae Hispanicae*, *Bibliothecarum principis*, in eius *Selectis litterariis*, *Lubecae* 1726. *in 8. pag. 1-52.* BAELIVS quoque in *Dict. histor. et critic.* v. Antonio; Auctores *Biblioth. nouiss. Halensis Obseruat. ac recensionum*, *Sect. II. p. 58. seq.* vbi ostendere

dere ſtuduit IOH. HENR. SCHVLTZIVS, multa iuſſu publico in hoc Opere fuiſſe deleta; *Bibliotheca Hiſtor. Hamburg. Centur. VIII. p. 6. ſq*; CLEMENT in *Biblioth. de livr. dificiles à trouver, T. I. p. 394*; et BAVMGARTENIVS in *den Nachricht. von merckwürdigen Büchern, Vol. VII. p. 257. ſq.* varia ſuppeditant, quae non ſine inſigni fructu Lectorum plerique perluſtrabunt. Supplementa ad Antonii Bibliothecam vt pararet, CAMVSATVS aliquando concitauit GREG. MAIANSIVM. Reſpondit hic, ſe conſilium id lubenter amplecti velle, ſi aut Valentiae, vbi tunc commorabatur, eſſent Bibliothecae librorum copia abundantes, quales ad tantum coeptum perficiendum neceſſariae ſint; aut ſi penſio annua adſignaretur ipſi, qua ſubleuatus maiorem librorum numerum coemere queat, et peregrinationem aliquam ſuſcipere ad excutiendas Bibliothecas aliquorum Conuentuum, in quibus lateant multi libri, qui quod mirum non ſit in tanta copia, Antonii diligentiam effugerint. Atque eiusmodi peregrinationem omnino necſſariam eſſe ad Bibliothecam Veterem ſupplendam. Nam ad Nouam quod attinet, recentiores libros, licet innumeros, ante omnium eſſe oculos poſitos; certe inuentu faciliores. *Verum*, addit, *haec ſperare, idem eſt, ac exſpectare volaturam teſtudinem.* Vid. MAIANSII *Epiſtolae p. 239.* et *p. 289. edit. Lipſ.* Interim tabulae nuper publicae nunciarunt, recudi nunc in Hiſpania Bibliothecam Antonii ad noſtra vsque tempora tam productam diligenter, vt ſex maioris formae Tomos expleat. Cui conatui, Maianſianis forſitan ſubſidiis fulto, proſperos ego ſucceſſus precor. De PAVLLI COLOMESII *Italia et Hiſpania Orientali*, qui liber etiam hic ſibi locum vindicat, ſupra dictum *ſ. VIII.* Id ſaltim adiicio, Scriptorem hunc ſex ac triginta collegiſſe Hiſpanos Luſitanosque, a

doctrina

doctrina orientali celebrandos, quos inter duae sunt feminae. Ictorum Hispanorum et Lusitanorum, atque scriptorum ab iis compositorum, breuem notitiam, ex Antonio potissimum petitam, dedit GER. ERN. DE FRANCKENAV in *sacris Themidis Hispanae Arcanis, Hanouerae a.* 1703. *in* 4. Sed perfectas Vitas noli apud eum perquirere. De Scriptoribus genealogicis et heraldicis vid. IDEM in *Bibliotheca Hispanica historico-genealogico-heraldica, Lips. a.* 1724. *in* 4. *Valentiae* homines claros speciatim exhibet IOSEPH. RODRIGVEZ in *Bibliotheca Valentina*, sermone Hispanico *Valent. a.* 1730. *inf.* edita, quo de libro sic scribit MAIANSIVS *l. c. p.* 288. *Haec Bibliotheca publici iuris non est facta, propterea quod eius Auctor, quum operis editio iam ad vmbilicum perueniret, e viuis decessit IV. Kal. Decembris anni* 1703. *aetatis suae* 73. *Auctor ego fui Monachis, vt suppleant, quae desunt, aut saltim, vt publicent Bibliothecam, Praefatione praemissa. Sed vento loquutus sum. Fuit Rodrigezius homo diligentissimus, non admodum doctus, et parum emunctae naris. Semper tamen ad fontes digitum intendit, vt facile discernere possis, vtrum aqua limpida, an coenosa, prout eius origo. Hunc librum nuper compilauit* Franc. Ortinus, *Canonicus Valentinus, in eo libro, qui inscriptus est*: Memoriae historicae fundationis et progressuum insignis Academiae Valentinae, *Matriti a.* 1730. *in* 4. (Cf. *Acta Erud. Latina a.* 1731. *p.* 438. et 439. vbi et quaedam de eodem libro, Hispanice composito.) *Hic scriptor adfectibus suis aliquantulum indulsit, adeoque, vt viros magnos celebret, qui vix merentur nominari; neque verbum facit de multis, qui magni viri fuerunt, aut sunt, et Rempublicam litterariam suis scriptis ornant et illustrant. Quos*

amat, tollit ad astra; quos auersatur, deprimit, aut silentio inuoluit. Crimine ab vno disce hominis candorem. Emanuelem Martinum, *Hispanorum hodie viuentium eruditissimum, obliuioni tradidit. Praetereo, illum, Scriptores recensentem, nullum Catalogum conficere eorum Operum, nullum iudicium ex obseruatione propria subiicere, vt hominis lectionem et criticen agnoscas. Sed fortasse veniam meretur homo alioqui probus, et aliis rebus intentus, ingenio minime contemnendo, facilique stilo, parum licet emendato, aliquando etiam inaequali, vt animaduertere possis multorum, qui eum adiuuarunt, diuersissimas manus.* Hactenus Maiansius. De Bibliotheca vero Rodrigezii notandum adhuc ex *Catalogo Biblioth. Bunav. Tomi I. Vol. I. p. 595.* eam nunquam publice fuisse venalem, ideoque longe rarissimam. Sumtibus enim Patrum ex Ordine Dominici excusa, qui omnia exemplaria suis in claustris retinuerunt.

Ad LVSITANIAE Viros doctos quod attinet, memoranda hic, praeter supra adductos, DIEGO BARBOSA MACHADO *Bibliotheca Lusitana historica, critica et chronologica*, patria lingua composita, cuius Tomus I. *Lisbonae a.* 1741. *in fol.* prodiit. Accessit deinde Tom. II. iamque parari Tom. III. accepimus. Auctor ordine alphabetico, secundum praenomina, Vitas Lusitanorum, litteris illustrium diligentissime exponit, et scripta eorundem adfert, partim edita, partim adhuc inter manu exarata in Bibliothecis latentia. Pseudonymos etiam adcurate solet detegere. Nimio tamen ciuium suorum amore obcaecatus est passim, odioque in eos incensus, quos a sacris Pontificiis nouit esse alienos. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1743. *p.* 241. Potiora exinde decerpta dari coepta sunt in Parisiensi Diario,

Journal

Journal Etranger, *m. Iunio a.* 1757. *p. 1.* vsque ad *p. 79.* et *m. Aug. eiusdem anni.* Quaedam de Scriptoribus Lusitanis, potissimum historicis, ex Antonii Opere repetita inueniuntur in IOH. IAC. SCHMAVSII *Staat von Portugal*, *Parte II. toto Cap. 19. p. 596. sq.* His adiici possunt, quae de Lusitaniae eruditis OLIVEIRA congessit in *Memoires historiques, politiques et litteraires, concernant le Portugal, Amstael. a.* 1743. *in 8. Tomis II.* vbi ordine alphabetico, vsque ad litteram septimam, varios nominat, sed rarius de Vita eorundem et ingenio singularia profert. Plures Tomi, quorum est spes facta, mihi nondum innotuere. Cf. *die zuverläßigen Nachrichten, Vol. V. Parte 59. p. 784. sq.* Paullo post ERN. LVDOV. RATHLEFIVS in *der Geschichte itztlebender Gelehrten, Parte VIII. p. 241. sq.* communicauit cum Lectoribus suis *das Neue gelehrte Portugal, oder kurtze Nachrichten von den neuen Gelehrten in Portugal.* Collegit Vir admodum reuerendus ex variis monumentis, quae ad noscendos huius regni Scriptores faciunt, hosque litterarum itidem ordine enumerat. Neque tamen licuit ipsi de aetate illorum et fatis necessaria interserere. Doctos homines *Eborenses* FRANC. A FONSECA speciatim exhibuit in *Euora gloriosa, Romae a.* 1728. *in f.* sermone Lusitano edita. Quinque sunt Operis Partes, quarum prior *Euora profana*, altera *Euora pia*, tertia *Euora Pontificia*, quarta *Euora religiosa*, quinta *Euora docta* inscripta fuit. Cf. *Memoires de Trevoux a.* 1730. *m. Nouembri, art. 8.* Quorundam denique Professorum, qui Vniuersitatem *Conimbricensem* illustrarunt, Vitas cum eorum ingenii monumentis commemorasse FRANC. LEITANVM FERREIRA in *Noticias chronologicas da Vniuersidade da Coimbra*, cuius libri Tom. I. *Lisbonae a.* 1729. *in f.* separatim typis impressus, adiectusque est etiam Voluminum IX.

Operi, cui titulus: *Collecçam dos Documentos, Estatutos e Memorias da Academia Real da Historia Portugueza*, didici ex *Actis Erud. Lat. a.* 1733. *p. 481. sq.* Cf. *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p. 971.*

§. XX.

De ANGLIAE Scriptoribus primus egit IOH. LELANDVS, faeculo XVI. clarus, cuius vero Commentarios, quos stili venustas et elegantia longe supra aetatis suae conditionem commendat, foede commaculatos atque interpolatos IOH. BALEVS traduxit in *Scriptorum illustrium Maioris Britanniae Catalogum.* Ex Autographo demum Lelandino hos Commentarios *Oxonii a.* 1709. *in 8. Tomis II.* producere coeperat ANTON. HALL. Quum enim Opus integrum quatuor absoluatur libris, duos tantum priores Hallius tunc temporis luci exposuit, tertium etiam prelo a se parari, sub Tomi II. finem indicans. Sed id postea non factum. Iam quidem superiori saeculo THOMAS TANNERVS idem agitauit consilium, qua de re sic scripsit a. 1697. ad Otton. Menckenium GVIL. CAVEVS: *Tannerus ingens meditatur opus, nempe Bibliothecam Britannicam, omnes M. Britanniae et Hiberniae scriptores complectentem, exteros etiam, qui munera, vel dignitates, apud nos sustinuerunt. Huic integrum* Lelandi *opus de Scriptoribus Angliae inseretur, diuerso quidem charactere, sed propriis verbis, infinitis additionibus auctum, praeter bis mille scriptores, quorum Lelandus non meminerit. Incipit a primis gentis nostrae scriptoribus, et per quaeuis saecula decurrens, vsque ad exitum Reginae Elizabethae iuxta temporis ordinem perducet. Cuius saeculo praefiget Dissertationem de ortu et progressu controuersiarum, deque statu rei litterariae apud*

apud nos isthoc saeculo, de institutione Monachatus, Collegiorum, Bibliothecarum, Caenobiorum, caet. Integro operi praemittetur prolixa Praefatio generalis, qua de origine litterarum, doctrinae, caet. in Anglia agetur, deque aliis quam plurimis, quae sub singulis scriptoribus locum commode habere non potuerunt. In pertexendo hoc incomparabili opere tantos progressus iam fecit diligentissimus Auctor, vt speret, intra vnius anni spatium prelo se illud paratum habiturum. Vid. *Miscell. Lips. Noua Menckeniana Vol. VI. Parte 2. p. 369.* Quinque lustris post, Tannerum LELANDI Commentarios cum Additamentis vberrimis e Codicibus manuscriptis et impressis, et BOSTONI BVRIENSIS Catalogo Scriptorum Ecclesiae, propediem esse editurum, significatur in *den Leipz. gel. Zeitung. a. 1722. p. 994.* Sed interea, huic intentus rei, anno 1735. vitam cum morte commutauit, relicta inter schedas *Bibliotheca Britannico-Hibernica*, de qua mox dicendi occasio erit. Redeundum est a Lelando ad Baleum. Opus eius, adductum supra, quinque in Centurias diuisum, prodiit primum *Gippeswici*, in Anglia, *a. 1548. in 4.* recusum statim, teste *Catal. Biblioth. Gudianae p. 349, Vesaliae anno 1549. ead. forma.* Nouem Centurias continens editum est *Basil. a. 1557. in f.* hisque *ibid. a. 1559.* Pars posterior, ex quinque constans Centuriis, accessit. Insertum quoque a CONR. LYCOSTHENE *Bibliothecae Gesnerianae* ab eo in Epitomen redactae, quod de prima tamen editione intelligendum, non de Basileensi. Admodum labor ille Balei inuisus est Pontificiis, ideo praecipue, quod Auctor Carmelitani olim Ordinis Monachus, a sacris eorundem ad Reformatos, vt vulgo nominantur, transierat. Fidem ergo hominis infirmare quouis modo conati sunt. Nec ignorantur inter ipsos Anglos, qui pa-

rum de eo honorifice sentiunt. Vid. exempli causſa HENR. WHARTON. in *Praefat. Angliae Sacrae* praefixa *p. 31. et 47.* Add. VOGLERI *Introd. vniuerſal. p. 95. ſq. edit. Helmſt. anno* 1691. Alii contra, iuſtiores rerum aeſtimatores, merito laude dignas cenſent eius Centurias. Quamquam enim Lelandum peſſime tractauerit, in Vitarum deſcriptionibus ſit breuior, in enarrandis iis, quae ad ortum et progreſſum Coetus Pontificii ſpectant, vix ſibi temperet ab opprobriis et amaris ſalibus, ne de aliis loquar, quae ipſi verti vitio queant: pleraque tamen eius eſſe metalli, vt notari aſteriſco, et linea rubra ſubduci mereantur, cum pluribus adſerit REIMMANNVS in *Catal. Bibl. Tomo II. p. 31.* Cf. THOM. POPE - BLOVNT in *Cenſura celebr. Auctor p. 693. edit. Geneuenſ. a.* 1694. *et* CLEMENT *Bibliotb. de livres diſic. à trouver, T. II. p. 375. ſq.* vbi etiam de inſigni Operis raritate reddit nos certiores. GEORG. LILII *Virorum aliquot in Britannia eruditione et doctrina clarorum Elogia*, quae exſtant in PAVLI IOVII *Deſcript. Britanniae, Scotiae et Hibern. Tomo I. Opp. Baſil. a.* 1578. *in fol.* excuſorum, *p. 36. ſq.* exigua ſunt, et memoratu vix digna, iudice MORHOFIO *Polyhiſt. Tomo I. p. m. 205. edit. nouiſſ.* Poſt Baleum diuulgatae ſunt IOH. PITSEI *Relationes hiſtoricae de rebus Anglicis Pariſ. a.* 1619. *in 4.* quarum Tomus primus, plures enim non ſucceſſere, Parte II. continet, ſecundum ordinem chronologicum, Catalogum illuſtrium apud Anglos Scriptorum: Parte III. vero Adpendicem, trecentos adhuc Auctores, litterarum ſerie, exhibentem. Omnium abſolutiſſimum vocat atque adcuratiſſimum, qui librum poſt Pitſei mortem edidit, GVIL. BISHOPIVS. Sed a GVIL. BORTONO in *Hiſtor. Graecae linguae p. m. 697.* in *Noua librer. rarior. Collect. Halenſi*, a GROSCHVFFIO quondam coepta, dicitur Auctor plagiarius

giarius impudens, qui Baleum foede suppilauerit, caet. Idem et alii adfirmant. Praecipue notanda, quae ex ANT. WOODII *Athenis Oxoniens.* NICERONIVS adfert in *Vitis Erudit. Parte XI. edit. German. p.* 257. vbi memoratur, Pitseum semper abiecte loqui de Baleo, quem exscripserit, saepiusque laudare Lelandum, quem viderit nunquam: complures eum Scriptores, a Baleo productos, omisisse, horumque loco magnum eorum numerum substituisse, qui Pontificiorum sacra sint amplexi: pleraque in Adpendice congesta deberi THOMAE IAMES *Eclogae Oxonio-Cantabrigiensi:* non solos hic Anglos, vt voluerit Auctor, occurrere, sed exteros etiam, quorum non satis diligenter patriam inuestigauerit. Reliqua non addam, facile nunc apud Niceronium legenda. HENR. HOLLANDI *Heroologia Anglica*, seu *clarissimorum et doctissimorum aliquot Anglorum, qui floruerunt ab A. Christi MD. vsque ad A. MDCXX. viuae effigies, vitae et elogia, Arnhemii a.* 1620. *in fol. Tomis II,* nomine Auctoris tantum per litteras H. H. indicato, lucem viderunt. Scripta tamen cuiuslibet rarius adiiciuntur. Imagines elegantiam artificis ostendunt, ea e contrario, quae typis sunt impressa, infinitis fuere mendis maculata. Vid. omnino GOETZII *Merckwürdigk. der Könige. Biblioth. zu Dresd. Vol. II. p.* 359. *sq.* vbi et singulorum, qui describuntur, nomina inuenies. Eodem saeculo IOH. FELLVS, Episcopus Oxoniensis, Virorum apud Anglos maxime celebrium, qui duobus proxime elapsis floruerant saeculis, Vitas, tria forsitan Volumina implentes, edere constituerat. Verum interrupit conatus hos mors, Theologum illum a. 1686. rebus eripiens humanis. Itaque, eius incitatus exemplo, THOMAS SMITHVS *Londini a.* 1707. *in* 4. protulit *Vitas quorundam eruditissimorum et illustrium Virorum*, quos Angliae or-

 namenta

namenta iure nuncupaueris. Admodum laudatur liber in *Actis Eruditor. Lat. a.* 1707. *p.* 145. *sq.* et ab REIMMANNO *Tomo II. Catal. Biblioth. p.* 395. his potissimum verbis: *Omnes* (hae Vitae) *tales sunt, quales esse debent virorum doctorum Historiae, rebus selectis, et ad rem litterariam illustrandam et augendam spectantibus, refertae. Eminet tamen in iis, et velut stella primae magnitudinis in hac Sphaera fulget, Vita Iac. Vsserii, Archiepiscopi Armachani, et totius Hiberniae Primatis, multis nominibus illi Biographiae praeferenda, quae de eodem Vsserio exstat in Batesio. Haec enim multo est copiosior, et exactior, et luculentior. In qua non omittit Auctor memoranda, nec memorat omittenda. Nec laudes huius Herois exprimit tantum, sed et maculas, caet.* Dolendum saltim, non nisi octo Vitas descripsisse Smithum, a quo plura Volumina ambabus manibus excepissent Historiae litterariae amatores. Nunc autem cumulate compensata sunt haec damna incomparabili Anglorum quorundam studio; quippe *Londini a.* 1747. *in fol.* diuulgari coepit *Biographia Britannica, or the Lives of the most eminent Persons, who have flourished in Great Britain and Ireland,* rel. i. e. *Vitae celeberrimorum Virorum, qui tam in Anglia, quam in Hibernia, ab antiquis inde temporibus, ad nostram usque aetatem, floruerunt, ex monumentis cum typis impressis, tum manu exaratis, collectae.* Auctores latere volunt, singulis tamen articulis primam nominis sui litteram adiecerunt. Ad imitandum proposuere sibi Dictionarium Baelianum, ac ea de Viris doctis dixere oratione viuida et iucunda, quae sunt notatu dignissima, praeterque scripta cuiuslibet, et varias eorum editiones, in Obseruationibus copiosis adcuratissime adductas, fontes indicarunt

runt ſemper, ex quibus haurire licuit. Ordine vtuntur alphabetico, iamque, haec ſcribens, Volumina III. noui, quae facile ſeptem octoue alia ſequentur. Vix autem ſperandum eſſet vnquam Opus integrum, in quo non ſoli homines doctrina clari, ſed aulici quoque et illuſtres, Duces terra marique peritiſſimi, artifices nobiliores, caet. depinguntur, niſi partim ampla eruditorum Societas acceſſiſſet ad hunc laborem, partim inter nouem ac viginti bibliopolas de ſumtu ſuſtinendo conueniſſet. Cf. BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hälliſch. Biblioth. Vol. VI. p. 541. ſq.* In primi Voluminis *Praefatione* agitur praeclare fuſeque de Bibliothecis vniuerſalibus huius generis, ac ſpeciatim de iis, qui antea Britonum eruditorum Vitas resque geſtas ad poſteritatis memoriam propagarunt. Quum non pretium tantum, ſed raritas etiam Anglicorum librorum in Germania, imo ipſa, qua plerique conſcribuntur hodie, lingua haud ſane paucis obſtet, ne multum exinde percipere vſus poſſint: laudabili conſilio, *Halae Magdeb. ab anno* 1754. maxima Operis pars Germanice conuerſa prodiit hoc titulo *in 8. mai: Sammlung von merckwürdigen Lebensbeſchreibungen, gröſtentheils aus der Brittanniſchen Biographie überſetzt.* Praefationem praemiſit BAVMGARTENIVS, ex qua plura hac de re diſcuntur. Nuper abſoluta eſt Pars V. perſonarum ac rerum Indice, vt caeterae, inſtructa. Idem, cui nunc in hoc negotio ſucceſſit IOH. SALOMO SEMLERVS, Vir doctiſſimus, iam varias ex Biographia hac Britannica Vitas inſeruerat *Niceronianis Voluminibus*, auſpiciis eius ibidem recuſis. *Anno* etiam 1748. *Londini in f.* exiit Volumen illud Tanneri manuſcriptum, cuius editionem teſtamento commendauerat heredibus. Praeſtitit hoc non ſine plauſu publico, ſchedasque Auctoris ita redegit in ordinem, et multa

de suo adiecit DAVID WILKINSIVS, Canonicus Cantuariensis, vt Lexicon eruditorum Anglorum, satis instructum, dicere possimus, quadraginta annorum Opus. En! eiusdem titulum: *Bibliotheca Britannico-Hibernica, siue de Scriptoribus, qui in Anglia, Scotia et Hibernia ad saeculi XVIII. initium floruerunt, litterarum ordine iuxta familiarum nomina dispositis, Commentarius; vbi Auctor non tantum Scriptores quam plurimos, a Lelando, Baleo, et aliis, praetermissos, e Codicibus MStis nunc primum in lucem protulit, sed notis etiam vberioribus, tum omissa suppleuit, tum parum fideliter tradita correxit et illustrauit.* *Praefixa est* DAV. WILKINSII *Praefatio, Historiam litterariam Britannorum ante Caesaris aduentum, Bibliothecae huius Schema, Bostonum Buriensem,* (ex hoc solo aestimandum forsitan, quod nunc primum erutus ex tenebris fuit,) *aliaque scitu non indigna complectens.* Plura nosse cupienti satisfacient non nihil *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1750. *p.* 377. *sq.* Cf. *Miscellan. Lips. noua Menckeniana, Vol. VI. P.* 2. *p.* 368. *sq.* Vltimum adhuc inter Scriptores de Vitis Anglorum generales addimus HENR. LVDOLPHVM BENTHEMIVM, a quo habemus *den Neueröfneten Engelländischen Kirch- und Schulen-Staat.* Liber hic primum prodiit *Luneb. a.* 1694. iterumque *Lipsiae* 1732. *in* 8. *mai.* longe auctior et emendatior. *Capite XXIX. p.* 786. *sq. edit. posterioris* de Angliae eruditis, qui antiqua et recentiori aetate vixerunt, varia non inutilia collegit Auctor, adlatis quoque scriptis; quamquam haec non eo semper studio recensuit, vti hodie quidem requiritur. Molestissimus interim est libri vsus. Nec enim singulis Capitibus dicendorum summa praemissa, nec Index rerum praecipuarum accessit. Priorem editionem Belgice quoque *Vltraiecti a.* 1701. *in* 8. interprete

SIM.

SIM. DE VRIES fuisse exhibitam, adfirmat COLERVS in *Analect. ad Struuium.* Poetarum Britannicorum, qui a saeculo XIII. vsque ad XVIII. innotuerunt carminum pangendorum facultate, duas fere Centurias ita inscriptas: *The Lives of the most famous Englisch Poets*, *Londini ann.* 1687. *in 8.* diuulgauit GVIL. WINSTANLEY. Non ipsi satis fuit, singulorum aeuum, patriam, gesta praeclara, mortem, poematum denique titulos, succincte enarrasse; sed vbiuis interspersit etiam Excerptorum non nihil e potioribus Poetae Operibus, vt iis, quibus haec inspicere non contingit, isthinc saltim iudicare de Auctoris ingenio liceret. Vid. *Acta Erud. Latin. a.* 1687. *p.* 578. Eodem in Diario *a.* 1699. *p.* 424. sermo est Collectoribus de GER. LANGBAINII *Lives and Characters of the English Dramatick Poets*, qui liber primum *Oxonii a.* 1691. ac denuo, cum CAROLI GILDONI supplementis et emendationibus, *Londini a.* 1699. *in 8.* excusus fuit. Successit *ibid. ann.* 1723. *in 8. mai. Vol. II. The Poetical Register: or the Lives and Characters of all the English Poets, with an Account of their Writings, by G. I.* i. e. GILES IACOB. *c. fig. aen.* Ordinem sequitur alphabeticum, et in descriptone Poetarum scenicorum ex Langbainio optima quaeque suam in rem conuertit. Plura legi possunt in *Biblioth. Angloise, Tomi XI. Parte I. art. 6.* Altera editio *ibidem a.* 1733. *ead. forma* est producta. Vid. *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. I. p.* 598. Suspicatur tamen GOTTSCHEDIVS im *Neuen Bücher-Saal, Tomo III. p.* 134. *sq.* Auctorem plus iusto profecisse ex Winstanleii Vitis, ac generatim de illius labore parum benigne iudicat. Poetarum denique Britannicorum et Hibernicorum Vitas, *Londini* 1753. *sq. Voluminibus V. in 12. mai.* lingua patria editas CIBBERI et aliorum industria, nuper annunciarunt tabulae publicae. Multae desumtae

ſumtae ſunt ex *Biographia Britannica*, omiſſis maxima ex parte Obſeruationibus, iisdem ſubiectis: aliae ex Praefationibus Operum collectorum repetitae. Sunt tamen non omnes, quae hic offeruntur, vnius pretii, pro diuerſitate ingeniorum, de quibus agunt. Quaedam etiam Virorum ſummorum inueniuntur, quae in Biographia Poetarum vix locum ſibi vindicare poterunt. Caeterum vero memoratu digna, obuia vbique, cum Catalogo ſcriptorum, a quolibet compoſitorum, commendant Operis lectionem. Titulus eius hic eſt: *The Lives of the Poets of Great Britain and Ireland, - - - collected for this Deſign by Mr.* CIBBER, *and other Hands.* Nec ii ſunt hoc loco praetereundi, qui ſpeciali cuidam prouinciae, vel vrbi, adhaerentes, Vitas eruditorum, ibidem illuſtrium, expoſuere. Sic nota eſt ſatis, quamquam rariſſima, ANTON. WOODII *Hiſtoria et Antiquitates Vniuerſitatis Oxonienſis, Oxon. a.* 1674. *in fol.* Prior editio Anglico ſermone adornata eſt *in 4. annum*que praefert 1668. Altera inſtinctu IOH. FELLI, Epiſcopi Oxonienſis, Latine conuerſa, et Academiae ſumtibus pulchre excuſa. Sed aegre conatum tulit ipſe Auctor, quoniam Fellus multa, pro arbitrio, deleuit vel addidit. Operisque interpretes, CHRISTOPH. WASE et RICH. PEERS, non ſemper exactam diligentiam adhibuerunt. Vid. NICERONII *Vitae P. XIV. p. 444. edit. Germanicae.* In hoc Opere Woodius non ſolum originem et progreſſum Academiae, verum etiam Scriptores celebres, ſecundum diuerſa, quae ibidem florent, Collegia, cum vita illorum et ſcriptis recenſet. Multa igitur exinde de Viris Angliae eruditis hauriri poſſunt, quorum potiorem partem faciunt Oxonienſes. Plagii tamen arguit Auctorem THOMAS HEARNIVS, vſumque eundem eſſe BRIANI TWYNI *Apologia Antiquitatis Acad. Oxon. ibid.*

ibid. a. 1608. *in 4.* edita, et LANGBAINII libro, supra memorato, fontibus haud indicatis, contendit. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1721. *p. 558.* Indices Operi non accesserunt, quod vtique necessarium erat, ob Scriptorum, qui nominantur, multitudinem. Postea idem Auctor, nomine suo non adiecto, *Londini a.* 1691. *et* 1692. *in fol. Vol. II.* luci exposuit *Athenas Oxonienses: an exact History of all the Writers and Bishops, who have had their education in the Vniversity of Oxford*; i. e. *Historiam adcuratam omnium Scriptorum atque Episcoporum, qui sunt in Vniuersitate Oxoniensi educati.* Incepit ab anno Christi quingentesimo supra millesimum, perrexitque vsque ad finem anni nonagesimi superioris saeculi. Cognoscere hic licet ortum, fortunam, munera, res gestas obitumque omnium Scriptorum ac Praelatorum, quotquot ex Oxoniensi Academia prodierunt, siue in Anglia, siue extra eam, aut nasci, aut domicilium constituere ipsis contigerit. Illi numerum explent mille ducentorum ac duodecim: hi ducentorum nouemque et septuaginta. Adduntur saepe fata et characteres librorum, ab iisdem confectorum, tandemque *Fasti* etiam *Oxonienses.* Vid. *Acta Eruditorum Lat. a.* 1692. *p. 35.* et *Supplem. Tomus II p. 569.* Adiutorem habuit Woodius Ioh. Albericum, (seu Aubrey,) adolescentem, a 1642. Collegio Trinitatis apud Oxonienses adscriptum, quem in intimam receperat amicitiam, vti legitur in eodem Diario *a.* 1722. *p.* 550. Diu hoc etiam Opus notam habuit raritatis, praecipue Volumen alterum, quod, ab Academia damnatum, carnificis manu concrematum dicitur. Ita certe OTTO MENCKENIVS ad GVIL. CAVEVM olim: *Athenarum Oxoniensium Partem secundam tantum abest, vt acceperim, vt ne viderim quidem, imo vt damnatam, et manu carnificis exustam, citius, quam editam, cognouerim. Caussam, cur tam dira fata Opus*

hoc

hoc subierit, adbuc dum ignoro, nisi quod in Nouellis publicis relatum memini, illustri, nescio cui, familiae maculam in eo adspersam fuisse. Vid. *Miscellan. Lips. noua Vol. I. Parte 2. p. 353.* Clarius id explicat SCHELHORNIVS *Amoen. litt. T. IX. p. 745.* Scilicet *in biographia*, inquit, *Eduardi Comitis de Clarendon multa protulisse acerbiora videbatur Auctor. Folia igitur illa, quibus ea continentur, flammis publica auctoritate mancipata fuerunt. Sunt et, qui integrum eius Operis Tomum II. eam fortunam esse passum perhibeant.* Nunc vero noua prostat editio, *Londini a.* 1721. *in fol. Volum.* itidem II. adornata, et quingentis fere aucta Vitis, e schedis Wodii depromtis, quas Volumini III. haud dubie destinauerat, vt id Supplementi esset loco. Sed istud consilium interuertit mors, qua anno 1695. exstinctus est. *Acta Erud. Latin. Supplementor. T. II. p. 569.* In hac editione, mutata rerum facie, restituta legitur *Tomo II. col. 386.* narratio illa, cuius caussa is ipse, rem vrgente Comite Clarendonio, filio, combustus fuerat. Cf. omnino BAVMGARTENII *Nachr. von einer Hällisch. Bibl. Vol. V. p. 279. sq.* quo simul loco docetur, parum esse commodam Operis lectionem, multaque negligenter, et sine iusto dicta ordine, passim deprehendi. Add. *Biblioth. Angloise Tomo XI. P. I. art. 1.* ex quo obseruatur in *den Leipz. gel. Zeit. a. 1724. p. 694.* nec noua membra distincta probe fuisse ab antiquis, nec de ipsa Auctoris vita singularem relationem accessisse, nec Indicem vllam laudem mereri, quippe huius conditorem videri summis viribus contendisse, vt ille Index omnes alios nullius momenti superaret. Additiones et correctiones Athenarum et Fastorum Oxoniensium HVMPHREDI HVMPHREY, lingua Anglica exaratae, sunt insertae *Vol. II. p. 606. sq.*

ſq. THOMAE CAII *Vindiciarum Antiquitatis Acad. Oxonienſis*, quem librum ex autographo *a.* 1730. *in 8. mai. Oxonii* emiſit THOM. HEARNIVS. Eodem in Volumine Vita etiam Wodii, a ſe ipſo compoſita, occurrit, ex qua plura etiam peti poterunt de eius Operibus ſcitu neceſſaria. *Danmonii orientales illuſtres*, ſeu Vitae fortunaeque celeberrimorum Theologorum, Politicorum, Militum, Medicorum, Scriptorum, aliorumque Virorum inſignium, quibus in *Deuonia* naſci contigit, a temporibus, Normannorum inuaſionem praecedentibus, ad praeſentem vsque aetatem, ſecundum alphabeticum ordinem, e probatiſſimis Auctoribus, tam excuſis, quam manu ſcriptis, lingua Anglica enarrantur a IOH. PRINCE. Opus *Exonii a.* 1701. *in f.* prodiit, et verus eſt rei litterariae theſaurus, armis etiam gentilitiis conterraneorum ſuorum ab Auctore diſtinctus. Maiorem tamen praeſtaret vſum, ſi hunc ipſum librum inſtruxiſſet Indicibus, vel ſaltim, euoluentium gratia, nomina omnia ſub vnius tabulae conſpectu exhibuiſſet. Agunt de eodem ſatis copioſe *Acta Erud. Lat. a.* 1702. *p. 281. ſq.* Collegii Greshamenſis Profeſſores apud *Londinenſes* praeclare deſcripſit IOH. WARD. Accepimus enim *Londini a.* 1740. *in f. The Lives of the Profeſſors of Gresham College*, caet. Perdiligenter recenſentur hae Vitae, aliquot figuris aeneis ornatae, in *den zuverläſſigen Nachr. Vol. V. Parte 49. p. 1. ſq.* finisque tandem ſermoni his verbis imponitur: *Diejenigen, die dieſes Werck ſelbſt leſen, werden uns Beyfall geben, wenn wir die Profeſſores des Greshamiſchen Collegii glücklich ſchätzen, daſs ſie einen ſo geſchickten Geſchichtſchreiber ihres Lebens, und ihrer gelehrten Bemühungen bekommen haben.* De Scriptoribus HIBERNIAE libros duos *Dublini a.* 1639. *in 4.* edidit IAC. WARAEVS. Prior continet eos, qui nati ſunt in Hibernia: alter alios,

qui

qui munera ibidem obierunt. Plana eius et commoda dicendi ratio laude sua fraudari non debet. Plurima vero desumta sunt ex BALEO, et RICH. STANIHVRSTI *de rebus in Hibernia gestis libris IV. Antwerp. a.* 1584. *in 4.* Nunc illud Waraei Opus, ex eiusdem schedis passim adauctum, Angliceque redditum, accessit ipsius Antiquitatibus et Annalibus Hiberniae, qui bini libri, eandem in linguam translati, *Londini a.* 1705. *in f.* diuulgati sunt hac inscriptione: *The Antiquities and History of Ireland.* Vid. NICERONII *Vitae, Parte XIV. p. 367. edit. Germ.* et *Acta Erud. Lat. a.* 1724. *p. 430.* Debetur quoque Waraeo *Hibernia sacra*, siue *series chronologica Hiberniae Praesulum*, qui Commentarii paullo ante mortem Auctoris *Dublini a.* 1665. *in f.* prodiere. Exponit hic Episcoporum Vitam, et actiones maxime memorabiles, ab anno post natum Seruatorem 432. vsque ad dictum annum 1665; et id quidem facit vere, libere, candide, vti profitetur ipse in *Praefatione* praefixa, subiungens, se partes quidem aliquas huius pensi in lucem iam dudum emisisse, (respicit ad Scriptores Hiberniae) sed et iis non pauca nunc addidisse, prius omissa. Cf. *Thesaurus Bibliothecalis, Vol. II. p. 286. sq.* Noua editio, *Dublini* et *L. B. a.* 1717. *ead. forma* producta, memoratur in *Catal. Biblioth.* FR. OTTON. MENCKENII, *P. II. p. 269.* Anglice redditum quoque Opus, *Dublini*que *a.* 1704. *in fol.* excusum adiunctum est *Antiquitatibus* eius et *Historiae Hibernicae*, modo indicatae. Vid. *Bibliotheca* IOH. B. MENCKENII *p. 659. edit. sec.* De noua omnium Operum Waraei editione v. *Leipz. gel. Zeit. a.* 1743. *p. 593.* SCOTORVM denique Vitas eruditorum summo studio elaborauit GE. MACKENZIE, Medicus Edenburgensis. Rarissimum possident Opus, quorum in Bibliotheca sunt eiusdem *Lives and Characters of the most eminent Writers*

Writers of de Scots Nation, with an Abstract and Catalogue of their Works, their various editions and the judgement of the learned concerning them. Vol.I. *Edenburgi a.* 1708. Vol. II. *a.* 1711. Vol. III. *anno* 1722. *in f.* impressum typis est. Vid. de eo labore *Supplementa Act. Erud. Tom. VII. p. 425. sq.* et *Biblioth. Angloise, Tom. II. Parte 2. art. 5. p. 543. sq.* Nec tamen solis Vitis describendis intentus est Auctor, sed latius non nunquam exspatiatur, et varia pertractat, oblata occasione, argumenta, quae vix in hoc opere quaesiueris.

§. XXI.

BELGAE quoque, de Scriptoribus suis solliciti, tentarunt idem, quod aliae gentes. PANCRATIVS quidem CASTRICOMIVS *Nomenclatorem Scriptorum Latinorum Hollandiae, Zelandiae et Vltraiecti* edidit *L. B. a.* 1601. *in 4.* At merus hic est nominum Index, teste ANDREA apud LABBEVM *Bibl. Biblioth. p. m. 166.* Post hunc AVBERT. MIRAEVS proposuit *Illustrium Galliae Belgicae Scriptorum Icones et Elogia, Antwerp. a.* 1602. *in 8.* et 1608. *in f.* quae est optima editio, et auctior. Aliam *in 4.* annum 1609. praeferentem nonnulli adducunt: Sed vix credendum, intra tam breue temporis spatium bis esse hunc librum, et eadem quidem in vrbe, recusum. Hic Miraeus panegyristen agit modo et in solis haeret elogiis eorum, qui sacris Pontificiorum fuere addicti. In his vnum elogium praeferendum omnino esse alteri, optimumque videri, quod Ioh. Gorop. Becano scriptum, pessimum e contrario, quod Desiderii Erasmi dicatum est memoriae, quippe ieiunius, quam esse debebat; et partium studio, velut fermento quodam, totum infectum, contendit REIMMANNVS *Catal. Bibl. Tomo II. p. 551.* Saepius eundem ex SAMMARTHANI *Elogiis Gallo-*

rum furto ignobili profecisse, obseruat HEVMANNVS in *§. XII. Praefationis*, nouae Sammarthani editioni praemissae. Successit VALER. ANDREAE, (qui se a patria Dessellio, pago Brabantino, *Dessellium* vocauit, vti in Catal. claror. Hispaniae Scriptorum *Taxandrum*,) *Bibliotheca Belgica, de Belgis vita scriptisque claris, Louanii a.* 1623. *in 8. ibidem*que, tertia parte auctior, *a.* 1643. *in* 4. quae editio hodie rarius inuenitur. In hac autem Bibliotheca Scriptores, ordine alphabetico, secundum praenomina recensentur, cum vita eorum scriptisque, quorum Catalogus plerumque adcuratus est, Vitae e contrario breuiores adparent. Facile animaduerti tamen potest, Auctorem strenuum fuisse dogmatum Pontificiorum sectatorem. Neglexit enim, vel non sine sugillatione nominauit eos, qui ab hisce sacris se professi sunt alienos, quod variis exemplis probat REIMMAN. *l. c. p.* 132. Laudat caeterum librum, at nimis forsitan, his verbis: *Non aequalem habet Auctor in hoc argumento, nedum superiorem, qui Scriptorum Belgicorum vitas et scripta,* ἔκδοτα et ἀνέκδοτα, *elogia etiam interdum, ita commemorat, vt praeferri omnibus aliis mereatur, qui eandem incudem tundere sustinuerunt.* Quinquennio post primam Bibliothecae, ab ANDREA adornatae, editionem, *anno* quippe 1628. *Antwerpiae in f.* prodierunt FRANC. SWEERTII *Athenae Belgicae, siue Nomenclator inferioris Germaniae Scriptorum, qui disciplinas philologicas, philosophicas, theologicas, iuridicas, medicas et musicas illustrarunt,* caet. Lectu dignissima sunt et ad historiam libri pertinent, quae V. C. DAV. CLEMENT differit in *Biblioth. de livres dificiles à trouver, Tom. I. p. 317.* Audiamus ipsum! *Valere André,* ait, *avoit été Secretaire du P.* André Schott, *qui lui conseilla de travailler à cette Bibliotheque.*

theque. Il s' occupa pendant plusieurs anneés à en rassembler les matériaux, et l' envoia enfin à Bruxelles en 1615. pour la faire imprimer. Elle passa par les mains de tant de personnes, qu'elle se perdit en quelque façon, et ne se retrouva qu'apres avoir été cachée pendant cinq ans. Enfin l' Auteur aiant recouvré son Manuscrit, le fit imprimer à Louvain en 1623. in 8. François Sweertius *aiant visité le* P. Schott, *dans le tems même, que cette Bibliotheque étoit perdue: le dit Pere l'excita à en entreprendre une autre, parcequ'il estimoit, que* Valere André *étant occupé à des afaires de plus grande consequence, ne penseroit peut-être plus à cet ouvrage.* Sweertius *suivit le conseil du* P. Schott, *et travailla de son côté, à former une nouvelle Bibliothéque Belgique, pour reparer la perte, que le Public auroit faite en celle de* V. André, *qui avoit disparu. En attendant, la premiere se retrouva: et l'Auteur en hata l'impression, pour prévenir* Sweertius. V. André *jaloux de ce, que* Sweertius *avoit jetté la faucille dans sa moisson, ne put pas s'empêcher d'en dire quelques mots dans sa Préface, et de publier, que* Sweertius *avoit pillé sa Bibliotheque, et en avoit tiré la plus grande partie de son Ouvrage, ce qu'il repete hautement dans l'Edition de l'an 1643. in 4to, p. 244.* Fr. Sweertius *ne laissa pas de continuer son Recueil. Il le fit imprimer à Anvers en 1628. in f. sous le Titre d'* Athenae Belgicae. *Il ne manqua pas de ce plaindre du tort, que* V. André *lui avoit fait, de le décrier comme un Plagiaire: il le relança à son tour dans la Préface, et de nouveau p. 698.* V. André *ne perdit point son livre de vuë, il y fit des augmentations considérables, et le donna au public augmenté d'un tiers, en 1643. in 4.* Sweertius *n' a plus pensé à son Ou-*

vrage, ist est devenu rare, aussi bien que celui de Val. André. Aliqua etiam ex parte huc facit ADRIANI PARS *Index Batauicus of Naamrol van de Bataviſe en Hollandſe Schryvers* caet. qui liber *L. B. a. 1701. in 4.* lucem adſpexit. Auctor eos omnes, qui a Iulii Caeſaris aeuo ad noſtram vsque aetatem de Batauis, eorumque origine, geſtis, inſtitutis, fatis, quidquam memoriae prodiderunt, recenſere, horum enarrare ſcripta, ac doctorum de iisdem iudicia, aliaque, quorum haberi ratio in Hiſtoria litteraria ſolet, copioſe ediſſerere ſuſtinuit. Vltra trecenti ſunt horum Virorum, interque eos triginta, quorum ſimul exhibetur effigies. Cf. *Acta Erud. Lat. a. 1702. p. 131. ſq.* Nouiſſime IOH. FRANC. FOPPENS in lucem conſpectumque protulit *Bibliothecam Belgicam*, ſiue *Virorum in Belgio vita ſcriptisque illuſtrium Catalogum, librorumque nomenclaturam, continentem Scriptores, a* VAL. ANDREA, AVB. MIRAEO, FRANC. SWEERTIO, *aliisque recenſitos, vsque ad annum* 1680. Tomi ſunt II. compluribus eruditorum Iconibus exornati, (tres enim et ſexaginta ſunt ſupra centum,) editique *Bruxellis a.* 1739. *in 4. mai.* Tomus III. iis deſtinatus, qui ab anno 1680. inclaruerunt in Belgio, promiſſus itidem fuit ab Editore, fruſtra tamen ad hunc vsque diem exſpectatur. Nec difficulter ex Praefatione poteſt intelligi, alieno ingenio hunc laborem relinquere maluiſſe Foppenſium. Reſtituta quidem hic ſunt hominum antea nominatorum monumenta, rarius obuia, multaque acceſſerunt Supplementa, quae nouae editioni praerogatiuam gratiamque conciliant. Habet tamen Opus varios etiam naeuos. Foppenſius quippe vel in compendium redegit quaedam, vel plane praetermiſit, vel vnum in corpus confudit; adeoque ſuum porro pretium conſtabit editionibus prioribus. Deinde, praeceſſo-

rum

rum exemplo, parcus eſt admodum in recenſendis eorum vitis, qui coetui Pontificio nomen non dederunt, imo religio eſt ipſi prope eorum meminiſſe. Tandem vero, quod ad imagines attinet, eas corraſas eſſe vtique, ex forma diuerſa patet; neque diſſimulatur in Praefatione, tabulas fuiſſe adhibitas, quae iam in MIRAEI *Elogiis* et BVLLARTI *Academie des Sciences* vſum praeſtiterant. Plura vid. apud CLEMENT *l. c. p. 317.* et in *Supplem. ad Noua Acta Erud. T. VII. p. 289. ſq.* item in *Nouvelle Bibliotheque m. Nov. 1739. art. 1.* Addendus eſt vltimo loco HENR. LVDOLFI BENTHEMII *Holländiſch. Kirch- und Schulen-Staat*, *Martisb.* 1698. *in 8.* vbi *Parte II. cap. 4. p. 161. ſq.* non pauca diſſeruit, quae ad cognoſcendos Belgii Viros doctos, eorumque ſcripta, pertinent. In his tamen exactior non nunquam diligentia deſideratur vna cum rerum praecipuarum Indice, quibus et vitiis laborare eiusdem *Engelländiſch. Kirch- und Schulen-Staat*, ſupra monui. Rarior factus nunc liber. Hi ſunt generales de Vitis eruditorum in Belgio Scriptores. Dicendum nunc de ſingularibus. *Brugenſes* eruditionis fama clari delineantur in ANTON. SANDERI *Flandria illuſtrata*, *Tomo II. p.* 152. *ſq. edit. nouiſſ. Hagienſis.* Antea editus fuerat liber ſeparatim *Antwerp. anno* 1624. *in 4.* Carere autem facile poteſt eodem, qui ANDREAE SWEERTIIque Commentarios habet, vtpote pleniores et adcuratius ſcriptos. De *Dauentrienſibus* egit IAC. REVIVS in *Dauentriae illuſtratae libris VI. vsque ad a.* 1641. *productis*, *L. B.* 1651. *in 4.* vbi ſtatum vrbis ciuilem ac litterarium exponens multas quoque hominum doctorum Vitas inſeruit. *Flandriae* Scriptores libris III. *Antw. a.* 1624. *in 4.* exhibuit ANT. SANDERVS. Conſulenda et hic eiusdem *Flandria illuſtrata*, primum *Colon. Agripp. a.* 1641. et 1644. *Tomis II. in f.* Au-

ctoris impensis edita, atque ob summam raritatem *Hagae Com. a.* 1732. *ead. forma* recusa. De Scriptoribus *Frisiae* prostant Decades XVI. et semis, a SVFFRIDO PETRI *Col. Agripp. a.* 1593. *in 8.* diuulgatae, typisque nitidis repetitae *Franequ. a.* 1699. *in 12.* Incipit a tribus, antequam Christus natus est, saeculis, et ad sua vsque tempora progreditur, modoque breuiter, modo fusius Scriptorum de rebus Frisiorum Vitas recenset. Sunt inter hos tamen, qui nunquam exstiterunt, ideoque caute legendus libellus. Cf. *Biblioth. histor. Hamburg. Centur. VII. p.* 275. *sq.* et, ad quam ibidem prouocatur, *Bibl. libr. nouor.* NEOCORI et SIKII, *Tomo V. m. Septembr. et Octobr. p.* 673. MARTINI HAMCONII *Frisia, seu de Viris rebusque Frisiae illustribus libri II. Franequ. anno* 1620. iterumque auctius et emendatius, variisque imaginibus adiectis, *Amstael. a.* 1623. *in 4.* editi, non magno admodum vsui hic erunt; versibus enim Hamconium omnia expressisse, disco ex *Lexico Erud. Ioecheriano, Tomo II. p.* 1339. Nouissime prodiit, Auctore EMONE LVCIO VRIEMOET, LL. Orient. Professore, tamen anonymo, *Series Professorum et Lectorum Academiae Frisicae, quae est Franequerae; accedentibus Fastis Rectoralibus, et Syllabo eorum, qui Senatui Academico fuerunt ab Actis, vt et Bibliothecariorum, Franequ. a.* 1745. *in 8. mai.* Paucarum est plagularum libellus, parum apud nos obuius, at inter Biographos non vulgari dignus loco. Laudatur igitur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1746. *p.* 540. hoc addito, varia exinde suppleri emendarique posse, ab aliis omissa, vel perperam memorata. Cf. etiam *Acta Erud. Lat. a.* 1747. *p.* 543. vbi significatur, non tota hic ex diuersis monumentis collecta Elogia offerri, sed velut maioris Operis, cuius facta spes est, ἀποσπασμάτια. Post in medium proferuntur singulorum Professorum Lectorumque nomina,

nomina, quorum sunt multi nec in Frisia, nec in reliquis Belgii prouinciis nati. Claros eruditione Viros, qui *Gandaui* floruerunt, libris III. ab obliuione vindicauit SANDERVS, aliquoties iam adductus. Et hic ipse Commentarius *Antw. a.* 1624. *in* 4. exiit, posteaque suum nactus est locum in *Flandriae illustratae Tomo I. p. 341. sq. edit. nouae.* His itidem, et prioribus Sanderi libris, quorum iam iniecta mentio, vsus est FOPPENSIVS in *Bibliotheca Belgica.* Professorum, qui in Academia *Groningensi* floruerunt, effigies et Vitae *Groningae a.* 1654. *in f.* prodiere. Imagines iterum *a.* 1725. luci exposuit FRID. ROTHSCHOLTZIVS, qua de re v. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1725. *p. 588.* At meliora praestitisset Editor, si Vitas etiam, haud frequenter parabiles, subiunxisset. Non pauca in iisdem singularia inueniri, BAVMGARTENIVS *Vol. VII. der Nachricht. von merckwürd. Büch. p.* 537. merito adserit. *Hannoniae* doctorum Elogia et scripta carmine complexus est PHIL. BRASSAEVS, seu BRASSEVR, quem librum *Sidera illustrium Hannoniae Scriptorum* nominauit. Excusus est *Montibus a.* 1637. *in* 8. *ibidem a.* 1639. *in* 4. accedente *Bibliotheca Hannoniae*, ab eo ipsa composita. Vterque autem liber parum est cognitus. De *Harderuicensis* Academiae Professoribus varia memorabilia legenti offeruntur in IOH. SCHRASSERT *Harderuico antiquo*, lingua Belgica primum edito *Harderv. a.* 1730. ac denuo *ibid. anno* 1732. *in* 4. Partibus II. Cf. *Noua Acta Erud. Lat.* in *Supplem. Tom. V. p. 196.* vbi de Curatoribus et Professoribus Academiae Harderuicensis succincte commentari Auctorem adfirmatur. Professorum *Louaniensium* propagare memoriam studuit NIC. VERNVLAEVS, cuius exstant *de Academia Louaniensi libri III. in quibus eius origo, incrementum, forma, magistratus, Facultates, priuilegia, scholae, Col-*

 legia,

legia, Viri illustres, res gestae, describuntur Louanii, a. 1627. *in 4.* Recognitum librum auctumque per CHRIST. A LANGENDONCK, et *ibidem a.* 1667. *in 4.* recusum esse, docet IOH. HENR. BVRCKHARDI *Bibliotheca, P. I. p. 75.* At rarius hodie conspicitur. Huc et pertinent VALERII ANDREAE *Fasti Academici Studii generalis Louaniensis*, i. e. origo et institutio Academiae, series Rectorum et Cancellariorum, Conseruatorum, Doctorum in qualibet Facultate caet. *ibidem a.* 1635. et, ex editione longe auctiori, 1650. *in 4.* de qua posteriori lis olim orta inter IOH. CHRISTOPH. COLERVM et HEVMANNVM. Vid. CLEMENT *Bibl. de livr. disic. à trouver, T. I. p. 317. sq.* In eo libro, cuius editio altera, parum obuia, eruditis in pretio est praecipue, multa quidem ieiune sunt dicta, alia vero scitu haud esse indigna, obseruat COLERVS *Anthologiae Fasc. III. p.* 240. quo et loco recitat ordinem seriemque Theologorum Louaniensium, ab ANDREA productorum. Idem Auctor *Louanii a.* 1614. *in 4.* diuulgauit libellum *de initiis ac progressu Collegii Trilinguis Buslidiani* (ab Hier. Buslidio sic vocati, qui hoc instituit, vt linguae Ebraica, Graeca et Latina illic excolerentur,) *deque vita et scriptis Professorum eiusdem Collegii.* Ibi memorata postea inserta partem maximam *Fastis Academicis* fuisse *Cap.* XIII. *p.* 164. *sq. edit. prioris* video; ipseque in hoc libro, *p. 2. ex scriptis a me alias*, inquit *pauca hic retexta.* De *Leidensis* Academiae Viris doctis meritus bene est IOH. MEVRSIVS. Edidit is primum, nomine suo non adscripto, *Lugd. Bat. a.* 1613. *in 4. illustrem Acad. Lugd. Batauam:* i. e. *Virorum clarissimorum Icones, Elogia ac Vitas, qui eam scriptis suis illustrarunt.* Recusus est libellus elegans *ibid. a.* 1614. *eadem forma*, hoc titulo: *Alma et illustris Academia Leidensis*, i. e. *Icones atque Vitae Principum Aurangiae, Academiae Fundatorum,* *Cura-*

Curatorum et Professorum caet. Cf. STOLLII *Nachr. von den Büch. seiner Biblioth. P. II. p. 112. sq.* quo etiam ex loco patet, mutatum eundem passim esse, nouisque Vitis locupletatum. Ipse Meursius se profitetur auctorem in *Praefatione Athenis Batauis* praemissa, qui liber ibidem *a.* 1625. iterumque *a.* 1633. *in* 4. prodiit, teste HEVMANNO *Biblioth. Academ. p. 113.* In his autem Athenis Batauis, quae agunt de vrbe Leidensi, Academia, et Viris claris, qui in ea floruerunt, omnia repetita fuerunt, priori libro exposita. Recensentur eruditorum quinquaginta Vitae, quum in prima editione saltim exstent quatuor ac triginta, singulisque imago aere expressa accedit. Nonnullae tantum Vitae sine Iconibus sunt obuiae. Deest Index, quod legentibus molestum. Locum quoque suum obtinuit hic Meursii liber in *Operibus* eius omnibus, quae IOH. LAMIVS *anno* 1741. *sq. Tomis X. in fol. Florentiae* produxit elegantissime. Ibi exstant *Tomo X. p.* 433. *sq.* Pauca de Athenis Batauis memoranda restant. Non desunt, qui Meursium ex antiquo Manuscripto, Auctoris suppresso nomine, sua desumsisse, contendunt. At iniuriam fieri eidem, ex Praefatione, supra adlata, manifestum est. Ibi enim candide fatetur, vrbis Leidensis descriptionem ex IOH. IANSON. ORLERI *Beschryvinge der Stadt Leyden*, qui liber *L. B. a.* 1641. Parte tertia locupletior recusus est *in* 4. fuisse excerptam, et ab se Latine redditam: Vitas quoque Professorum deberi variis, quod non difficulter stili dissimilitudo aperiat, neque famae amplificandae caussa, sed potius vt bibliopolae ad voluntatem sese adcommodaret, rem omnem esse susceptam. Fundatoris, Curatorum et Professorum, aliorumque illustrium Virorum, quos Academia Lugduno-Batava habuit, effigies *ibidem anno*, vt suspicor, 1722. *in f.* repraesentauit

PETR. VAN DER AA, quo de conatu recte sentiunt Collectores *Acta Erud. Lat. a.* 1723. *p.366.* optandum esse, vt, ad exemplum libri Meursiani, si non alia, quae ad Vitas spectant, annus saltim ac dies, quo quisque ortus erat vel mortuus, imaginibus adiectus fuisset. *Traiectum eruditum, Virorum doctrina illustrium, qui in vrbe Traiecto, et regione Traiectensi nati sunt, siue ibi habitarunt, Vitas, fata, et scripta exhibens, auctore* CASP. BVRMANNO *Vltraiecti a.* 1738. *in* 4. lucem adspexit. Egregie suis functus est partibus, passim tamen in rebus etiam leuissimis iusto videtur operosior. Cf. *Acta Erud. Latin. a.* 1742. *p.* 451. itemque *die zuverläss. Nachricht. Vol. I. Parte* 5. *p.* 297. *sq.*

§. XXII.

Nec desunt inter POLONOS, qui de Vitis eruditorum suorum ciuium egerunt. Primus hoc tentauit SIMON STAROVOLSCIVS, cuius *Scriptorum Polonicorum* Ἑκατοντὰς, *seu centum illustrium Poloniae Scriptorum Elogia et Vitae Francof. a.* 1625. *in* 4. diuulgatae sunt. Typis repetitum fuit Opusculum *Venetiis a.* 1627. *in* 4. *mai.* et *Vratislauiae a.* 1733. *in* 4. Rarissima est atque optima editio Veneta, longe auctior quippe et emendatior, quam non adhibuit librarius Vratislauiensis, vel adhibere forsitan non potuit. Breuiter quidem, ac saepius negligenter, hoc argumentum pertractauit Auctor, multa tamen interspersit quoque singularia; quae magis placerent, si maledictis abstinuisset agrestibus, quae, oblata quauis occasione, in Lutherum coniecit, eiusque doctrinam sequentes. Vid. e. g. *Cap. XI.* de Andrea Patricio; *Cap. XXVII.* de Antonio Anapachanie; *Cap. LVIII.* de Stanisl. Orechonio; *Cap. LIX.* de Iac. Prilusio. Cuiuis Elogio subiectum est Epigramma, nonnunquam plura, IAC. VI-

TELLII, IOH. IASCROVII, et aliorum. Aegre ferendum omnino, non prodiisse emendationes et additiones, quibus ornare olim voluit librum IOH. GOTTLIEB KRAVSIVS, vt memorat V. C. IOH. DAN. IANOZKI in *der Nachr. von raren Pohlnischen Büchern*, *Parte II. p. 93.* Inuentu rarissimus itidem erat olim, imo inter Phoenices librorum numerandus, eiusdem STAROVOLSCII *de claris Oratoribus Sarmatiae* Tractatus, *Florentiae a.* 1628. *in 4.* excussus, in quo octoginta circiter Virorum Elogia, admodum diserte composita, variisque Obseruationibus litterariis, veluti flosculis, consperfa, leguntur. Vid. IANOZKI *l. c. p. 95.* Nunc libellum hunc denuo *Varsouiae* in sua, quam ibidem habet, officina, *anno* 1758. *in 8.* typis imprimendum curauit illustris LAVR. MIZLERVS, cum breui Auctoris, eiusque Operum notitia. Mox autem diuenditis exemplaribus insertus est *Actis litterar. regni Polon. Trimestri II. anni* 1756. *p.* 77. *sq.* Vid. *Anhang zu Krafts neuen theolog. Biblioth. Parte I. p. 63.* Nostrae aetatis initio PAVLI Comitis POTOCKI *Saeculum Bellatorum et Togatorum, vel Centuria Elogiorum clarissimorum Virorum Polonorum et Lithuanorum* exhibita est. Factum id *Cracouiae* circa *annum* 1702. *in* 4. Sed in fatali quodam incendio non nulla tantum exemplaria seruata fuere. Restituit postea librum, sexaginta bellatores, et quadraginta homines, togae dotibus eminentissimos, continentem, reuerendissimus Vir, IOSEPH. ANDR. Comes ZALVSKI, in *Operibus Potockianis, Varsouiae a.* 1747. *in f.* diuulgatis. DAVID porro BRAVNIVS in *Catalogo de Scriptoribus Poloniae et Prussiae, Coloniae* seu *Elbingae* potius, *a.* 1723. *in 4.* qui *Gedani a.* 1739. nouum nactus est titulum, non pauca de patria, aetate, dignitatibus, libris, eorumque editionibus, scribendi ratione, virtutibus ac vitiis Historicorum, Politicorum et Ictorum,

rum, qui apud Polonos atque Borussos floruerunt, adcurate plerumque, ac magna iudicandi libertate, disseruit. Neque vero eundem a partium studio alienum esse, passim in libro laudato contendit IANOZKIVS, a quo *Vratisl. a.* 1750. *in 8. mai.* Partem I. accepimus *Poloniae litteratae nostri temporis*, vbi tamen parcior in Vitis delineandis, liberalior in elogiis fuit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1751. *p.* 69. Idem parauit nuper *Lexicon der ietztlebenden Gelebrten in Pohlen*, cuius Pars I. et II. *ibidem eademque forma a.* 1755. prodiit. Indicant illud *die Götting. gel. Anzeigen a.* 1755. *p.* 589. *sq.* Quae restant supplenda forte, ea propediem, vt sperandum, addet Viri politissimi diligentia, idque eo lubentius, quo maiori plausu excepti fuere ipsius de doctis Poloniae hominibus Commentarii. Absolutissimum foret Opus, si, quam olim est meditatus laudatissimus Comes ZALVSKI, *Historia Sarmatiae litteraria* aliquando in lucem conspectumque produceretur. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1730. *p.* 1. Addam nunc singulares quosdam Vitarum Scriptores. Pertinent huc Vitae Episcoporum *Posnaniensium*, a IOH. LONGINO, siue DLVGOSSIO, exaratae, operaque THOMAE TRETERI *Brunsbergae a.* 1604. *in* 4. editae cum insignibus Episcoporum, eleganter ligno incisis. Supplementum adiunxit TRETERVS. Plura de hoc viginti plagularum libello, pro conditione temporum haud contemnendo, congessit IANOZKIVS in *der Nachr. von raren Pohlnisch. Büchern, P. I. p.* 94. *sq.* Idem *p.* 101. *sq.* differit de IAC. SCROBISSEVII Vitis Archiepiscorum *Haliciensium* et *Leopoliensium*, excusis *Leopoli a.* 1628. *in* 4. totidem plagulis, vbi varii etiam Viri, doctrina clari, breuiter describuntur. De *Miechouiensibus* egit SAM. NAKIELSKI in *Miechouia, siue Promtuario Antiquitatum Monasterii Miechouiensis, Cracouiae, a.* 1634. *in f.* Multa hic

hic reperiri ad Vitas eruditorum Polonorum generatim cognoſcendas, atque paſſim emendari exinde ſupplerique poſſe STAROVOLSCIVM, IANOZKIVS *l. c. p. 109.* ſignificat, ſingularique Collectione diſperſa haec digna cenſet. Poſt prodiit eiusdem STAROVOLSCII Opus, Vitas Antiſtitum *Cracouienſium* continens, *ibid. a.* 1655. *in f.* Vid. IANOZKIVS *l. c. p. 79.* vbi profitetur, ſe iudicium de hoc ipſo *nouis Epiſtolis criticis*, Germanice diuulgatis, *Parte LXXIII.* inſeruiſſe. Iſtae vero non ſunt ad manus. De Viris vtriusque BORVSSIAE litteratis, et eorum Vita, complura egregie collecta occurrunt in *dem gelehrten Preuſſen*, *dem continuirten gelehrten Preuſſen*, *erläuterten Preuſſen*, *dem Preuſſiſchen Todes-Tempel*, *Actis*que *Boruſſicis*, quae omnia Diaria in Capite *de Ephemerid. eruditor. Sect. I. §. 36.* et *Sect. II. §. 8.* copioſius memoraui. Centuriam talium hominum DAN. HENR. ARNOLDVS Parti II. *Hiſtoriae Academiae Regiomontanae*, *Regiom. a.* 1746. *in 8. mai.* noſtra lingua editae, *p. 474. ſq.* ſubnexuit. Succeſſerunt *ibid. a.* 1756. Additiones cum ducentis Vitis et quinquaginta eruditorum. Nuper Medicorum Boruſſicorum Vitas etiam promiſit ERN. GODOFR. KVRELLA. Vid. *der Hamburg. Correſpondent*, *a.* 1755. Parte LXIV. Inter eos autem, qui vnius territorii eruditos propoſuere, referendum eſt laudati ſupra TRETERI de *Epiſcopatu et Epiſcopis Eccleſiae Varmienſis* Opus poſtumum, quod eius ex fratre nepos, MATTHIAS A LVBOMIERZ TRETERVS, *ibid. a.* 1685. *inf.* publicauit. Primas inſtituti lineas duxerat IOH. KRETZMARVS lingua Germanica, quas ſchedas Latine reddidit Treterus auxitque. Mortuo poſtea eo curam editionis ſuſcepit nepos, et varios adiecit maiori ſtudio doctrinaeque vbertate, quorum a patruo mentio iniecta non fuerat. Vid. et hic IANOZKIVS *l. c. Parte III. p. 48. ſq.* De

Geda-

Gedanensibus exstant EPHR. PRAETORII *Athenae Gedanenses*, *Lips.* 1713. *in 8.* vbi Auctor Gymnasii originem praesentemque tunc temporis faciem, vna cum Rectorum ac Professorum Vitis, quanta fieri potuit, industria delineauit. Recensetur libellus in *Actis Erud. Lat. a.* 1713. *p.* 103. ANDR. SCHOTTVS *Analecta* parauit ad eundem, quae exstant in *Actis Iubilaei secundi Gymnasii Gedanensis*, *Gedani a.* 1759. *in f.* excusis, *Parte I. artic.* 24. Sequutum est mox Praetorii conatus ANDR. CHARITII Opusculum ita inscriptum: *Commentatio historico-litteraria, de Viris eruditis, Gedani ortis, speciatim iis, qui scriptis inclaruerunt. Vitemb. a.* 1715. *in* 4. Latiorem ingressus est campum Charitius, omnesque ordine alphabetico protulit, ac praecipua de iis enarrauit, qui Gedanum nacti sunt patriam. Viuentes adhuc noluit in chorum recipere. Honestum erat Auctoris propositum, at non exactam satis ipsum diligentiam adhibuisse, fusius ostendit GE. DAN. SEYLERVS in *dem gelehrten Preussen, Vol. II. Parte* 5. *art.* 1. *p.* 307. *sq.* Quam censuram probat, et Charitii Commentationem ieiunam dicit, vitiosam mancamque IANOZKIVS *l. c. Parte III. p.* 89. Spicilegium ad eandem instituit, ac Dissertatione publica, praeside MICH. CHRISTOPH. HANOVIO, *Gedani a.* 1729. exposuit frater, CHRIST. FRIDER. CHARITIVS. Vitas Professorum *Regiomontanorum* ARNOLDVS libro supra adducto, *Parte II. p.* 152. *sq.* memorauit paucis, eorumque scripta plerumque addidit, in quibus tamen recensendis non ita est adcuratus, vti his nostris temporibus more receptum. De eruditis, qui floruerunt in LIVONIA, nonnulla suppeditant libelli singulares, scilicet DANIEL. EBERHARDI *Dorpatum litteratum*, *Dorpati a.* 1698. *in* 8; IOH. PHRAGMENII *Riga litterata*, *Rostoch. a.* 1699. *in* 4. praeside ZACH. GRAPIO; *Reualia litterata* IOH. RVDOLPHI

BREM,

BREM, *Reual. eod. a. in 8;* *Narua litterata* SIM. DIET. GEERKENII, *Naruae* 1703. *in 8.* et GABR. SIOEBERGII *Pernauia litterata*, *Pernauiae eod. anno in* 4. Pars altera, teſte HEVMANNO *Bibliotb. Acad. p. 165,* acceſſit *anno* 1704. HVNGARIAE doctos Viros data opera depinxit DAVID CZVITTINGERVS, Nobilis Hungarus, in *Specimine Hungariae litteratae, Virorum eruditione clarorum, natione Hungarorum, Dalmatarum, Croatarum, Slauorum, atque Tranſyluanorum Vitas, ſcripta, elogia et cenſuras, ordine alphabetico, exhibente, Frf. et Lipſiae,* ſeu vere *Altorfii, a.* 1711. *in 4.* Notauit hunc librum, varias ob cauſſas, REIMMANNVS *Catal. Biblioth. T. II. p. 156. Dictio enim inculta eſt*, ait, *et aliquid Hungaricae inſuauitatis habet. Structura litterarum collocationem in Alphabeto ſequitur, quae eo longius recedit ab arte, quo propius accedit ad caſum; Scriptores plures omiſſi, nec pauci in hunc Catalogum coniecti, qui vnica tantummodo diſſertatiuncula inclaruerunt. Reliqui ex* Guil. Cave, Philippo Alegambe, Iac. Aug. Thuano, *vel potius ex* Ger. de Stöcken *Thuano enucleato, et aliis, decerpti, vel, ſi mauis, deſcripti; ad verbum ſane aliunde deſumti ſunt.* Acriter autem reſpondit Reimmanno alius quidam Hungarus, doctrinae non vulgaris, MICH. ROTARIDES, qui litteris H. M. ſeſe occultauit, in *Hiſtoriae Hungaricae litterariae, antiqui, medii atque recentioris aeui, Lineamentis, Altonav. et Serueſtae a.* 1745. *in 4.* diuulgatis, vbi *p. 63. ſq.* multa contra Reimmannum diſputat. Quum tamen ipſe fateatur ingenue, Czvittingerum in Vitis eruditorum Hungariae, et annexo illis Scriptorum patriae Catalogo, verborum ac rerum delectum, iuſtum item neceſſariumque iudicium, vt et methodum adcuratiorem

tiorem non adhibuisse; multos insuper clarissimos Viros incaute, ac velut oscitanter, omisisse, neque promissis in supplendo emendandoque Specimine litterario stetisse; subinde etiam ab instituto aliena, parumque aut nihil ad rem pertinentia, attulisse; nonnulla perperam et vitiose posuisse; vnum idemque, sine vlla necessitate, frequentius repetiisse; magnam praeterea partem commentariorum suorum ex aliis, exiguae interdum fidei auctoribus, compilauisse; ac multa denique alia, eruditorum reprehensione digna, commisisse: non ita peccasse mihi videtur Praesul Hildesiensis, vt tanta in eum contentione, totque verbis aculeatis, inueheretur. Laudandus interim Czvittingeri conatus, qui forsitan meliora dedisset tunc temporis, nisi Altorfii, ob aes alienum, in custodiam coniectus, hoc Specimen ibi composuisset, quod relatum lego a IOH. PETRO DE LVDEWIG in *der rechtlichen Erläuterung der Reichs-Historie, Hal. M.* 1735. *8.* Prooemii *p.* 77. Quae deinde cura FRID. ADOLPHI LAMPII *Vltrai. a.* 1728. *in 4.* exiit PAVLI EMBERI, ab vrbe patria DEBRECZENI cognomine insigniti, *Historia Ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transyluania*, eam et fontem esse, ex quo Vitae variorum eruditorum Hungarorum, item apostatarum, hauriri queant, cum in *Actis Erud. Lat. a.* 1728. *p.* 233. tum ab Anonymo illo, cuius paullo ante mentionem inieceram, in *Lineamentis Histor. Hungaricae litter. p.* 58. *in medio* adseritur. Is ipse pollicitus est in *Praefatione* dicti libri *p.* 13. Opus perfectius, qua de re iuuabit eiusdem verba legere. Ita vero ille: *Coepi Historiam Hungariae antiquae, medii aeui atque nouae litterariam in certum quoddam Systema redigere, et praefultis de natura ac constitutione illius, vt et Scriptoribus nonnullis, quae iam Dei gratia prodeunt,* Prolegomenis, *libro I. originem litterarum varii generis et artem*

artem ſcribendi variam; II. Studiorum litterariorum prima incunabula, incrementa, fatalesque conuerſiones; III. artes ac diſciplinas, Muſarumque Hungaricarum Domicilia; et denique libro IV. Scriptores et ſcripta praecipua exponere. Et ita quidem comparata ſunt Prolegomena illa, ſtili quoque elegantia commendanda, et quodammodo rara, quoniam ipſius Auctoris impenſa prodierunt, vt omne merito punctum ferant, ac totius Operis vehementiſſimam quaſi ſitim excitent. Sed neſcio, qui caſus interuenerint aduerſi, quo minus ad hunc vsque diem conſilium hocce habuerit exoptatum euentum.

§. XXIII.

De SVECORVM doctorum Vitis habemus quidem IOH. SCHEFFERI *Sueciam litteratam*, qui tamen liber leuioris eſt momenti, parumque adcuratus. Poſt fata enim Auctoris lucem demum vidit *Stockholmiae a.* 1680. *in 8.* Hypomnematibus hiſtoricis illuſtratus fuit et auctus a IOH. MOLLERO, recuſusque in eiusdem *Bibliotheca Septemtrionis eruditi Hamb. a.* 1699. *in 8.* Vol. II. Alterum Volumen complectitur MOLLERI *Introductionem ad Hiſtoriam Ducatuum Slesuicenſis et Holſatici*, quae antea *ibid. a.* 1691. prodierat ſeparatim, et hic tantum acceſſit, vt librarius reliqua exemplaria facilius diuendere poſſet. Suecos poſtea Scriptores, a Scheffero omiſſos, colligere conſtituerat IOH. GRÖNINGIVS, Ictus Lubecenſis; ſed fruſtra exſpectatus eſt eius labor. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1699. *p.* 204. *ſq.* vbi plura dicuntur de Bibliotheca Septemtrionis eruditi, quae infinitis typothetae erroribus inquinata eſt. Nouae auctaeque elogio editionis a Sam. Heylio, bibliopola Hamburgenſi, producta in tabernas *a.* 1716. fuit; ſed folia tan-

tum prima, inscio Auctore, recusa, vt in more positum librariis, conspiciuntur. Additae sunt, splendoris caussa, imagines Regum Daniae Sueciaeque, tunc temporis viuentium. Cf. *Vita* MOLLERI, filiorum cura *Slesuici a.* 1734. *in 4.* exhibita *p. 40.* Pauca, nec vsu tamen destituta, de Suecis ex omnibus eruditorum Ordinibus, quos Facultates dicunt vulgo, cum Lectoribus suis communicauit GOELGELIVS in *der histor. polit. und geographischen Beschreibung des Königreichs Schweden, P. I. cap. 19. p. 534. sq. edit. sec. Frf. et Lips. a.* 1708. *in 8.* absolutae. Viginti Virorum doctissimorum, qui Professores in Academiis Vpsaliensi ac Lundinensi fuere, Vitas ex Orationibus funebribus, vtili consilio, congessit, atque hac inscriptione *Rostoch. a.* 1728. *sq. in 8.* Partibus IV. at parum emendate publicauit CHR. NETTELBLADT: *Memoria Virorum in Suecia eruditissimorum rediuiua, seu Orationum funebrium Semidecas* I-IV. Plures ego quidem nec vidi, nec ab aliis memoratas cognoui. In *Bibliotheca* tamen FR. OTTON. MENCKENII *P. II. p. 348.* Semidecades quinque adferuntur, postremaeque annus adscriptus est 1733. Grande meditabatur Opus, *Bibliothecam* scilicet *Suiogothicam*, ANDR. ANTON. STIERNMANNVS. Septem huius Tomos *in 4.* sperare iusserat, quorum *primo* res litterarias in Suecia gestas ab anno mundi 3362. vsque ad annum christianum 1600; *altero* ab anno 1600. vsque ad annum 1632; *tertio* ab hoc anno vsque ad a. 1659; *quarto* vsque ad annum 1696; *quinto* hinc, vsque ad nostram aetatem, exponere; *sexto* Finlandiam litteratam; ac *septimo* Scriptores adoptiuos proferre in medium voluerat. Speciminis loco Tomum II. *Stockholmiae a.* 1731. accepimus, de quo iam supra dixi *Tomo I. p. 667. sq.* Reliqui non sine Reipublicae litterariae detrimento haud successerunt. Iam in Biographiis

graphiis illustrium et eruditorum Suecorum occupatum esse MAGNVM O. CELSIVM, intelligitur ex eius *Historia Biblioth. Regiae Stockholmensis*, *p* 35. cui instituto propitiam ego Mineruam precor. Inter Vitarum Scriptores singulares primum locum meretur NICOL. DAL Specimen biographicum *de Antiquariis Sueciae, in quo* Ioh. Hadorphii, Eliae Brenneri, et Islandorum *curae enarrantur. Stockholm. a.* 1724. *in 4.* Prosequi coepta, ac de caeteris, qui Collegio Antiquitatum Vpsaliensi adscripti fuerant, commentari, vti constituerat, Auctori non placuit. Interim de hoc Specimine, diligenter elaborato, vid. *die Historie der Gelehrsamkeit unserer Zeiten*, CLODIO et aliis Auctoribus, *Parte XI. p.* 972. *sq.* Non Vitas quidem adcurate compositas, multa tamen de Viris doctis singularia, cum scriptorum Catalogo, deprehendes in *Holmia litterata, ibid. a.* 1701. iterumque *a.* 1707. *in 4.* auctius et emendatius diuulgata, cum Adpendice *de variis rerum Suecicarum Scriptoribus.* Debetur hic libellus RICHARDO VON DER HARDT, Osnabrugensi, teste STRVBBERGIO in *Indice Theologor. Lutheran. p.* 15. Cf. ECCARDI *Monathliche Auszüge a.* 1701. *m. Sept. p.* 47. *sq.* Aetate postrema est laudati supra STIERNMANNI *Aboa litterata, continens omnes fere Scriptores, qui aliquid ab Academiae eiusdem incunabulis A. C.*1640. *in lucem edidisse pro tempore deprehenduntur, cum praecipuorum potiorumque Virorum vitis, breui subiuncta Academiae historia*, caet. *Holmiae a.* 1719. *in 4.* Auctor in hoc Opusculo, sumtibus eius excuso, ideoque inuentu nunc difficili, Vitas et scripta doctorum hominum non nisi per summas lineas adumbrauit; spem fecit tamen vel *Aboae*, vel vniuersae etiam *Finlandiae litteratae*, vberiores Vitarum descriptiones exhibiturae. Quod consilium vtinam exsequi licuisset! Vid. KRAVSII *Noua litteraria a.* 1720.

 p. 49.

p. 49. Apud DANOS primum occurrit ALBERT. BARTHOLINVS, cuius *de ſcriptis Danorum* librum poſtumum auctiorem edidit frater, THOM. BARTHOLINVS, *Hafniae a. 1666. in 8.* Recuſus eſt in MOLLERI *Biblioth. Septemtrionis eruditi*, atque ita ab eodem correctus et locupletatus, vt locum quendam in Biographiarum Catalogo iam rectius, quam antea, obtineat. Bartholinus enim plurimos, qui ſcriptis olim inclaruerant, omiſit, de illorum, quos memorauit, vita, aetate ac muneribus plerumque iuſto pauciora, et interdum etiam falſa, ſaepius nihil omnino, tradidit; permultos nec patria Danos, nec publicis ornatos honoribus, imo non nullos, qui ne pedem quidem in Daniam et Septemtrionem intulerant, Danis perperam adiunxit, indigenasque ab adoptiuis vbique haud diſtinxit; libros tantum Auctorum ſingulorum editos recenſuit, neglectis ἀνεκδότοις, editorumque titulos imperfectos plerumque ac mutilos exhibuit, vt alia taceam, quae ipſi poſſint vitio verti, indicata MOLLERI verbis in *Actis Erud. Lat. a. 1699. p. 206.* vbi et exponitur, quid ille in hac opella exornanda praeſtiterit. In ALBERTI THVRAE *Idea Hiſtoriae litter. Danorum, Hamb. a. 1723. in 8.* breues etiam Vitae eruditorum, qui floruerunt apud hanc gentem, leguntur vna cum ſcriptorum, ab iisdem elaboratorum, recenſione. CLAVDII LYSCHANDRI *de Scriptoribus Danicis libellum, ordine alphabetico congeſtum*, ex tenebris protraxit in lucem, ac *Tomo III. Scriptorum de rebus Cimbricis ac Megapolenſibus p. 447. ſq.* inſeruit ERN. IOACH. DE WESTPHALEN. At quamquam ſcripta nominare ſolet Auctor, quibus ſinguli innotuerunt; pauca tamen de ipſorum vita diſſerit, in ſolis plerumque elogiis acquieſcens. Magnificum eſt Opus, et rerum, quas tractat, momentis abundantiſſimum, quod TYCHONI HOFFMANNO

MANNO debetur, hac inſcriptione *a.* 1746. *in* 4. *mai.* ſine loci ac typographis indicio diuulgatum. *Portraits hiſtoriques des hommes illuſtres de Dannemark, remarquables par leur merite, leurs charges, et leur nobleſſe, avec leurs Tables genealogiques. Partibus* id *quinque*, ſed iis magnitudine diſparibus, abſoluitur, quibus acceſſit *ſexta*, tamquam Adpendix. Omnes hae nec vno in loco, vnoue tempore typis videntur impreſſae; charta enim non eſt eiusdem conditionis et magnitudinis. Imagines, quae frequentes admodum ſunt, a variis artificibus, Pariſienſibus quippe, Londinenſibus, Batauis et Lipſienſibus aeri fuerunt inſculptae, quo factum, vt aliae aliis pulchritudine antecellant. In quinque prioribus Partibus Auctor deſcribit Danos nobilitate natalium conſpicuos, qui aut conſiliis Reges ſuos ac Rem publicam adiuuarunt, aut legationes obierunt, aut bella terra, et potiſſimum mari, geſſerunt. Sexta vero trium Danorum fata perſequitur, Greiffenfeldi nimirum, Adeleri, ac Tordenskioldi, qui ab obſcura humilique origine ad ſummas regni dignitates euecti ſunt. Occurrunt inter hos varii quoque, ab eruditione ingeniique monumentis illuſtres, quorum aeque, ac reliquorum, res geſtas Hoffmannus ex digniſſimis fide ſubſidiis eleganter et adcurate commemorauit. Plura deſideranti ſatisfacient *Acta Erudit. Latin. a.* 1747. *p.* 487. *ſq.* Vt ſpecialia quaedam addamus, praetermittendum non eſt, in ERASMI VINDINGII *Hiſtoria Academiae Hafnienſis, Hafn. a.* 1665. *in* 4. excuſa, Muſagetarum, Patronorum, Rectorum ac Profeſſorum Vitas reperiri, vti quidem teſtatur NICOL. PETR. SIBBERN in *Biblioth. hiſtorica Dano-Norvegica, Cap. X. p.* 309. quo et loco haec ſcribit: *Continuationem huius Hiſtoriae, Vitas non ſolum Profeſſorum Hafnienſium, ſed et aliorum Daniae Scriptorum complectentem,*

molitus est Petr. Ioh. Resenius, sed colophonem Operi non imposuit; schedas autem eius in Bibliothecam Academicam Hafniensem transiisse, constat ex Catalogo Bibliothecae Resenianae, p. 325. Hae ipsae schedae postea a. 1728. in fatali incendio cum tota Bibliotheca Academica perierunt. Nec speranda nunc forsitan ANDR. FRÖLVNDI Continuatio libri Vindingiani, cuius pridem meminit THVRA in *Praefatione, Ideae Hist. litt. Dan.* praefixa, *p. 9.* OLAI BORRICHII *de Poetis Danis* Notitia, ex Dissertationibus eiusdem *de Poetis Graecis et Latinis* excerpta, FRID. ROSTGAARDII Tomum I. *Deliciarum Poetarum Danorum L. B. a.* 1693. *in 12.* Prooemii loco exornat. Plura, quae alicuius momenti sint, de Vitis eruditorum Danorum ego haud noui. Negligentior adhuc in ea Historiae Litterariae parte videtur Natio, de bonis artibus alias praeclare merita. Sed nunc forte, stimulata exterorum exemplis, de colendo hoc fundo, ad steriles propemodum referendo, magis magisque sollicita erit.

§. XXIV.

Peractis, quae dicenda fuere de gentium politiorum Biographis, ad eos est procedendum, qui certarum dignitatum ordinumque Viros depingere studuerunt. Scenam aperiant Scriptores de Pontificibus et Cardinalibus doctis. Inter illos memoratur vulgo LVDOV. IACOBI A ST. CAROLO *Bibliotheca Pontificia, Lugduni a.* 1643. *in 4.* quae est duobus libris distincta, primo data opera agente de omnibus Romanis Pontificibus a S. Petro vsque ad Vrbanum VIII. ac de Pseudo-Pontificibus, qui scriptis claruerunt; altero Auctores eos omnes proponente, qui cum generatim, tum speciatim, eorum vitas laudesque, praecellentiam et auctoritatem, posteritati commendarunt. Perrarus est hodie

hodie liber, neque tamen magni momenti. Praeterquam enim, quod varii soloecismi litterarii inueniuntur in eo, de quibus, ne plures nominem, vid. BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürd. Büchern, Vol. VIII. p. 75. sq.* de Vitis Pontificum IACOBI parum est sollicitus, solam obseruans chronologiam, addensque scripta eorundem, et eos denique, apud quos plura legi de Viris hisce possint. Cf. *Bibliothec. Hist. Hamb. Centur. IV. p. 30. sq.* Sequutus eum fuit AVGVSTIN. OLDOINVS in *Athenaeo Romano, in quo summorum Pontificum ac Pseudo-Pontificum, nec non S. R. E. Cardinalium et Pseudo-Cardinalium scripta publice exponuntur, Perusiae a.* 1676. *in* 4. Rarus et hic est liber, nec admodum priore praestantior. Vitae enim breues nimis et imperfectae sunt, annus etiam et locus, quo scripta cuiuslibet prodierunt, plerumque desideratur. Interim, vt supra iam dixi, plagium exinde fecit MANDOSIVS in *Bibliotheca Romana*, quae et hic, quod ad Pontifices doctos attinet, consulenda est. Locupletissimum nunc in hoc argumento habemus GE. IOSEPHI AB EGGS Opus, sequenti titulo insignitum: *Pontificium doctum, seu Vitae, res gestae, obitus, aliaque scitu ac memoratu digna, summorum Pontificum Romanorum, eorum praecipue, qui ingenio, doctrina, eruditione, scriptis, libris editis, et lucubrationibus quibuscunque, ab initio nascentis Ecclesiae, i. e. a S. Petro, vsque ad Clementem XI, inclaruere*, caet. *Colon. a.* 1718. *in fol.* Idem antea diuulgauit *Purpuram doctam, seu Vitas, legationes et res gestas S. R. E. Cardinalium, qui eruditione et scriptis ab a.* 540. *vsque ad aetatem nostram inclaruere*, libris VI. quorum duo priores *Frf. et Monachii a.* 1710. posteriores *a.* 1714. *in fol.* prodiere. Tribus omnes Voluminibus compingi solent. Accessit *a.* 1729. *Aug. Vind.* et *Grae-*

zii Eiusdem *Supplementum nouum Purpurae doctae, seu Vitae, Legationes, res gestae, obitus, aliaque scitu et memoratu digna, eorum S. R. E. Cardinalium, qui in tribus Purpurae doctae Voluminibus hinc inde desiderati, nunc vero suo quisque loco, seruato ordine et tempore, restituti sunt, numero, prope quadringenti, in libros IV. diuisi.* Auctor vsus est ALPH. CIACONII, et qui eundem continuarunt, FRANC. CABRERAE, ANDR. VICTORELLI, HIER. ALEANDRI, FERDIN. VGHELLI et AVG. OLDOINI laboribus, de quibus vid. *Biblioth. histor. Struuio - Buderiana Tomo II. p. 1379.* Quod ad recentissimum tempus attinet, ipse non diffitetur, multa se descripsisse, paucis mutatis, ex IOH. RVD. CONLINII *Roma Sancta, i. e. Effigiebus, nominibus, cognominibus et descriptionibus Benedicti XIII. et Cardinalium, ab vltimo Conclaui anno* 1724. *Aug. Vindel. a.* 1726. *in f.* Vol. II; addita enim hoc ipso anno Continuatio. Stilus mediocris est: quae autem dixit AB EGGS, ea non statim sunt testibus fide dignis confirmata; nec editiones scriptorum, a Patribus purpuratis compositorum, adiectae deprehenduntur. Cf. *die neue Hällische Bibliothec, Vol. I. P. 8. p. 693. sq.* Interim Opus est inter alios eiusmodi libros optimum, quod longe post se relinquit ANTON. SANDERI *Elogia Cardinalium, sanctitate, doctrina et armis illustrium, Louanii a.* 1626. *in* 4. caeteros item omnes, quos habet *Bibliotheca Bunauiana*, teste *Catalogo Tomi I. Vol. I. p. 613.* Qui magno numero supersunt de Pontificibus, Patribusque purpuratis, ii locum potius in Bibliotheca historica merentur, quam in litteraria.

§. XXV.

Inter Monachorum Ordines aetate primus est, qui a S. Augustino nomen sumsit. De huius Viris eruditis egit IOSEPH. PAMPHILVS in *Chronicis Ordinis*

dinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Romae 1581. *in 4.* vbi iuxta temporum seriem exponitur breuiter, qui Viri vel sanctitate, vel doctrina, vel rebus egregie gestis illustres hoc in Ordine fuerint. Hunc sequutus est THOMAS GRATIANVS, cuius exstat *Anastasis Augustiniana, in qua Scriptores Ord. Eremit. S. Augustini, qui abhinc saeculis aliquot vixerunt, vna cum neotericis in seriem digesti sunt, Antwerp. a.* 1613. *in 8.* Elegantiae laudem nacta sunt CORN. CVRTII *Virorum illustrium, ex Ord. Eremit. S. Augustini Elogia, cum singulorum expressis ad viuum Iconibus, ibid.* 1636. *in* 4. Auctor eos hic descripsit, quorum conquirere licuit imagines. Vid. GOETZII *Merkwürdigk. der Königl. Biblioth. zu Dresden, Vol. II. p. 520.* Scriptores quoque huius Ordinis enarrauit THOM. DE HERRERA in *Alphabeto Augustiniano, Madriti* 1644. *in f.* Tomis II. Sed sterile foecundi alioquin Auctoris Opus dicitur in *Actis Erud. Lat. a.* 1706. *p. 323.* De PHIL. ELSSII *Encomiastico Augustiniano, Bruxellis a.* 1654. *in f.* edito, hoc est LABBEI *Bibl. Bibliothecarum p. m. 178.* iudicium: *dum Scriptor hic, erga Ordinem suum bene, vt fieri solet, animatus, omnia, quae a variis hinc inde dispersa sunt, auidius incautiusque corradit, nec ad amussim libellamque Historiae sincerioris que Chronologiae aliorum pronuntiata expendit, vix fieri potuit, quin multa exhibeat mendis insignibus infecta, et fabulis nonnunquam propiora, quam vero. Adde, quod in recensendis Scriptorum operibus non eam posuerit operam, quae lectori curioso possit ac debeat facere satis, sed plerumque in aliorum describendis Catalogis acquieuerit.* Non stili quidem venustate, rerum tamen memorabilium copia sese commendat DOMINICI ANTONII GANDOLFI, Genuensis, Dissertatio historica, quinquaginta excedens plagulas, *de du-*

centis celeberrimis Augustinianis Scriptoribus, qui obierunt post magnam vnionem Ordinis Eremitici, vsque ad finem Tridentini Concilii, amplioris Bibliothecae Augustinensis edendae praeuia, Romae a. 1704. *in 4.* At maius Opus postea non prodiit. Denique addendum, quod alicubi memoratum inueni, AVGVSTINI MARIAE ARPII *Pantheon Augustinianum, seu Elogia Virorum illustrium, Ordinis Eremitici S. Augustini, Genuae* 1709. *in 4.*

Ad ordinem, S. Benedicti regulam sequentem, qui in diuersas abiit familias, pertinent IOH. TRITHEMII *de Viris illustribus Ordinis Benedictini libri IV. Colon.* 1575. *in 4.* et in *Tomo III. Operum*, a IOH. BVSAEO *Mogunt. a.* 1604. *in f.* diuulgato. Nullius momenti est ARNOLDI WIONI (de cuius vita scriptisque Commentarii historico-critici, lingua Italica, inserti fuere CALOGIERAE *Nuova Raccolta d'Opuscoli scientifici e filologici, Tomo IV. art. 9.*) *Lignum Vitae, ornamentum et decus Ecclesiae, in quinque libros diuisum, in quibus totius sanctiss. religionis D. Benedicti initia, Viri dignitate, doctrina, sanctitate, ac principatu clari describuntur, Venet.* 1595. *in* 4. Vol. II. Interim tamen Germanice versus liber a CAROLO STENGELIO, editusque *Aug. Vind. a.* 1607. *ead. forma*, sed pleraque, ad notitiam Scriptorum facientia, hic desiderari, obseruauit VOGTIVS in *Catal. libr. rarior.* v. Wion. Idem STENGELIVS *Imagines Sanctorum Ordinis Benedicti*, tabulis aeneis expressas, cum elogiis eorum et Vitis *ibidem a.* 1625. *in 8.* luci exposuit. *Elogia in centum Heroas Benedictinos Placent.* 1643. *in 4.* dedit MARC. ANTON. SCIPIO. Sic etiam de Vitis Benedictinorum multa suppeditant praeclara IOH. MABILLONIVS in *Annalibus Benedictinis*, quadraginta anno-

annorum Opere, *Parif. a.* 1703. *fq. in f.* Vol. V. excuſo: et BERN. PEZIVS in *Bibliotheca Benedictino Mauriana, Aug. Vind. a.* 1716. *in 8.* vbi Vir doctiſſimus de Vitis ſcriptisque Patrum Benedictinorum, e celeberrima congregatione S. Mauri in Francia, non leuiter egit, praetereaque haud exiguam ſaepe partem Praefationum, quas eruditiſſimi Benedictini ſuis praefigere Operibus conſueuerant, inſeruit, cum, quod ſelecta eiusmodi ex Praefationibus loca continent plerumque non pauca, quae ad Scriptorum Vitas, occaſionemque ac fata Operum ſpectant: tum, vt iis praeſertim, qui tam vaſta tantorumque ſumtuum Volumina vix ad manus habent, nonnullam ſaltim eorundem proponeret epitomen cum ſtili ſpecimine, quo Auctores ipſi vſi ſunt. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1717. *p.* 122. Laudat vero eos vbique ſine delectu, nec in enumeratione ſcriptorum, horumque titulis, mancus deprehenditur raro, parumque adcuratus. Idem olim eſt meditatus *Bibliothecam Benedictinam generalem*, cuius Conſpectum, egregia promittentem, legimus in *Act. Erud. a.* 1716. *p.* 403. *ſq.* Cur autem immenſi laboris Opus nondum prodierit, docet KROPFFIVS in *Biblioth. Benedictino-Mellicenſi*, de qua paullo poſt, *p.* 552. *ſq.* vbi Pezii Vita enarratur copioſe. *Anno* 1726. *in 8. Hagae Com.* lucem adſpexit PHILIPPI LE CERF *Bibliotheque hiſtorique et critique des Auteurs de la Congregation de S. Maur*, caet. Magnum a Pezio ſibi relictum vidit ſpicilegium Auctor huius Bibliothecae, in qua cuiusque indolem, et ſtudiorum rationem, quaeque exſtruxit ingenii monumenta, narratione iudicii plena exhibet. Cenſorem agit itemtidem ſeuerum, et incorruptum: aliquando tamen humani quid paſſum eſſe eundem, aliosque irridere perperam, varios item inſeruiſſe, qui vel nihil, vel tenuiſſima, condiderunt,

runt, omiſſis e contrario maioris momenti hominibus, fuſius oſtenditur in *Bibliotheque Françoiſe m. Aprili a.* 1726. *art.* 2. vbi ampla occurrit libri huius recenſio. Gallicam Epiſtolam PERDOVX DE LA PERIERE, adſumto ficto nomine *Pierre le Richoux de Norlas, Aurel. a.* 1727. *in 8.* edidit contra eundem, Auctorique multos naeuos obiecit. Sed reſpondit is, *Pariſiis eodem a. in 8.* excuſo libello ſequenti: *Defenſe de la Bibliotheque hiſtorique et critique des Auteurs de la Congregation de S. Maur, contre la Critique, qui en a paru ſous le nom de Dom* le Richoux de Norlas. Locum accepit totus in *Biblioth. Françoiſe, Tomi XI. Parte 2. art. 1.* erroresque plurimi, et caetera, quae deteriorem reddunt eundem, culpae tribuuntur typographi, illiusque, cui editionis apud Belgas demandata cura fuerat. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1729. *p.* 185. *ſq.* Quum et paullo poſt LAVR. JOSSE LE CLERC in *Bibliotheca Auctorum*, RICHELETI *Dictionario a.* 1728. praefixa, nonnulla notaſſet in CERFII libro, cauſſam hic ſuam egit in *Biblioth. Françoiſe Tomi XVI. Parte I. artic. 4. p. 86. ſq.* vbi exſtat *Lettre d'un religieux Benedictin à Mr. P. de la R. où il examine les Remarques de Mr. le Clerc ſur quelques endroits de la Bibliotheque hiſtorique et critique des Auteurs de la Congregation de S. Maur.* Auctore ANTON. BECQVETO *Pariſ. a.* 1719. *in 4.* prodierunt *Gallicae Coeleſtinorum Congregationis Ord. S. Benedicti Monaſteriorum fundationes, Virorumque vita aut ſcriptis illuſtrium elogia hiſtorica, ſecuto ordine chronologico*, quo in libro centum circiter et quinquaginta celebrium Coeleſtinorum Vitae non ſine diligentia exponuntur. Quae molitus eſt ante complures annos, et iam *a.* 1737. *Coloniae* duabus plagulis *in folio*, quae ſumma Operis Capita repraeſentant, indicauit MAGNOALDVS ZIEGELBAVR, ea poſt eius demum obitum abſoluta

fuerunt.

fuerunt. Ediderat is *Ratisb. a.* 1739. *in f. nouum rei litterariae Ordinis S. Benedicti Conspectum*, de quo vid. *Acta Erud. Latin. a.* 1741. *p.* 673. *sq.* Sequuta est deinde *Herbipoli a.* 1754. Tomis IV. *in f.* integra *Historia litteraria Ordinis S. Benedicti. Opus, a* MAGNOALDO ZIEGELBAVR *ichnographice adumbratum, post eius fata recensuit, auxit, iurisque publici fecit* OLIVERIVS LEGIPONTIVS. Continet autem *Tomus I*, iam ab ipso Ziegelbaurio, vt modo dixi, diuulgatus, at nunc denuo excusus auctior et correctior, originem, progressum, fata, caet. Ordinis, praecipua item eius Monasteria, Bibliothecas, Tabularia, et alios doctrinae thesauros: *Tomus II.* descriptionem, qua ratione Scientiae Artesque liberales ab Ordine Benedictinorum semper sint excultae: *Tomus III*, qui est biographicus, Capite tertio quartoque in primis, non exiguum doctorum et celebrium hominum numerum, quos habuit iste Ordo: *IV.* denique *Tomus*, isque bibliographicus, scripta eorundem, in Bibliothecam historico-critico-realem redacta. Plura de insigni Opere, cui tamen festinatio maiora subtraxit decora, referuntur in *Actis Erud. Lat. a.* 1755. *p.* 145. *sq.* in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1754. *p.* 825. nec non in *den Götting. gel. Anzeig. a.* 1755. *p.* 748. *sq.* Digna quoque memoratu est MART. KROPFF *Bibliotheca Mellicensis*, (qualem et sperare nos iusserat multo ante laudatus PEZIVS, qua de re vid. KRAVSII *Noua litteraria a.* 1718. *p.* 6.) *seu Vitae et scripta inde a sexcentis et eo amplius annis Benedictinorum Mellicensium, Vindob. a.* 1747. *in* 4. Describuntur centum ac duodecim Patres, quos hoc Austriae inferioris Monasterium aluit: inter omnes autem eminent Pezii, fratres, et Philibert. Hueberus. De *Camaldulensibus*, qui saeculi XI. initio a Romualdo nacti originem sunt, prostat dicti ZIEGELBAVRII *Centifolium Camaldulense*,

lense, siue Notitia Scriptorum Camaldulensium caet. *Venet. a.* 1750. *in f.* plagulis sex ac viginti. Centum hic Viri docti, ordine alphabetico, posteritati commendantur, ita quidem, vt quae de patria eorum, parentibus, studiis, Monasterio, in quo vitam traduxerunt, dignitate, qua eos Ordo distinxit, obitu scriptisque reperire contigit, adcurate indicentur. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1754. *p.* 639. *sq.* Prodromo huic adiicere Auctor constituerat *Bibliothecam Patrum Camaldulensium*, Tomis VI. comprehensam, morte tamen impeditus promissi complere summam non potuit. Subsequuti sunt postea *Annales Camaldulenses, Ordinis S. Benedicti, quibus plura inseruntur tum caeteras Italico - Monasticas res, tum Historiam ecclesiasticam, remque diplomaticam illustrantia*, D. IOH. BENEDICTO MITTARELLI, et D. ANSELMO COSTADONI, *Presbyteris et Monachis, e congregatione Camaldulensi, auctoribus, ibidem anno* 1756. *sq. in f. Tomis IV.* Multa de praestantia Operis habent *die Götting. gel. Anzeig. a.* 1757. *P. CVII. p.* 1041. *sq.* Plures adhuc restant Tomi, exspectandi in posterum. Rara est, vt pleraque huius generis, magnique aestimatur *Bibliotheca Cluniacensis, in qua S. S. Patrum Abbatum Cluniacensium Vitae, miracula, scripta, statuta, priuilegia, chronologia duplex* caet. *continentur.* Collecta a MART. MARRIER, notisque ANDR. QVERCETANI, i. e. DV CHESNE, instructa, *Paris. a.* 1614. *in f.* prodiit. De noua XII. Voluminum editione, qua olim occupatus fuit AVGVSTIN. CALMETVS, legi merentur KRAVSII *Noua litteraria anni* 1718. *p.* 2. *sq.* Sed certum est, eum postea consilium hoc abiecisse. Viri illustres Monasterii *Casinensis* a PETRO, Diacono, in singulari libello nominantur, ex Bibliotheca Barberiniana primum depromto, ac diuulgato *Romae a.* 1655. cum

Sup-

Supplemento PLACIDI, Monachi Casinensis, et eruditis IOH. BAPT. MARI adnotationibus, iterumque *Paris. a.* 1666. *in 8.* Exstat etiam in *Biblioth. Patrum Lugdunensi Tomo XXI*, in FABRICII *Bibliotheca ecclesiastica*, et in MVRATORII *Scriptor. rerum Italicarum Tomo VI.* Faciunt huc itidem MARCI ANTON. SCIPIONIS *Elogia Abbatum Sacri Monasterii Casinensis*, *Neapoli a.* 1613. *in f.* vt LABBEVS testatur in *Bibl. Bibliothec. p. m.* 153. Recusus liber, luculenta accessione auctus et castigatus, *ibid. a.* 1643. *in 4.* cum *fig. aen.* Longe autem nunc superat hos MARIANI ARMELLINI *Bibliotheca Benedictino - Casinensis*, *siue Scriptorum Casinensis Congregationis*, *alias S. Iustinae Patauinae*, *qui in ea ad haec vsque tempora floruerunt*, *operum ac gestorum notitiae*, *Assisii in fol.* Pars I. *a.* 1731. Pars II. 1732. Eodem anno accessit eiusdem *Adpendix de Viris litteris illustribus e Congregatione Casinensi*, *de quibus tamen non liquet*, *an aliquid scriptis consignauerint*, quae vero ex paucis tantum plagulis constat. *Additiones et Emendationes huius Bibliothecae*, *Fulginei a.* 1735. *ead. forma* editae, memorantur in *Catal. Bibl. Woogianae p. 276.* De caeteris Opusculis, quae adesse debent, si quis omnia possidere cupiat, scilicet *Catalogo Monachorum Congregationis Casinensis*, *qui alias Monachorum Congregationes*, *vel Monasteria reformarunt*; *Catalogis tribus Episcoporum*, *Reformatorum*, *et Virorum sanctitate illustrium e Congregat. Casinensi*; *Catalogo Virorum*, *sanctitate illustrium e Congreg. Casinensi*, *cum Continuatione huius Catalogi*; quae Volumina plerumque exigua, *anno* 1733. *et* 1734. subsequuta sunt, vid. Clariss. CLEMENT in *Biblioth. de livres dificiles à trouver*, *Tom. I. p. 115. sq.* vbi et ex GOETZII *Merckw. der Königl. Biblioth. zu Dresd. Vol. I. p. 271.* docet, rarissime inueniri haec ARMELLINI scripta,

eius-

eiusdem quippe sumtu excusa, et Bibliothecam, per plurium annorum seriem collectam, ita comparatam esse, vt aliis eiusmodi libris, ipsique *Antonianae Hispanae, et Scriptorum Ordinis Praedicatorum* Bibliothecae palmam praeripiat. Addit autem laudatus CLEMENT: *Je ne dirai pas avec Mr. Goetze, que cette Bibliotheque l'emporte sur celles de* Nicolas Antonio et *des P. P.* Quetif *et* Echard. *Elle est bonne en son genre, mais on n'y voit ni le jugement, ni la critique, ni l'exactitude, qui regnent dans les deux précedentes, qui sont d'un usage beaucoup plus étendu, que celle-ci. Il seroit à souhaiter pour l'honneur de Mr.* Armellini, *qu'il n'ait pas ajouté à sa Bibliotheque le* Catalogus Virorum sanctitate illustrium, *qui méritoit plûtôt d'être ajouté à la legende de* Jaques de Voragine, *qu'à un Ouvrage de Litterature, que l'on n'écrit pas pour les vieilles femmes. Cette superstitieuse crédulité fait douter de la capacité d'un Historien, qui doit être sincere et éclairé, s'il veut passer pour un témoin digne de foi*, caet. Interim multa exinde cognosci possunt alibi non obuia. Praeter varias etiam Operum editiones, vndique conquisitas, Auctorum, qui illorum mentionem faciunt, testimonia adfert, totidemque verbis recenset Armellinus. Atque vt iucundior huius Bibliothecae lectio reddatur, Epitaphiis, Inscriptionibus, Elogiis, caeterisque prosaicis encomiis, poetici quoque flores adiiciuntur, quibus exornati fuere a nonnullis Poetis huius Congregationis Scriptores. Cf. *Acta Eruditor. Latin. a.* 1739. *p.* 673. *sq.* Paullo post hocce Opus, *anno* scilicet 1733, *Venetiis eadem forma* prodiit *Historia Abbatiae Casinensis, per saeculorum seriem distributa*, studio et labore D. ERASMI GATTOLA. Partes sunt II. non mediocre Volumen explentes, atque sex chartis ichnographicis, aeri incisis

incisis, ornatae, quibus totum Monasterii aedificium repraesentatur. Per singula saecula spatiatur Auctor, interque alia memorat Monachos etiam, qui scientiis, editisque scriptis, quae adcurate notantur, inclaruerunt. Addidit idem *a.* 1734. *Accessiones* ad hanc Historiam, satis quidem amplas, at nihil fere aliud continentes, quam ea monumenta, quae ad originem, incrementa ac decrementa dominatus Coenobii Casinensis spectant. Vid. plura in *Actis Erud. Lat. a.* 1735. *p.* 145. *sq.* Scriptores, qui in Ordine *Cartusiensi*, cuius Bruno celebratur conditor, illustres fuerunt, exhibentur a THEODORO PETREIO in *Bibliotheca Cartusiana, Colon. a.* 1609. *in 8.* Rarus quidem hodie liber, neque tamen magni momenti, quoniam ipse Auctor *p.* 302. amicorum rogatu paucorum dierum spatio eundem dicit compositum. REIMMANNI de ipso iudicium in *Bibliotheca Theolog. p.* 130. hoc est: *Dictio nec casta satis, nec candida, nec vnius fili. Dispositio alphabetica. Et in collectione ipsa sexcenta obscura nomina; multa, quae in Gallia, Hispania et Italia inclaruere, praeterita, quaedam studio partium, et aliis quibusdam labeculis coinquinata. Neque tamen despicienda omnia. Sunt enim, quae faciant ad scripta et scriptores anonymos detegendos, homonymos distinguendos, obscuros illustrandos, et ad Trithemii, Possevini, aliorumque labores augendos, et emendandos, dispiciendumque, quibus studiis huius Ordinis homines in alto suo et securo otio, et silentio plusquam Pythagorico, se soleant adserere.* Idem PETREIVS *ibid. eodemque anno in 8.* edidit ARN. BOSTII Opusculum *de Viris illustribus S. Cartusiensis Ordinis*, cum PETRI SVTORIS Tract. de *Vita Cartusiana*, vbi is admodum vsus est Bostii labore, non indicato nomine auctoris. Vid. IOECHERI *Gelebrten Lexicon v. Bostius.* Suc-

cessit *Taurini anno* 1681. *in f.* CAROLI IOS. MOROTII *Theatrum chronologicum Sacri Cartusiensis Ordinis*, cuius Pars quarta complectitur *Athenaeum Scriptorum huius Ordinis*. Errorem in eo satis crassum notat GOETZIVS *Vol. I. der Merckwürdigk. der Kön. Bibl. zu Dresd. p. 431.* De *Cistercienſibus*, qui Robertum, Molismensem, parentem venerantur, habemus CHRYSOST. HENRIQVEZ *Phoenicem reuiuiscentem, seu Ordinis Cisterciensis Scriptorum Angliae et Hispaniae seriem, Bruxellis a. 1621. in 4.* Libri sunt duo, quorum primo Angli antiqui, altero Hispani recentiores illius Ordinis Scriptores occurrunt. Vid. DV FRESNOY *Verzeichniß der vornehmsten Geschichtschreiber*, ex edit. IOH. BVRCH. MENCKENII *p. 60.* vbi et *Louaniensis* editio *anni* 1632. adfertur. Eiusdem est *Fasciculus Sanctorum Ord. Cisterciensis, Bruxell. a. 1624. in f.* et *Menologium Cisterciense, Antwerp.* 1630. *ead. forma.* MOROTIVS, paullo ante productus, *Taurini a.* 1690. *in f.* diuulgauit *Cistercii reflorescentis chronologicam historiam*, cuius Pars prima restaurationes et leges; altera Abbates generales; tertia *Athenaeum Scriptorum* serie chronologica, ab a. 1595. vsque ad a. 1686; quarta fastos pietatis continet. Inter praecipua huius argumenti Opera refertur CAROLI DE VISCH *Bibliotheca Scriptorum S. Ordinis Cisterciensis, elogiis plurimorum, maxime illustrium, adornata, Duaci a.* 1649. et ex altera editione, ab Auctore recognita ac locupletata, *Colon. Agripp. a.* 1656. *in 4.* quae quid comprehendat, BAVMGARTEN. *Vol. VIII. der Nachr. von merckwürd. Büchern p. 72. sq.* adcurate docet. Sequutus est hunc AVGVSTIN. SARTORIVS in *Cistercio bis tertio, seu Historia elogiali Ordinis Cisterciensis, Pragae ann.* 1700. *in f.* Ideo autem Cistercienſum bis tertium adpellauit Volumen suum Auctor, quod annus 1698. bis ter saecularis exstiterat Ordini. Integram eius-

dem

dem historiam condidit, in titulos octo et viginti diuisam, quorum *vicesimo p. 510. sq.* describit Grammaticos, Poetas, Oratores, Historicos, Philosophos, Mathematicos, Astrologos, Medicos, Iurisperitos, Doctores, cum primis theologos, Ascetas, Professores publicos, Virosque doctos alios; quamquam hic e penu ditissima non nisi paucos se dare profiteatur, et plures nosse cupientem ad Bibliothecam Vischii remittat. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1702. *p.* 240. Germanica libri versio, *ibid. a.* 1708. *in 4.* publicata, exstat in VAL. ERN. LOESCHERI *Bibliotheca, P. II. p. 57.*

§. XXVI.

Fratres mendicantes, quorum Ordo institutus est, vt, aberrantibus a veteri disciplina Benedictinis, damnum Religionis, quod ex abundantia opum possessionumque contigerat, remedio paupertatis resarciretur, duos nacti sunt patronos Dominicum quippe, a quo anno 1216. Dominicani, seu Praedicatores, orti, et Franciscum de Paula, qui a. 1483. discipulos collegit, Fratrum Minorum nomine insignitos. De vtriusque Ordinis Viris claris non exiguus exstat Scriptorum numerus. Agamus primum de Dominicanis. LEANDER ALBERTVS *sex libros de Viris illustribus Ordinis Praedicatorum Bonon. a.* 1517. *in f.* diuulgauit, auctoribus IOH. GARZONE, IOH. ANT. M. ANTON. et SEBAST. FLAMINIIS, FRANC. Castelionensi, IOH. CAROLI, BARTHOL. MORTARIO, NICOLAO Brixiano, GEORGIO, Mediolanensi, et NICOL. BAGRATORIO. Variorum igitur hic Vitae, a variis adcurate, stiloque non vituperando, expositae, occurrunt, quibus ipse Albertus inseruit, quas habuit in promtu. ANTONII DE LA CONCEPTION, vulgo Senensis, *Bibliotheca Ordinis Fratrum Praedicatorum, Virorum inter illos do-*

ctrina insignium nomina, et eorum, quae scripto mandarunt, Opusculorum titulos et argumenta complectens, Paris. a. 1585. in 8. lucem adspexit. SERAPHINI RAZZI *Istoria degli huomini illustri così nelle prelature, come nelle dottrine del ordine degli Predicatori, Panormi a. 1605. in 4.* prodiit. Priorem editionem, *Luccae a.* 1596. *in 8.* exhibitam, recenset GOETZIVS *Vol. III. der Merkwürdigk. der Königl. Bibliothec zu Dresden, p. 363.* adseritque, non ieiunum esse librum, Scriptores Ordinis, in multas diuisos classes, continentem. Accessit *eodem anno Venet. in 8.* AMBROS. GOZZEI *Catalogus Virorum ex familia Praedicatorum, in litteris insignium.* IOH. MICH. PIO *delle vite degli Huomini illustri di S. Domenico* Partes II. conscripsit, excusas *Bononiae anno* 1607. *in fol.* Memoratam quoque inueni editionem *Ticini a.* 1613. aliamque *Bononiae a.* 1667. *ead. forma* curatam. ALPHONSI FERNANDEZ *Notitia Scriptorum Praedicatoriae familiae*, Adpendicis est loco *eiusdem Concertationi Praedicatoriae* caet. *Salmanticae a.* 1618. *in fol. p. 318. sq.* ANTON. MALLETVS *Histoire des SS. Papes, Cardinaux, Patriarches, Archevêques, Evêques, Docteurs, et autres hommes illustres, qui furent superieurs ou religieux du Couvent de S. Jaques de l'Ordre des FF. Prêcheurs à Paris, Parisiis a. 1634. et 1645. in 8. Vol. II.* edidit. Dominicanos, quos regnum Neapolitanum protulit, THEODOR. VALLE congessit in libro sic inscripto: *Breve Compendio degli più illustri Padri nella santità della vita, dignità, offici, e lettere, ch'ha prodotto la provincia del Regno di Napoli dell' Ord. de'Predicatori, Neapol. 1651. in 4.* Copiosa est AMBROSII DE ALTAMVRA *Bibliotheca Dominicana, ab Ordinis Constitutione, vsque ad a.* 1600. *Romae* 1677. *in f.* Multa tamen in Opere hoc perraro

raro arguuntur, v. g. antichronismi frequentes, nempe auctores centum annis ante, vel centum annis post quam vixerunt, et aliquando amplius positi: praeterea vnus et idem Scriptor in plures diuisus ac multiplicatus, extranei etiam varii, tamquam legitimi, adoptati: denique in historia saepissime veri criterii modicum; vnde et Viris Ordinis sapientissimis non arrisit, nec probatum fuit institutum, quod effecit forsitan, vt alter Tomus, in quo de saeculi XVII. Scriptoribus egerat Altamura, typis impressus haud fuerit. Vid. QVETIF et ECHARDI *Scriptor. Ordinis Praedicator. Tom. II. p. 661.* Errores in Adpendice a *p. 427.* notati, tolli omnino debebant ante editionem, Auctore iam mortuo absolutam, quod quia non est factum, difficilis molestusque est Operis vsus. Varia de eodem docte scripsit IOH. ERHARD. KAPPIVS in toto *Cap. II. Differt. de Indulgentiar. Quaestorib. saec. XV. et XVII. Lipsiae* 1720. Plurimorum curas in hoc argumento superauit ANDR. ROVETTA, de cuius *Bibliotheca chronologica illustrium Virorum Prouinciae Lombardiae, S. Ordinis Praedicatorum* supra iam dictum §. X. EMAN. DE LIMA *Hagiologium Dominicanum, in quo Vitae Beatorum et Martyrum, aliarumque Venerabilium personarum, eius Ordinis, per omnes anni dies describuntur, Vlysippone a.* 1703. *a.* 1710. et *a.* 1712. Tomis IV. *in fol.* et lingua quidem Lusitana diuulgatum, non nisi ex *Actis Eruditor. Latin. a.* 1726. *p. 375.* innotuit mihi, nescio autem, an et homines eruditione scriptisque clari hic occurrant. IACOBI QVETIFII, et IAC. ECHARDI, paullo ante laudatorum, *Scriptores Ordinis Praedicatorum recensiti, notisque historicis et criticis illustrati, Parisiis* prodierunt Tomis II. *in fol.* primo *a.* 1719. altero *a.* 1721. excuso. Quetifius octingentorum circiter Scriptorum Elogia finiuerat, quum a. 1698. morte

corriperetur. Echardus igitur schedis ab eo relictis, praeterque alia subsidia, GVILBERTI DE LA HAYE *Bibliotheca Belgo-Dominicana*, vsus fuit, manu adhuc scripta, tamque adcurata, vt fere totam in hoc Opus, mutato tantum stilo, transtulerit. Ipse addidit varia, indefesso studio, per multam annorum seriem, a se collecta. Atque hac ratione feliciter absolutus est labor difficillimus, quo singulorum Vitae praeclareque gesta exponuntur, chronologia, seu tempus, quo quisque floruit, certo statuitur, (quod non sine ingenti molestia fieri potuit, quum antea ordine alphabetico Fratres suos in scenam produxisset,) fabulae exploduntur, scripta genuina, dubia, supposita expenduntur, recentiorum de iisdem iudicia vel probantur, vel emendantur, Codices manuscripti, diuersaeque editiones, cum locis, vbi susceptae sint, indicantur, Alumni Dominicani, quos alii rapuerunt, vindicantur, dubii autem et extranei, falsoque huic Ordini adscripti, ad cuiusque saeculi finem reiiciuntur, suisue restituuntur. Tomus I. Dominicanos saeculorum XIII. XIV. et XV. exhibens recensetur, calamo IOH. ERH. KAPPII, in *Act. Erud. Lat. anni* 1720. *p.* 153. *sq.* qui et *p.* 441. *sq.* singularem in hunc ipsum *Obseruationem* inseruit, vbi partim odium Auctorum in Protestantes, maxime Luthero addictos, partim errores geographicos ac litterarios notat, partim supplet ab iisdem aliquoties praetermissa. De Tomo autem II, qui Scriptores ab anno 1500. vsque ad annum nostri saeculi vicesimum complectitur, idem differit in *Act. Erud. Lat. a.* 1722. *p.* 474. *sq.* additque, sub finem Operis, variis instructi Indicibus, accessisse *Sacrum Gynaeceum Dominicanum*, seu Ordinis huius Sorores, quae ab anno 1220. vsque ad a. 1720. scriptis inclaruerunt. In IOH. LIRONII *Singularitez historiques et litterai-*

res

res à Paris 1738. *in 12. Tomo III. p. 369. sq.* reperiri etiam *Additions et Remarques sur la Bibliotheque des Freres Prêcheurs*, docuit me *Catal. Biblioth. Bunav. Tomo I. Vol. 1. p. 617.* Ad eos Dominicanos, qui prae caeteris Ordinem suum nobilitarunt, respexit tantum ANTON. TOVRON. Idem ille *Parisiis* ab *anno* 1743. vsque ad *a.* 1749. Tomos VI. *in 4.* splendide edidit, ita inscriptos: *Histoire des Hommes illustres de l'Ordre de Saint Dominique, c'est à dire des Papes, des Cardinaux, des Prélats éminens en Science et en Sainteté, des celebres Docteurs, et des autres grands personnages, qui ont le plus illustré cet Ordre, depuis la mort du S. Fondateur, jusqu'au Pontificat de Benôit XIII.* Hausit Auctor ex fontibus optimis, tantoque mox plausu doctissimi eius Commentarii excepti fuere, vt Hispanice etiam Italiceque redderentur. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1745. *p. 732.* et KRAFTII *neue theolog. Biblioth. Vol. I. p. 107.* Idem TOVRONIVS speciatim exhibuit *La Vie de S. Thomas d'Aquin, de l'Ordre des Freres Prêcheurs, Docteur de l'Eglise, avec un Exposé de sa doctrine, et de ses Ouvrages, ibid. a.* 1737. *in 4.* hancque Vitam, de qua plura honorifica leguntur in *Supplement. ad Noua Acta Erud. Tomo VI. p. 385. sq.* subsequuta est *ibid. eademque forma anno* 1739. *La Vie de S. Dominique de Guzman, avec l'Histoire abregée des ses premiers Disciples.*

Pergendum nunc ad Scriptores de Fratribus Ordinis Minorum, seu Francisci. Pertinent huc *Athenae Orthodoxorum Sodalitii Franciscani, qui vel selecta eruditione, vel floridiore eloquentia, vel editis scriptis sanctissimae Dei sponsae, Romanae Ecclesiae, operam nauarunt*, auctore HENR. WILLOTO, *Leodii a.* 1598. et *Antwerp. a.* 1600. *in 8.* Successit CAROL. DE AREMBERG. qui *Colon. Agripp. a.* 1640. et

1641. *in fol. Vol. II.* diuulgauit *Flores Seraphicos, ex amoenis Annalium hortis* ZACH. BOVERII *collectos, siue Icones, Vitas et gesta Virorum illustrium Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum.* Recenset Scriptor ille, illustrissima stirpe ortus, eos homines, qui ab anno 1525. vsque ad a. 1612. in eodem Ordine miraculis et vitae sanctimonia floruerunt. Icones elegantia commendat, totumque Opus adhibita diligentia. Recusum est *Mediolani a.* 1648. Vid. CLEMENT *Biblioth. de livres dificiles à trouver, T. II. p. 16.* In *Catalogo libr.* FR. OTT. MENCKENII, *P. II. p. 267.* memoratur etiam editio *Pragensis, annum* 1694. prae se ferens, cuius haud meminit laudatissimus CLEMENTIVS. Prodierunt deinde *Romae a.* 1650. *in fol.* LVCAE WADDINGI *Scriptores Ordinis Minorum, quibus accessit Syllabus eorum, qui ex eodem Ordine pro fide Christi fortiter occubuerunt.* Est hic liber quasi octauum vltimumque Volumen *Annalium Ordinis Minorum,* qui ab eodem confecti Auctore *Lugduni a.* 1635. *sq.* lucem viderunt, quique studio IOSEPHI MARIAE FONSECA AB EBORA ita sunt aucti et emendati, vt nunc *Tomos XVIII. in fol.* cum Indice vniuersali expleant. Adornata est noua haec et pretiosa editio *Romae anno* 1731. *sq.* primoque Tomo praefixa WADDINGI *Vita,* quam FRANCISC. HAROLDVS composuit. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1738. *p.* 193. *sq.* et alibi passim. Supplementum Waddingianae, et incrementum nouae Franciscanae Bibliothecae IOH. A DIVO ANTONIO suam vocat *Minorum Fratrum, origine, domicilioue discalceatorum atramento et sanguine scriptorum Bibliothecam, Salmanticae a.* 1728. *in* 4. excusam, at apud nos longe rarissimam. Pauca de ea refert, et de Waddingi Opere, AVG. BEYERVS *in Memor. libr. rar. p. 73. sq.* LIRONIVS etiam in *Singularitez histor. et littér. l. c. p. 358. sq.* inseruit *Additions à la Bibliotheque des Freres Mineurs*

Mineurs de LVC. WADDING. Amplos in hoc argumento fructus adfert DIONYSII, Genuensis, *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum*, edita *Genuae* primum *a.* 1680. *in 4.* iterumque, adcuratius ordinata, et vltra ducentorum Scriptorum elucubrationibus locupletata, *a.* 1691. *in f.* Quod Volumen quum esset in ipsa Italia inuentu difficillimum, nouam editionem, eamque longe praestantiorem, BERNARDVS A BONONIA *Venetiis a.* 1747. *ead. forma* exhibuit. Vid. de hoc octoginta circiter plagularum libro, qui nunc aliis huius generis palmam reddere dubiam potest, *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1750. *p. 867.* et GOETZII *Merckwürd. der Königl. Bibliothec zu Dresd. Vol. III. p. 304.* Errores quosdam emendatos inuenies in *der fortgesetzten Sammlung von alten und neuen theolog. Sachen, anni* 1747. *Symbola IV.* Laudatus quoque Goetzius *l. c. p. 48.* differit de IOH. FRANCHINI *Bibliosofia e Memorie letterarie di Scrittori Francescani Conventuali, ch'hanno scritto doppo l'anno* 1585. *In Modena* 1693. *4.* Quadringinta tantum exemplaria, sumtu forsitan Auctoris, excusa dicuntur. Trecenti autem octoque ac decem Fratres Minores hoc in Opere producuntur, Theologi plerumque ac Philosophi, cum Catalogo eorum, quae ab iisdem scripta fuere. Ordo est alphabeticus secundum praenomina, quam vero molestiam tollit Index cognominum. Dictio Franchini confusa nonnunquam et obscura est: nihilo tamen minus hoc tolerari facile potest, si consideraueris, eum passim Obseruationes immiscuisse criticas, et emendationes errorum, quos alii admiserant. Studio RENATI THVILLIER debetur *Diarium Patrum, Fratrum et Sororum Ordinis Minimorum Prouinciae Franciae, seu Parisiensis, qui religiose obierunt ab a.* 1506. *ad a.* 1700. *Paris.* 1709. *in 4.* Memoriae secundum dies, quibus mortui sunt sin-

 guli,

guli, diſpoſitae duos conſtituunt Tomos, quolibet ad ſex menſes adcommodato. Ingens hic eorum numerus, qui ſplendido nati loco aſperrimi Ordinis diſciplinam ſaeculi ſui deliciis praetulerunt, interque hos non pauci, meritis in rem litterariam conſpicui, reperiuntur. Varia de his memorabilia congeſſit Auctor, at ſtilo vſus eſt parum comto iucundoque. Vid. *Actor. Erud. Supplementa Tomo IV. Sect. 9. p. 428. ſq.* Addi denique debet laudati ſupra IOH. A DIVO ANTONIO *Bibliotheca vniuerſa Franciſcana, ſeu Alumnorum trium Ordinum S. Franciſci, qui ab Ordine Seraphico condito, vsque ad praeſentem diem, ſcripto aliquid conſignarunt, Encyclopaedia,* Willoti *Athenaeo et Syllabo* Waddingiano *locupletior: in tres diſtributa Tomos, adiectis neceſſariis Indicibus, ac materiarum Bibliotheca, Madriti a.* 1732. *et* 1733. *in fol.* Vol. III. Pauci tamen erunt in Germania, quorum oculis obuenerit tantae Opus raritatis.

§. XXVII.

Aliquot annis ante Ordinem Praedicatorum ortus eſt Carmelitanus, a monte Carmelo in Palaeſtina ſic vocatus, vbi Albertus, Patriarcha Hieroſolymitanus, Eremitas congregauit, praeſcripta iis viuendi ratione, cum S. Baſilii formula congruente. De eruditis huius Ordinis hominibus habemus IOH. TRITHEMII *de laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum libros II.* quorum alter illuſtres Viros recenſet. Exſtat Opuſculum cum in IOH. BAPT. MANTVANI *Operibus, Antwerp.* 1576. *in 8. Tomo IV. p. 244. ſq.* tum in *Paralipomenis* TRITHEMII, a IOH. BVSAEO *Mogunt. a.* 1605. *in 8.* editis. Hic ipſe liber ſecundus, qui ſolus huc pertinet, *Florentiae a.* 1593. ſeparatim quoque prodiit, hoc quidem titulo: *Carmelitana Bibliotheca, ſiue illuſtrium aliquot Carmelitanae*

litanae Religionis Scriptorum, et eorum Operum, Catalogus, auctus, recognitus, annotationibus illustratus, et ordine alphabetico digestus a PETRO LVCIO, *in* 4. IOH. MARIA PENSA aperuit *Teatro degli Huomini illustri della Famiglia Carmelitana di Mantoua, Mantuae a.* 1618. *in* 4. MARC. ANT. ALEGRE in *Paradiso Carmelitici decoris*, vbi Virorum illustrium Elogia exhibentur, *Lugd. a.* 1639. *in fol.* multa nullius fidei scripsit, ideoque iam LABBEVS *Bibl. Bibliothec. p. m.* 151. de *eo Opere*, inquit, *merito sani omnes dicent ἀντὶ θησαυρῦ ἄνθρακες.* DANIEL etiam A VIRGINE MARIA in *Vinea Carmeli, seu Historia Eliani Ordinis* (ab Elia enim Propheta institutum hunc esse somniant, qua de re conf. *Acta Erud. Lat. a.* 1715. *p.* 429.) Parte VI. *de Viris illustribus* agit *Ordinis Carmelitani.* Excusum Opus *Antwerp. a.* 1662. *in* 4. Denique in *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol.* 1. *p.* 615. adfertur MARTIALIS A. S. IOHANNE BAPTISTA *Bibliotheca Scriptorum vtriusque Congregationis et Sexus Carmelitarum, Burdigalae a.* 1730. *in* 4. Laudant Auctoris institutum, eundemque multos Scriptores, antea incognitos, ex tenebris eruisse, ac de vita ipsorum librisque breuiter disseruisse, et ordine quidem alphabetico, adfirmant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1730. *p.* 885. Eaedem Ephemerides *anni* 1753. *p.* 609. *sq.* mentionem iniiciunt *Bibliothecae Carmelitanae, notis criticis et Dissertationibus illustratae*, quam paret COSMAS A ST. STEPHANO, antea COSMAS DE VILLIERS dictus. Et excusum omnino esse Opus *Tomis II. in fol. Aureliae a.* 1752. tertiumque adhuc Volumen exspectari posse, adseritur in *France littér. par* FORMEY *p.* 148.

De Scriptoribus e Societate Iesu primus egit PETR. RIBADENEIRA, cuius *Catalogus Scriptorum Religionis Societatis Iesu Antwerp. a.* 1608. *in* 8. luci est expositus. Additis correctisque nonnullis, quae de

de Scriptoribus Gallicis minus recte Auctori innotuerant, recusus fuit locupletior *Lugduni a.* 1609. iterumque *Antwerp. a.* 1613. *ead. forma*, cum insigni accessione per ANDR. SCHOTTVM. Insequuta est *ibid. a.* 1643. *in f.* alia editio, sic inscripta: *Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu, post excusum a. 1608. Catalogum P. Ribadeneirae nunc hoc nouo apparatu librorum, ad annum 1642. editorum, concinnata, et illustrium Virorum elogiis adornata.* Post hanc meliorem adhuc meditabatur ALEGAMBIVS, iamque multa collegerat, quae corrigendo amplificandoque Operi possent inseruire. Sed morte intercedente spartam hanc reliquit NATHAN. SOTVELLO, qui schedis eius vsus est, *Romae*que *a.* 1676. *in fol.* publicauit nouam huius Bibliothecae editionem, recognitam productamque vsque ad annum 1675. Vid. hic omnino BAELIVS in *Dict. histor. et crit.* v. Alegambe, vbi adcurata Operis historia exstat, de quo et haec digna sunt memoratu: *L'exactitude d'Alegambe est sans doute merveilleuse; mais il ne laisse pas d'y avoir encore dans son livre quelques péchés d'omission et de commission. Il n'a pas toujours marqué la prémiere edition des livres; ce qui est un défaut important, et qui regne dans toutes les Compilations, qu'on a vues jusqu'ici. Personne ne s'est encore avisé de publier un recueil éxact de toutes les éditions, et de marquer soigneusement la prémiere. Gesner et ses Continuateurs ont eu là-dessus une extrême négligence. Le Pere Sotvel, voulant éviter le détail où Alegambe descend quelquefois un peu trop, est tombé dans une trop grande sécheresse. Il s'en faut bien, qu'il ne fût né pour ce travail autant qu'Alegambe. Les curieux, je parle même de ceux, qui l'excusent sur les Ordres, qu'il peut avoir reçus de ses Supérieurs*

rieurs par raport aux Ecrivains Anonymes ou Pseudonymes, mettent en cela son Ouvrage fort au dessous du précedent, où l'on trouve la découverte de tant d'Ecrivains cachez. Add. *Biblioth. Angloise Tom. XIII. Part. 2. p. 451. sq.* quo loco ita, et ex vero quidem, pronunciatur: *Le Catalogue, que* Sotvel *en a donné, n'est point parfait, et ce defaut est en géneral celui, qui regne dans les Bibliothequaires de l'Ordre. Il s'en faut bien, que tout y soit dans l'exactitude, qu'on devroit attendre d'une Societé si jalouse de sa gloire, et qui se pique avec tant de hauteur d'exceller en tout.* Ribadeneira, Alegambe *et* Sotvel *n'ont point à cet égard approché des Peres* Quetif *et* Echard, *Auteurs de la Bibliotheque des Dominicains* caet. Hoc ipso saeculo auctiorem dicti Operis editionem parare voluisse PHILIPP. BONANNVM, docent nos *Memoires de Trevoux m. Ian. et Febr. a.* 1702. *p. 100.* Sed abiecit postea consilium, aliisque negotii curam concessit. Si recte intelligo verba in celeberrimi FORMEY *France littéraire p. 151.* IOH. LVDOV. COVRTOIS iam parat Bibliothecam Scriptorum e Soc. Iesu, a FRANC. OVDINO antea coeptam. Ita enim scribitur *l. citato: Il a succedé au P. Oudin dans le travail de la Bibliotheque des Ecrivains de la Compagnie de Iesus.* Nouum igitur Opus exspectandum, prioribus sine dubio, in hac litterarum luce, anteferendum. Quae a PHIL. LABBEO exarata est *Bibliographia Patrum Societatis Iesu in regno Franciae, anni* 1661, ea saltim libros eo anno ab ipsis editos repraesentat. Exiit *Paris. a.* 1662. *in 4.* Eundem laborem suscepit Anonymus, qui composuit *Bibliotheque Jesuitique, ou Catalogue des Ouvrages composez nouvellement par les Jesuites, avec des notes sur les endroits difficiles, (ibidem)* 1716. *in 8.* Hic et locum vindicant sibi *Imagines Praepositorum Generalium Soc.*

Iesu

Iesu, delineatae, et aereis formis expressae ab ARN. WESTERHOVT, *addita perbreui vitae descriptione a* NIC. GALEOTTO, *Romae a.* 1748. *in fol. mai.* Tredecim tantum sunt plagulae, quae XV. Virorum, qui praefuerunt huic Ordini, Icones elegantes complectuntur. Vitae paucis verbis Latine Italiceque accesserunt. Cf. *Leipz. gel. Zeit. a.* 1750. *p. 170.*

Atque hactenus de variorum Ordinum Monasticorum Viris eruditis. Plures laudantur passim Scriptores, quos hic frustra quaesiueris. Sed de aliis nondum est certum, eos typis esse impressos: de aliis defuerunt mihi necessaria subsidia: de aliis etiam, leuioris quippe momenti, consulto tacere malui, quam Lectores ingenti onerare farragine. Praestantiores interim attulisse me credo, hique omnes propemodum raritatis erunt signo notandi. Generatim adhuc potest addi HIPPOL. HELYOT *Histoire des Ordres Monastiques, religieux et militaires, à Paris* 1714. *sq. in 4.* Voluminibus VIII. *cum fig. aen.* quam plurimis. Cuius pulchri Operis, in quo et Vitae occurrunt, Tomos quatuor priores ipse Auctor edidit, caeteros, post eius obitum, ex schedis relictis adornasse dicitur Pater, LOVIS. Vid. IOECHERI *Gelehrten-Lexicon,* v. Helyot. Versio Germanica *eadem forma Lipsiae a.* 1753. coepta est, nuperque absoluta. In *Memoires de Trevoux anni* 1721. *m. Maio artic.* 4. et *m. Sept. art.* 7. exstat ANTON. BECQVETI Supplementi nonnihil cum obseruationibus criticis, hoc titulo: *Supplement et Remarques critiques sur le 23 Chapitre du VI. Tome de l' Histoire des Ordres Monastiques, où il est parlé de l' Ordre des Celestins.*

§. XXVIII.

Progrediamur nunc ad Biographos eorum, qui certas professi sunt scientias, vel artes. De Vitis quidem

quidem Scriptorum ecclesiasticorum, inter antiquiores, primus hic merito locus datur HIERONYMO, qui nullum habens praecursorem, nisi quod EVSEBIVS, vt ipse ait, maximo ei adiumento fuit, quem et passim sequitur, confecit *Catalogum Scriptorum ecclesiasticorum*, seu *de Viris illustribus* librum, in quo tales Viros, a Christi patientis tempore, vsque ad finem fere saeculi IV. percensuit. Exstat hoc Opusculum in omnibus monumentorum Hieronymianarum editionibus. Separatim prodiit cum notis variorum, et ipsius Editoris, ERN. SALOM. CYPRIANI, *Helmst. a.* 1700. *in* 4. Adcuratissime autem id recusum in IOH. ALB. FABRICII *Bibliotheca ecclesiastica*, cum Graeca SOPHRONII versione, adiunctis praeterea castigationibus SVFFRIDI PETRI, et IOH. MARCIANAEI, nec non integris ERASMI, VICTORII, GRAVII, MIRAEI, TENTZELII et CYPRIANI adnotationibus. Post Hieronymum GENNADIVS, Presbyter Massiliensis, de *Scriptoribus ecclesiasticis* egit, qui illius tempora subsequuta sunt, paucisque quibusdam, Hieronymo aut antiquioribus, aut aequalibus, sed ab eo praeteritis. Et hunc Auctorem CYPRIANVS *Ienae a.* 1703. *in* 4. luci exposuit, eundemque cum variis contulit Codicibus manuscriptis, simul notas cum diuersorum, tum suas subiungens, praemittensque GVIL. ERN. TENTZELII *florum sparsionem ad Hieronymi librum, supra adductum.* Continuauit Hieronymi Gennadiique Commentarios ISIDORVS, Hispalensis, qui circa annum Christi IↃ CX. *de Scriptoribus ecclesiasticis*, quorum tres ac triginta profert, agere studuit, quibusdam etiam repetitis, quos priores iam memorauerant. Ei vero nouam Additionem, quatuor ac decem Scriptores continentem, parauit circa annum IↃ CLX. ILDEFONSVS, Episcopus Toletanus; quem sequutus est saeculo circiter XII. HONORIVS, Augusto-

gustodunensis Ecclesiae Presbyter, in *libris IV. de Luminaribus Ecclesiae*, vbi omnes, vt ipse ait, Scriptores ecclesiasticos a tempore Christi vsque ad suam aetatem nominatim expressit, quos ex Hieronymo, Gennadio, Isidoro, Beda, et aliis, cognoscere potuit. In prioribus tamen libris multa admiscuit, quae apud eos, e quibus mutuatus est pleraque, non exstant, etiam integra Elogia. Sic et SIGEBERTI, Gemblacensis, eodem fere tempore scriptum libellum, postremum inter caetera eius, *de illustribus Viris ecclesiasticis* centum et septuaginta, habemus, in quo, vt *cap. vltimo* profitetur, Hieronymum et Gennadium imitatus est. Plerique apud illos non inueniuntur. Sigeberto successit HENRICVS, Gandauensis, qui in similis argumenti libello Catalogum Virorum illustrium, a b. Hieronymo inchoatum, et a Sigeberto vsque ad sui aeui tempora perductum, ad suum tempus vltra extendere adgressus est, quae ipsius verba sunt *in Praefatione*. Peruenit vsque ad annum CIↃCCLXXX. Scriptoresque sexaginta in medium protulit. Hi omnes, quos recensuimus, saepius fuerunt editi. Primum illos coniunxit SVFFRIDVS PETRI *Coloniae a.* 1580. *in 8.* Idem fecit AVBERT. MIRAEVS in *Bibliotheca ecclesiastica*, *Antwerp.* 1639. *in f.* Vterque notas, posterior Auctarium quoque Scriptorum IↃLIV. et Mantissam aliorum LV. adiecit. Nunc autem locupletissima est et elegantissima laudati supra FABRICII *Bibliotheca ecclesiastica*, *Hamburg. a.* 1718. *in fol.* diuulgata. Integrum is MIRAEI Opus, cuius Tomus II. *Antwerp. a.* 1649. accessit priori, non solum curauit recudendum, sed e sua etiam et aliorum penu varia adiecit, qua de re vid. *Acta Erud. Latina eodem anno p.* 444. *sq.* Agmen inter antiquiores claudat IOHANNES TRITHEMIVS, saeculo XV. et initio sequentis inclitus, cuius supersunt

ſunt de *Scriptoribus eccleſiaſticis Collectanea.* Deſcripſit Trithemius, at breuiter plerumque, nongentos et ſeptuaginta homines eruditos, in quibus nonnulli politici occurrunt. Lapſus quidem non ſemel eſt et a veritate aberrauit, condonandum hoc tamen obſcuritati temporum, quibus vixit, et id ſpectandum potius, quod adſequutus eſt Auctor, quam id, quod, vndequaque tenebris circumfuſus, adſequi non potuit, iudicante ſic REIMMANNO in *Catalogo Biblioth. theolog. p. 84.* Prima libri editio, quae eſt rariſſima, videtur *Baſileenſis* eſſe *in folio, annum* 1494. prae ſe ferens, quo et *Moguntiae in 4.* alia eſt adornata. Recuſus deinde, additis nonnullorum ex recentioribus Vitis et nominibus, qui ſcriptis ſuis, aetate ſuperiori, clariores euaſerunt, *Pariſ. a.* 1512. *in* 4. Exſtat quoque in *Operibus* TRITHEMII, cura MARQV. FREHERI *in fol.* collectis, et in FABRICII *Biblioth. eccleſiaſt. p. 203. ſq.* vt caeteras taceam editiones. Cf. ad hunc §phum generatim IOH. ANDR. BOSII *Introd. in notit. Script. eccleſ. a* IOH. GEORG. WALCHIO *Ienae* 1723. *in 8.* diuulgata, *p. 54. ſq.* et *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. 1. p. 814. ſq.*

§. XXIX.

Ex recentioribus de Scriptoribus eccleſiaſticis egerunt complures. Primus eſt, qui huc referri debet, ANTON. POSSEVINVS in *Apparatu ſacro*, quod Opus *Venet. a.* 1603. *ſq. Tomis III.* iterumque *Colon. a.* 1608. *Tomis II. in fol.* prodiit. Optima haec poſtrema, nec tamen facile obuia, editio. Proteſtantium nulla hic eſt mentio iniecta; cauit auctor potius, ne palam fierent nomina eorundem, ſtudia et merita in rem litterariam. Laudantur interdum quoque ſcripta, quae nunquam luci fuerunt expoſita. Alii compilatorem illum dicunt nec

multae curae, nec iudicii. Et negari certe nequit, eum collecta ab Hieronymo, eiusque continuatoribus, Trithemio, Gesnero, Suffrido Petri, caet. suos in vsus transtulisse, erroresque admisisse haud paucos. Condonandi ipsi tamen aliqui videntur, si aetatis, qua vixit, conditionem spectauerimus. ROBERTO BELLARMINO saltim non vno nomine, BOSII ex sententia, *l. c. p. 38.* praeferri meretur. Subsequutus est dicti BELLARMINI de *Scriptoribus ecclesiasticis* liber vnus, cum adiunctis Indicibus vndecim, et breui chronologia ab orbe condito, vsque ad a. 1612. Saepius est editus, primumque, quantum sciam, *Romae anno* 1613. *in 4. Paris. ann.* 1617. *in 8.* adcurate admodum, studio SIRMONDI, postremo *Bruxellis a.* 1719. *in 8.* prioribus editionibus, quarum dicuntur quaedam foede corruptae, emendatior, pluribusque Scriptoribus auctior, iuxta exemplar ab ipso quondam Bellarmino recognitum. De naeuis libri vid. BOSIVS *l. c. p. 28. sq.* Multa quippe ad chronologiam, historiam criticamque spectantia praetermisit; multos Scriptores nobiles, aetate sua iam notos, neglexit; eorum, quos memorauit, editiones meliores plerasque haud attulit; dubia subinde ac supposita scripta, vt gratum faceret Pontificiis, pro veris atque sinceris habuit, atque rationibus etiam confirmare enisus est; dogmata item Sectae suae, aliud velut agendo, interseruit ac propugnauit. Cf. REIMMANNI *Catal. Biblioth. theologicae p. 111. et p. 123.* Postea PHILIPP. LABBEVS suis exire scriniis passus est *Dissertationem philologicam et historicam de Scriptoribus ecclesiasticis, quos attigit* BELLARMINVS, *Paris. a.* 1660. *in 8.* Tomis II. In Praefatione profitetur, se diligenter cauisse, ne quid repeteret ex iis, quae iam apud Bellarminum legi queant, nec indigeant castigatione, aut illustratione maiori: quae is vero praetermiserit,

miserit, ea ex suis aliorumque eruditorum Obseruationibus non se neglexisse, eiusque et aliorum errata interdum correxisse: Graecorum Patrum editiones Graeco-Latinas, caeterorumque Scriptorum perfectissimas quasque solerter indagare studuisse: ordinem se alphabeticum esse amplexum, inque Auctorum Elogiis ad nomen, cognomen, patriam, parentes, dignitatem, professionem, annumque obitus studiose respexisse, eosque subiunxisse, qui de illis loquuti sint, caet. Egregia promisit, nec tamen bona semper fide, satisque plene, partibus suis functus est Labbeus, Protestantibus simul omnibus, quauis oblata occasione, iniquissimus. Idem persequi a Bellarmino incepta constituerat, quod vero non perfecit, ideoque id negotii suscepit ANDR. SAVSSAY, cuius exstat *insignis libri de Scriptoribus ecclesiasticis Cardinalis* Bellarmini *Continuatio, ab a.* 1500. *in quo desinit, ad annum* 1600. *Tulli Leucorum a.* 1665. *et Coloniae a.* 1684. *in* 4. Et hic Protestantium nomina perpetuis tenebris esse circumfundenda credidit, vnde factum, vt eos tantum Scriptores hisce Paralipomenis insereret, qui eiusdem secum disciplinae fuerunt. Hos omnes laudibus ad coelum vsque extollit, panegyristae similior, quam historico. Scripta plerorumque non adcurate memorat. Nonnullos etiam a Bellarmino iam adlatos denuo adfert. Et quum haereticos vbique conspuendos, eorumque sedulo recensenda scripta existimat, qui eosdem lapidandos esse conclamarunt: in omnibus fere paginis de iis differit, quos indignos memoria iudicauit. Conradi Gesneri tamen aliorumque plumis ita se vestit, vt absque iis si fuisset, Aesopica cornicula interdum exstitisset pauperior. Vid. REIMMANN. *l. c. p. 106.* Praeter hunc habemus CASIMIRI OVDINI *Supplementum de Scriptoribus, vel scriptis, eccle-*

 siasticis,

siasticis, a BELLARMINO *omissis*, editum *Paris. ann.* 1686. *in 8.* Progressus est ad annum 1460. vel ad artem typographicam inuentam. Scriptores a Bellarmino adductos non penitus negligit, quin potius addit aliqua, vel emendat, idque non sine cura et eruditione praestitit passim, concesso ipsi Regiae, aliarumque praestantiorum apud Gallos Bibliothecarum vsu. Interim plagiarium eum dicit GVIL. CAVE in *Histor. litter. Scriptor. eccles. p. 235. edit. Genev. a.* 1694. vbi haec: *Casimirus Oudin quae de Capreolo habet, ex Miraeo, (vti ipse ferme Miraeus ex Sirmondo) suppresso Auctoris nomine ad verbum descripsit, de suo ne γρὺ quidem addito: sed infinitus essem, si omnia notare vellem, quae ex aliis exscribere solet nuperus hic compilator, vir alioqui satis candidus.* Et *p. 303.* Labbei mentionem iniiciens, qui de Leontio egerat, *a quo*, ait, *vt hoc etiam obiter moneam, integrum, idque bene longum, quod de hoc Scriptore habet, caput desumsit, vt alia saepe solet, Casimirus Oudin, nec citato Auctore, nec verbulo fere addito. Verum si hoc non sit libros exscribere potius, quam scribere, et plagio plane intolerando alienis plumis se totum ornare, iudicet totus eruditorum chorus.* PETRI HALLOIX *illustrium Ecclesiae Orientalis Scriptorum, qui sanctitate iuxta et eruditione primo et secundo Christi saeculo floruerunt, Vitae et documenta Duaci a.* 1633. *in fol.* prodierunt, accedente Tomo II. *a.* 1636. quod Opus rarius factum non inter optimae notae libros numeratur ab eruditis. Magna quoque de Scriptoribus ecclesiasticis olim AVGVSTVS VARENIVS, Theologus Rostochiensis, meditabatur. Inceperat quippe *Rationarium theologicum de Scriptoribus ecclesiasticis*, cuius saeculum primum *Rostoch. a.* 1669. saeculum alterum 1673. saeculum

culum tertium 1683. *in 4.* lucem adſpexit. Anno ſequenti Vir doctus vitam cum morte commutauit, quod, vel huius inſtituti cauſſa, maxime dolendum. Saeculum I. et II. poſſedit ſaltim REIMMANNVS, vti patet ex eius *Biblioth. theologica p. 110.* quo loco ſic diſſerit: *Opus imperfectum reliquit Auctor. Sed ita reliquit, vt Apelles Coae Veneris caput, et ſumma pectoris, cuius pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem poſteris abſtulit. Sane ſi, qua coepit, dexteritate totum Rationarium perfeciſſet Varenius, tantam iis, qui poſt eum hoc argumentum ſuſceperunt, inſpiraſſet formidinem, quantum, qui antea in eo deſudarunt, incuſſit pudorem.* Referendus huc porro IOH. GODOFR. OLEARII *Abacus Patrum et Scriptorum eccleſiaſticorum alphabeticus, Ienae* 1673. *in 8.* Supplementum hunc eſſe librum voluit *Patrologiae*, a IOH. GERHARDO non eo quidem animo relictae, vt excuderetur. Multa certe protulit Olearius, quae ſunt erudita, fuſior ſit licet in notandis diuerſis editionibus, quam deſcribendis Vitis Doctorum Eccleſiae, qui a prima eiusdem origine, vsque ad Lutheri tempora, floruerunt. Quum deinde huius editionis nulla ſupereſſent exemplaria, poſſetque ingens fieri libro acceſſio, nouam parauit, eamque longe auctiorem et emendatiorem, editionem filius, IOH. GOTTLIEB OLEARIVS, poſtea Ictus in Academia Regiomontana. Diuulgata eſt *Ienae anno* 1711. *in 4. Tomis II. Bibliothecae eccleſiaſticorum Scriptorum* titulo inſignita. Recte de hoc Opere iudicat, quicunque id recenſuit in *Memoires de Trevoux m. Oct. a.* 1712. *p.* 1824. En! ipſa verba: *Ce n'eſt qu' un Catalogue de tous les Auteurs eccleſiaſtiques, qui ont écrit jusq' à l'annèe mil cinq cens quarante quatre, où l'on apprend le tems, au quel chacun d'eux a vécu, ſa patrie, ſa profeſſion, ſes écrits, les meilleures editions qu'on en ait, et les livres, qu'il faut conſulter,*

pour en apprendre davantage. En un mot, c'est un abregé clair, exact, et judicieux des Ouvrages des Peres Labbe *et* Possevin, *de Mr.* Cave, *de Mr.* Dupin, *de Messieurs* Oudin *et* Wharton. Cf. *Acta Erud. Latina a.* 1711. *p.* 419. *sq.* Apud Anglos eidem argumento illustrando strenue intendit animum GVIL. CAVE, iam laudatus. In lucem is emiserat, LABBEI *Dissertatione*, quae supra est producta, adiutus, *Londini a.* 1674. *in fol. Tabulas, quibus Doctores et Scriptores ecclesiastici, eorumque patria, ordo, aetas et obitus* ab anno Epochae Christianorum primo, ad a. 1519, exhibentur in Synopsi. Recusae hae statim, cura RVD. CAPELLI, *Hamb. a.* 1676. *ead. forma.* Instantibus postea amicis, vt de Scriptoribus ecclesiasticis adcuratius aliquid commentaretur, suppletisque, in aliorum hac de re libris quae deesse videbantur, Opus conderet, quod communi studiosorum inseruire posset emolumento, manus tandem dedit Caueus, et conquisitis vndique subsidiis, fundamentum Voluminis maioris iecit. Varia interim impedimenta ipsi obstitere. Ne tamen egisse nihil diceretur, exhibuit *Lond. a.* 1685. *in 8. Chartophylacem ecclesiasticum*, in quo prope MD. Scriptores ecclesiastici, tam minores, quam maiores, tum catholici, tum haeretici, eorumque patria, ordo, secta, munera, aetas, interitus, editiones Operum praestantiores, Opuscula, quin et ipsa fragmenta, breuiter indicantur, Scriptores dubii a certis, suppostitii a genuinis, non exstantes a superstitibus, distinguuntur, a Christo nato vsque ad annum 1517. Accedunt Scriptores gentiles, Christianae religionis oppugnatores, et breuis cuiusuis saeculi conspectus. Commentarii loco in Tabulas Scriptorum ecclesiasticorum is esse liber potest, vbi sexcenti errores, siue amanuensis, siue typophetae, culpae tribuendi, qui in eas Tabulas irrepserant, emendati fuerunt.

Naeui

Naeui tamen adhuc varii relicti. Vix editus erat hicce Chartophylax, quum *Paralipomena* ad eundem pararet PAVL. COLOMESIVS. Excuſa haec ſunt *ibid. a.* 1686. *in 8.* et recenſentur in *Act. Erud. Lat. a.* 1686. *p.* 551. *ſq.* Typis repetita fuere, vna cum ipſo Chartophylace, *Lipſ. a.* 1687. *in 8.* iterumque ſeparatim et auctiora *Lond. a.* 1687. *eadem forma.* Adiecta inueniuntur quoque, denuo emendata et locupletata, eiusdem *Obſeruationibus ſacris, ibidem a.* 1689. *in* 12. recuſis, itemque *Fabricianae Collectioni* Operum Colomeſianorum, *Hamburg. a.* 1709. *in 4.* adornatae. Eruditus CAVEI labor aeſtimabatur ab omnibus, ſed quum de nimia eius breuitate conquererentur plerique, ipſumque Auctorem, vt ampliori Operi manum admoueret, incitarent, ſequebatur *Londini a.* 1688. *in f. Scriptorum eccleſiaſticorum Hiſtoria litteraria, a Chriſto nato vsque ad ſaeculum XIV.* quod ipſi terminum conſtituit grauiſſimo tunc morbo adflicto. Quare, de vita pene deſperans, in partes vocauit HENRICVM WHARTONVM, vt eadem, qua Caueus coeperat, methodo reliqua abſolueret. Is igitur, qui in prioribus iam ſaeculis Scriptorum loca inueſtigando, editiones conferendo, Opuſcula quaedam Graeca vertendo, aliisque modis Auctorem ſubleuauerat, Adpendicem addidit, in qua Scriptores recenſentur ab anno 1301. vsque ad a. 1517. iuxta ordinem et fundamenta, in Chartophylace poſita. Succeſſit *ibidem a.* 1698. Caueani Operis *Pars altera*, in qua ipſe plusquam ſexcentos Scriptores nouos, editos, manu adhuc exaratos, deperditosue memorauit, prioribus multa adiecit, breuiter aut obſcure dicta illuſtrauit, recteque adſerta vindicauit. Duo poſtrema ſaecula recognoſcere et augere decreuerat Whartonus; at eo in aetatis flore viuis erepto, hanc in ſe prouinciam ſuſcepit ROBERT GERIVS,

qui praeterquam, quod non exiguum Scriptorum numerum, a Whartono neglectum, obſeruarit, in eo cum primis fuit adſiduus, vt illius aetatis monumenta nondum edita, quae paſſim in Bibliothecis deliteſcunt, quantum quidem licuit, indicaret. Denique Caueus tres ſubtexuit Diſſertationes ſingulares, quarum prior *de Scriptoribus eccleſiaſticis incertae aetatis*, altera *de libris et officiis eccleſiaſticis Graecorum*, tertia DE EVSEBII *Caeſarienſis Arianiſmo, aduerſus* IOH. CLERICVM, agit. Recuſum eſt, ſed admodum vitioſe, elegans vtiliſſimumque Opus *Geneuae* a. 1694. et *a.* 1699, quo Pars altera prodiit, *in fol.* Denuo id factum *ibid. a.* 1705. et 1720. quae poſtrema exemplaria et magis nitida ſunt et adcurata. Optima vero nunc, et a Caueo ipſomet ante obitum inſigniter emendata atque aucta, editio eſt *Oxonienſis*, cuius Volumen I. *a.* 1740. Vol. II. *a.* 1743. *in f.* exiit. Qui eiusdem ſuſtinuit curam, in Obſeruationibus cuilibet folio adiectis, praecipueque tribuendis induſtriae THOMAE TENISONI, Archiepiſcopi Cantuarienſis, varias Scriptorum eccleſiaſticorum editiones notauit, cum antiquiores, a Caueo praetermiſſas, tum nouiſſimas, quae demum poſt eius mortem acceſſerunt. Operam etiam dedit, ne Lectores ignorarent eos Scriptores, qui Auctoris in huius argumenti pertractatione ſequuti ſunt veſtigia. Oxonienſis autem editio quum rarius poſſit in Germania comparari, laudando conſilio *Baſil. a.* 1741. noua eſt adornata, quae commendatur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1746. *p.* 331. *ſq.* Hiſtoriam praeclariſſimi Operis ipſe Auctor expoſuit in doctiſſimis *Prolegomenis*, quae legi omnino debent. Caeterum conf. de eodem *Acta Erud. Lat. a.* 1690. *p.* 76. et *a.* 1699. *p.* 153. *ſq.* TENTZELII *monatbl. Vnterred. a.* 1690. *p.* 948. *ſq.* itemque *die neueſte Hiſtorie der theologiſch. Gelehrſamkeit*, quod

quod Diarium IOH. FRID. COTTA *Tubing. a.* 1721. *in 8.* inceperat, *m. Febr. art.* 1. Add. RICH. SIMONII *Bibliotheque critique, Tomo I. cap.* 17. vbi Obseruationes ad CAVEI Opus de primis Patrum editionibus exſtant: nec non THOMAE ITTIGII *Sched. de Auctoribus, qui de Scriptor. eccleſ. egerunt, Lipſ. a.* 1711. *in 8.* poſt mortem Auctoris publicatum, *ſ. X. p.* 27. *ſq.* quo loco errores Cauei varii, nec ii ſane leues, ſunt notati, vt intelligitur ex *Nouis Miſcell. Lipſ. Menckenianis, Vol. I. p.* 352. Id certum vtique, nimiam eius erga Patres reuerentiam, neglectumque Chronologiae ordinem, facile in oculos incurrere peritorum.

§. XXX.

Huc pertinet porro LVDOV. ELLIES DV PIN *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs eccleſiaſtiques, contenant l' hiſtoire de leur Vie, le Catalogue, la Critique et la Chronologie de leurs Ouvrages, le Sommaire de ce, qu'ils contiennent, un jugement ſur leur ſtile et ſur leur doctrine, et le denombrement de differentes editions de leurs Oeuvres.* Initium Operis factum *Pariſ. a.* 1686. quo Tomus I. trium priorum ſaeculorum Scriptores exhibens *in 8.* prodiit. Recuſus eſt *ibid. a.* 1688. iterumque *anno 1698. ead. forma, Partibus II.* Sequebantur Tom. II. *anno* 1687. denuo editus *anno* 1688. *Partibus II.* et 1702. emendatior et auctior *Part. III.* quae Scriptores ſaeculi quarti continent; Tomus III. de quinti ſaeculi Scriptoribus *a.* 1688. *Partibus II.* et ex edit. altera 1690. et 1702. *Partibus IV;* Tomus IV. de Scriptoribus ſaeculi ſexti *a.* 1690; Tomus V. de Scriptoribus ſaeculi ſeptimi et octaui *a.* 1691. vtroque deinde ſed ſine vlla mutatione recuſo. Hoc ipſo autem tempore tam Romae, quam Pariſiis, grauiſſimae mouebantur

tur Auctori controuersiae, nec ipsi tantum interdicebatur continuatio, suppressis Tomis iam editis, sed ad ea etiam omnia publice recantanda adigebatur, quae iusto liberius contra Pontificiorum dogmata eundem scripsisse, aduersarii contendebant. Cf. *Ordonnance de l'Archevêque de Paris pour condemnation d'un livre, intitulé* Nouvelle Bibl. des Auteurs ecclesiastiques *par* ELLIES DV PIN, *à Paris* 1693. *in 4.* et in RICH. SIMON *Critique de la Bibl. des Aut. eccles. Tomo II. p. 515. sq.* item in PFAFFII *Introd. in Histor. Theolog. litter. P. III. p. 259. sq.* Interruptum sic erat Opus per triennii fere spatium: deinde vero hac ei conditione permittebatur, vt adderet reliqua, si titulum ac methodum in posterum immutaret. Succedebat igitur *a.* 1694. *Histoire des controverses et des matières ecclesiastiques, traitées dans le neuvième siècle;* qui Tomus, ordine VI, iterum exiit *a.* 1698. Hunc excepit *Histoire des controverses* caet. *du 10. 11. et 12. siècle, ibid. a.* 1696. saeculumque postremum in *duas* est *Partes* diuisum. *Annus* 1698. protulit *Histoire des controverses du 13. 14. et 15. siècle.* Et hic saeculo cuiuis Tomus est singularis destinatus, quintum autem ac decimum *Partibus duabus* continetur. Tum Auctor *a.* 1701. *sq.* luci exposuit *Partibus quinque Histoire de l'Eglise et des Auteurs ecclesiastiques du 16. siècle, anno*que 1708. *Partibus septem Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques du 17. siècle.* Vsus est denuo antiqua Operis inscriptione, nomen autem suum reticuit. Magna horum Voluminum pars leui labore composita fuit. Auctor quippe repetiit modo eas librorum recensiones, de quibus agit, ex Diario Parisiensi, *Journal des Savans*, quarum plerasque ipsius deberi calamo constat. Accedebat *a.* 1714. non solum *Histoire ecclesiastique du 17. siècle Partibus quatuor*, verum etiam *a.* 1711. *Supplement contenant les principaux points*

points de l'Histoire ecclésiastique des 4. 5. 6. 7. et 8. siécles, avec une table chronologique. In hac Adpendice eadem ratione, vt in editione tertia Tomi I. factum, succeſſiones Epiſcoporum, qui maioribus praefuerunt Eccleſiis, hiſtoriaque perſequutionum, haereſium, et controuerſiarum, propter diuerſa dogmata ortarum, continuantur. Tum prodiit *eod. anno Partibus II. Bibliotheque des Auteurs eccleſiaſtiques du 18. ſiécle, depuis* 1700. *jusqu'en* 1710. in quibus tamen admodum properauit, nihilque dixit de Auctoribus. His addi debet *Diſcours préliminaire ſur l'ancien et le nouveau Teſtament, à Paris* 1699. *Partibus tribus*, (cuius libri, nunc ſeparati multumque adaucti, Sciagraphiam priori iam editioni Tomi I. Bibliothecae eccleſiaſticae inſeruerat Auctor:) nec non *Table univerſelle des Auteurs eccleſiaſtiques ibid.* 1704. *Partibus V.* quae vero Tabula maxime eſt imperfecta, et pleniſſima vbique errorum. In *Lettres de Mr.* BAYLE *Tom. III. p. 1075. edit. Amſt. a.* 1729. vocatur *un Abregé de toute cette Bibliotheque.* Ex Dictionario Gallico, *La France littéraire* inſignito, *p. 133. edit. Berolin.* intellexi, ILDEPHONSVM CATHELINOT confeciſſe *Tables de la Bibliotheque de Mr.* DVPIN, *Voluminibus IV. in 4;* qui Indices vt mox lucem videant, plurimi optabunt. Omnia haec, quae ductu NICERONII *Parte II. p. 243. ſq. edit. Germ.* recenſuimus, complectuntur *Volumina ſeptem* et *quadraginta*, quae rarius integra conſpiciuntur in Bibliothecis. Quaedam etiam nouiſſime Pariſiis recuſa fuerunt, poſt euulgatum Catalogum Niceronianum, prout indicatur in IEAN NEAVLME *Catalogue d'une belle Collection de Livres et d'Eſtampes, à Berlin* 1755. *in 8. p. 206.* Ibidem numerantur Volumina nouem et quadraginta, quoniam Tabula vniuerſalis, paullo ante adducta, ſeptem dicitur Partes explere. Frequentior eſt editio

edito Belgica, Huguetanorum sumtu repetita *Tomis XIX. in* 4. qui diuersa prae se loca ferunt. Adscriptum est scilicet Tomis I. II. ac III. *à Paris chez André Pralard* 1690; Tomo IV. et V. *à Mons aux depens de Huguetan* 1691; Tom. VI. *à Mons* 1692; Tomo VII. *à Paris* 1696; Tomo VIII. et IX. *à Paris* 1697; Tomo X. XI. et XII. *à Paris* 1700; Tomo XIII. et XIV. *à Mons chez George Gallet* 1703; Tomo XV. et XVI. *à Amsterd. chez Pierre Humbert* 1710; Tomo XVII. et XVIII. *à Amst.* 1711; Tomo XIX. *à Amst.* 1715. Si addere quoque placeat, *Dissertat. préliminaire, ou Prolegomenes sur la Bible, pour servir de Supplement à la Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques*, qui liber *a.* 1701. adiecto *Lutetiae* nomine *in* 4. Tomis II. recusus est, habebis generatim Tomos XXI. Belgicam autem editionem postponit primae NICERONIVS *l. c. p. m. 248.* et ideo quidem, quod maxima eius pars priora exhibeat exemplaria Parisiensia, non ea, quae interiectis aliquot annis emendatiora et auctiora prodierunt. Sed contradicit Barnabitae BAVMGARTENIVS in *den Nachr. von merckwürd. Büch. Vol. VIII. p. 365.* omnesque Tomos Belgicos, a septimo vsque ad vltimum, ipsius Auctoris studio nouum ornamentum accepisse, contendit. Tres priores huius Bibliothecae Tomos, Latine redditos, Huguetani *Colon. Agrippinae*, seu potius *Amstael. a.* 1692. et 1693. *in* 4. ediderunt. Frustra deinde reliqui sunt exspectati. Forte translatio non vbique adcurata numerum emtorum deminuit. Tantopere placuit Opus Anglis etiam, vt illud, sua expressum lingua manu GVIL. WOTTONI, *Londini a.* 1693. *sq.* diuulgarent, cuius editionis *Vol. VI. in fol.* memorata legi. Cf. *Ausführlicher Bericht von neuen Büchern, Parte VI. p. 538.* Nouum laborem, quo continuare priorem volebat, paullo ante mortem adgressus est DV PINIVS. Inscribi-

ſcribitur ille *Bibliotheque des Auteurs ſeparez de la Communion de l' Egliſe Romaine du XVI. et du XVII. Siècle.* Tomus I. *a.* 1718. T. II. *a.* 1719. *Pariſ. in 8. mai.* et alter quidem eo iam viuis erepto lucem adſpexit. Recenſentur in hac Bibliotheca, ſed non ſine multis erroribus, ii Scriptores eccleſiaſtici, qui a Pontificiorum ſacris alieni fuere. Singula etiam ex Wittenio et reliquis noſtrorum Theologorum Biographis hauſta eſſe, nominibus Auctorum ſilentio transmiſſis, teſtatur STRVBBERGIVS in *Diſcurſu praeliminari*, *Indici Theologor. Lutheranor. chronologico* praefixo, *p. 7. nota d*). Cf. hic omnino *l' Europe ſavante a.* 1718. *m. Aug.* itemque *Acta Erud. Lat. a.* 1719. *p.* 395. et *a.* 1720. *p.* 540. quibus locis de naeuis eiusdem copioſius diſſeritur. Quod vero ad Bibliothecam eccleſiaſticam attinet, negari certe nequit, multum in ea induſtriae adparere. Exponit enim Auctor non ſolum vitam Scriptorum ſingulorum, librosque ad rem theologicam ſpectantes et eorum argumenta, verum etiam nonnullos libros fere in compendium redigit, addito iudicio libero, nec aliunde arceſſito. Multa tamen et eſſe deſideranda, docent Viri harum rerum ſatis periti. Vt enim taceam, DV PINIVM in Tomis poſterioribus de ſcriptis fuſe admodum et plerumque diligenter, de Auctorum contra Vitis negligentius agere, non pauca etiam omiſit in Catalogo Operum cum ſuperſtitum, tum perditorum: analyſes eorum paſſim breues nimis dedit et properatas: in iudiciis de primis Eccleſiae Patribus moderationis et verecundiae terminos egreſſus eſt, et falſa non nunquam iis adfinxit: in Chronologia minus exactus deprehenditur: in characteribus Scriptorum eccleſiaſticorum conſignandis, et quaſi imaginibus delineandis, aberrat ſaepiſſime, easque nunc pulchriores, nunc inquinatiores, quam par erat, exhibet:

exhibet: in recensendis editionibus, et iudicio de praestantia illarum, haud raro fallitur. Verum Opere in longo fas est obrepere somnum, maxime si studium Historiae litterariae spectaueris, vbi nihil facilius, quam labi. Carum nihilominus manebit Auctoris nomen apud posteritatem, quae tribuet vtique imbecillitati humanae obuia DV PINII peccata. Proposui haec ex CEILLIERII *Praefat. Tomo I. Historiae generalis Auctor. sacrorum et eccles.* praefixa. Is et alia, minus omnino probanda, addidit, de quibus summatim vid. *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo I. p. 542. sq.* Inter eos, qui data opera, et libris singularibus, adgressi sunt Bibliothecam ecclesiasticam, nominari debet MATTHAEVS PETITDIDIER, qui conscripsit *Remarques sur la Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques de Mr.* DV PIN. Tomi sunt III. *in 8. mai.* quorum prior *anno* 1691. alter *a.* 1692. tertius *a.* 1696. *Paris.* prodiit. Examinauit hic tres priores Operis du Piniani Tomos; at quum in rebus leuissimis multus sit, ipse caligans in sole, luculenter id ostendente DV PINIO in responsione *Tomo V.* adiuncta, successu caruit plausuque publico institutum. Idem egit RICHARD. SIMON in *Critique de la Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques, et des Prolegomenes de la Bible, publiez par Mr.* DV PIN. Diu post mortem Simonii, *anno* nimirum 1730. *Paris. Tomis IV. in 8. mai.* Censura haec, iusto acerbior, est typis excusa. Tomi duo priores Bibliothecam ecclesiasticam, reliqui Prolegomena super sacro Codice oppugnant. Non pauca DV PINIO exprobrantur, vix excusanda: debebat tamen aduersarius rationes cum ipso probe conferre, ac, ne in eandem incideret foueam, prospicere, quod quam parum ei curae fuerit, passim in adiectis Obseruationibus Editor indicauit. Interim liber praestantior est quandoque illo, quem ex officina

cina sua emiserat Petitdidierius. Cf. BAVMGARTENII *Nachricht von merckwürdigen Büchern, Vol. VIII. p. 372. sq.* Ante quinque fere lustra CLAVD. PETR. GOVIETVS ad continuandum Opus Pinianum animum adpulit. Auctor enim eius in duabus Partibus, quibus filum suum ab anno 1700. vsque ad a. 1710. deduxerat, nihil disseruit de Scriptorum vita, generatimque, si dicendum quod res est, ita sunt hae Partes comparatae, vt non difficulter adpareat, vltimas fuisse easdem, a festinabundo conscriptas, adfectasque magis, quam perfectas. Condere itaque coepit Gouietus *Bibliotheque des Auteurs ecclesiastiques du XVIII. Siècle, pour servir de continuation à celle de Mr.* DV PIN. Lucem videre Tomi II. *Paris. a.* 1736. *in 8.* Primordium duxit Auctor ab ipso du Pinio, eiusdemque scriptis, ac deinde Supplementa sua attulit, passim tamen sine delectu. Non alios recenset quoque, Piniano exemplo, quam Pontificios. Plures Tomi, quantum ego quidem sciam, non successerunt. Denuo ad se nos vocat OVDINVS, supra memoratus. Eodem is tempore, quo Supplementum Bellarmini moliebatur, varia de Scriptoribus ecclesiasticis Schediasmata colligebat ex Codicibus praesertim manu exaratis, qui in Parisiensibus latent Bibliothecis, descripta, eo quidem consilio, vt Commentarios diffusiores, atque singula illorum Opuscula, vel excusa, vel nondum edita, discutientes ad artis criticae regulas, adgrederetur. Has deinde schedas, Gallia relicta, Lugduni Batauorum, iuxta chronologicum ordinem, disposuit, eoque labore viginti amplius annos consumsit, quotidie, occasione oblata, congerens, quae pertinere ad institutum videbantur. Absolutum Opus anno 1712. ostendit GABR. DVMONTIO, dum Ecclesiae Gallicae apud Lipsienses ministro, eumque rogauit abeuntem, vt, si ad

ſi ad penates ſuos eſſet reuerſus, ipſum de Codicibus duobus manuſcriptis certiorem faceret, quos lecto Catalogo Codicum Lipſienſium dignos animaduerſione arbitrabatur. Dumontius poſtea commendauit hos Commentarios Gleditſchio et Weidmanno, biliopolis, quos mox ad editionem ſuſcipiendam faciles propenſosque inuenit. Toto igitur negotio cum Auctore expedito, at eo iam e vita ſublato, prodiit *Lipſiae a.* 1722. Tomis III. *in f.* CASIMIRI OVDINI *Commentarius de Scriptoribus Eccleſiae antiquis, illorumque ſcriptis, tam impreſſis, quam manuſcriptis, adhuc exſtantibus in celebrioribus Europae Bibliothecis, a* BELLARMINO, POSSEVINO, LABBEO, CAVEO, DV PIN, *et aliis, omiſſis, ad a.* 1460. *vel ad artem typographicam inuentam, cum multis diſſertationibus, in quibus inſigniorum Eccleſiae Auctorum Opuſcula, atque alia argumenta notabiliora, adcurate et prolixe examinantur.* Cf. *Noua litt. Krauſiana a.* 1718. *p.* 17. *ſq.* Vere hoc Opus eſt Commentarius in Supplementum Bellarmini, quo copioſius ea perſequitur, quae antea paucis tantum verbis tetigerat Oudinus. Complura ergo de ortu, patria, gente, ingenio, viuendi ratione, muneribus, fatis, morte ſcriptisque Auctorum eccleſiaſticorum diſſeruit. Ampliſſima recenſio exſtat in *Actis Erud. Germanicis, Vol. VII. P. 79. p. 455. ſq.* recte autem *p. 477.* adſeritur, non eſſe haec Volumina ſtupendi laboris ac doctrinae; mininam eorum partem ingenio Oudini deberi; pleraque potius ex aliorum deſumta libris fuiſſe; interim Collectanea haec, non ſine iudicio redacta in ordinem, vtilitate haud deſtitui. Add. REIMMANNI *Catal. Biblioth. ſuae, T. I. p. 88.* vbi, poſt laudem eorum, quae digna ſunt notatu, ita pergit: *Quaedam oppido falſa. Et plurima ab aliis ita mutuo accepta, vt, quod de Supplemento olim Guil. Caue, idem decernendum videatur*

deatur de hoc Commentario. Ac licet profiteatur non nunquam Auctor, ex quibus profecerit, vt T. I. p. 105. 1378. T. II. p. 139. 317. 622. T. III. p. 68. 2588. saepiuscule tamen id silentio praeterit, vt Tomo I. p. 653. vbi quicquid de Heliodoro affert notatu dignum, κατὰ ῥητὸν excerpsit ex I. A. Fabricii Biblioth. Graeca Vol. VI. p. 784. Quem laudat quidem l. c. sed ita, vt fucum faciat Lectori, eique persuadeat, Fabricium de Heliodoro non id dixisse, quod ab Oudino dictum est, sed de versionibus eius tantummodo notasse quaedam, cum omnia, quae de hoc Auctore scripta sunt ab Oudino, a Fabricio l. c. scripta sint prius. Adde iniqua in eos, qui ante eum hoc saxum voluerunt, et Guil. Caueum in primis, iudicia, quem data quauis occasione pede nimis ambitioso proterit, vt T. I. p. 1535. T. II. p. 1058. alibi. Varios etiam naeuos Oudino obiicit, eundemque parum Graece Latineque doctum nec Patres antiquae Ecclesiae satis intellexisse, nec Historiae ecclesiasticae admodum fuisse peritum, contendit CLERICVS in *Bibl. anc. et moderne Tomo XIX. P. 2. art. 6. p. 353. sq.* Cf. tamen ipse OVDINVS *T. I. p. 986. sq.* vbi caussas huius censurae eruit. Post horum Virorum labores innotuit REMIGII CEILLIERII *Histoire generale des Auteurs sacrés et ecclesiastiques, qui contient leur Vie, le Catalogue, la Critique, le Jugement, la Chronologie, l'Analyse, et le Denombrement des differentes Editions de leurs Ouvrages* caet. Tomi huius Operis egregii XVII. nunc prostant *in 4. mai.* primo *Paris. a.* 1729. postremo *a.* 1750. excuso. Tomos XIX. memorat *La France Littér. par* FORMEY *p. 136.* sed non additum, quo anno prodierit vltimus. Plures adhuc sperandi, si vita frui diutius liceat seni, septuaginta iam annis maiori. Vix autem absoluet integrum Opus.

Tomus enim decimus ac quintus saeculi sexti Scriptores non transit. Cf. de Tomo I. ex cuius *Praefatione* totius instituti ratio intelligitur, *Supplem. ad Noua Acta Erud. Lat. T. I. p. 541. sq.* Copiosissimus est Ceillierius omniumque superauit diligentiam in Vitis Auctorum ecclesiasticorum describendis, quod facile fuit ipsi, post tot aliorum in hoc studiorum genere conatus. Quae *Geneuae a.* 1734. *in fol.* edi coepta *Magna Bibliotheca ecclesiastica, siue Notitia Scriptorum Sacrorum et Ecclesiasticorum, veterum ac recentiorum; in qua ordine alphabetico continentur cuiuscunque religionis ac sectae Scriptores, qui Christianae religioni vel patrocinati sunt vel aduersati; simul et Concilia omnia, Pontifices Romani, eorumque Vitae, scripta et Bullae; Religiosorum Ordinum fundatores* caet. ea multorum quoque Voluminum seriem indicauit. Sed non nisi vnicum Tomum accepimus, primam alphabeti litteram exhibentem. Auctores ab Orbe condito vsque ad nostram aetatem progredi, et viuorum simul Scriptorum iniicere mentionem voluerunt. Complures igitur articuli iam in Tomo I. ad eiusmodi homines spectant. Recensetur hic ipse, et honorifice quidem, in *Journal des Savans a.* 1735. *mense Junio artic.* 2. Idem factum in *Actis Erud. Latin. a.* 1734. *p.* 386. *sq.* vbi et integer titulus, quem in compendium redegi, conspicitur. Nec tacendus est CHR. EBERH. WEISMANNVS, qui in singulis saeculis *Introductionis* suae *in Memorabilia Historiae Noui Testam. ecclesiastica* inseruit adcuratam Doctorum Ecclesiae descriptionem. Prodiit hoc Opus primum *Stuttgard. a.* 1718. et 1719. Tomis II. *in 4.* iterumque, auctius longe et politius, *Halae M. a.* 1745. Cf. *Acta Erud. Germanica, Vol. VI. P. 62. p. 129. sq.* Patrum antiquissimae Ecclesiae Vitas exposuit sigillatim THEOPH. SPIZELIVS in *vetere Academia*

demia

demia Iesu Christi, Iconibus, exemplis et documentis priscorum pietatis verae doctorum et professorum illustrata, Aug. Vind. a. 1671. *in* 4. Sunt Viri duo ac viginti, qui exhibentur cum eorundem Iconibus. Elegantissimae hae dicuntur, liberque dignus, quem verae pietatis cultores diligenter et adsidue manibus terant, in BOSII *Introd. in Notit. Scriptor. eccles. p.* 135. *edit. Walch.* Maiora deinde ausus est GVIL. CAVE in Commentariis, qui *the Lives of the primitive Fathers* inscripti sunt. *Tomis II. in fol. Londini a.* 1682. et 1683. lucem adspexere, et prior quidem, iam a. 1677. editus, recusus est ob exemplarium paucitatem. Recenset hic trium a Christo nato saeculorum, alter vero quarti saeculi Patres, quorum natales et educatio, honores resque gestae, virtutes ac vitia, scripta item et alia insignia in Ecclesiam merita, erudite commemorantur. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1685. *p.* 85. *sq.* Integer vtriusque Tomi titulus exhibetur in *Catal. Biblioth. Bunav. Tom. I. Vol.* 1. *p.* 820. Ad similem accessit laborem GOTTLIEB STOLLIVS, cuius *aufrichtige Nachricht von den Leben, Schriften und Lehren der Kirchen-Väter der ersten vier Jahrhunderte, nach der Geburt unsers Heilandes, Ienae a.* 1733. *in* 4. diuulgata est. Agit hic Auctor et Historicum, a partium studio alienum, et Criticum elegantem. In diiudicandis Patrum erroribus BARBEYRACIVM sequitur magna ex parte, cuius exstat Tract. *de la Morale des Peres de l'Eglise, Amstael. a.* 1728. *in* 4. editus. Varia tamen in libro suo emendauit et addidit ipse Stollius, eademque inseruit *der Nachr. von den Büchern seiner Bibliothec, P. IV. p.* 409. *sq.* Nonnullorum saltim Patrum Ecclesiae Vitas, a se ipso conscriptas, olim proposuit in *Bibliotheque universelle et historique* IOH. CLERICVS, quae, vt alio dixi loco, ex Gallico in Germanicum tanslatae sermonem

Halae Magdeb. a. 1721. *in 8.* iunctim hoc titulo prodierunt: IOH. CLERICI *unpartheyische Lebens-Beschreibung einiger Kirchen-Väter und Ketzer*, Iustini *Martyris*, Clementis *Alexandrini*, Origenis, Cypriani, Prudentii, Gregorii *Nazianzeni*, Eusebii, Pelagii, et Coelestii. Oppositas has esse Biographias Cauei Vitis Patrum, multaque in iis reperiri peregregia, quaedam vero Orthodoxiae etiam contraria, monet REIMMANN. in *Catal. Biblioth. T. I. p. 161. sq.* significans praeterea, non pauca, quae Arianismum et Socinianismum redolent, adeo se commendasse disciplinae eiusmodi addictis hominibus in Anglia, vt Vitas has Clerici patriam transferendas in linguam, et *Londini a.* 1696. *in 8.* excudendas curarint. Facit huc etiam IOH. NICOL. FVNCCII V. C. *de vegeta Latinae linguae Commentarius*, in quo varii primae Ecclesiae Doctores, v. g. Ambrosius, Augustinus, Cyprianus, Hieronymus, Lactantius, Tertullianus, copiose studioseque describuntur. Vnicum addere hoc loco placet, scilicet LVDOV. BAILIVM, cuius *Sapientia foris praedicans ex omnibus Scripturis, seu Bibliotheca Concionatorum per omnes aetates et saecula, vsque ad saeculum XVII, cum plerisque eorum elogiis, historiis, artibus, florilegiis, aut speciminibus, ex antiquis lectionibus et aliquot Manuscriptis*, caet. *Paris. a.* 1666. *in 4.* lucem adspexit. Tres in Partes librum suum laude non indignum diuisit Auctor, quarum prior de iis agit Oratoribus sacris, qui ab orbe condito, ad natum vsque Christum, vixerunt: altera Patres exhibet, qui Euangelium professi publice fuerunt vsque ad saeculum vndecimum: tertia vero, quae est amplissima, ad initium saeculi superioris progreditur. Singulorum Vitas exponit Bailius, differens quoque de stilo eorundem, et qua in parte maxime excelluerint; quod vt eo melius doceret, integra ex ipsorum

rum

rum Orationibus excerpta dedit, vbique eloquentiae facrae cum incrementa, tum defectionem, commonftrans. Plura legantur in *Journal des Savans a. 1666. p. 449. fq.*

§. XXXI.

Recentiorum Theologorum Vitas defcripfiffe ADAMVM, WITTENIVM, PIPPINGIVM, GOETZIVM, iam fupra *ʃ. XII.* vberius dictum. Actum etiam eft in *ʃ. fequentibus* vsque ad *XVII.* de Vitis Theologorum *Dresdenfium*, *Helmftadienfium*, *Ienenfium*, *Lubecenfium*, *Marburgenfium*, *Noricorum*, *Rintelienfium*, *Vitembergenfium*, *Würtembergicorum*, quae fingula repetere hic non attinet. Interim fuperfunt adhuc, qui data opera hoc argumentum pertractarunt. Inter tales eft IAC. VERHEIDEN, a quo habemus *Imagines et Elogia praeftantium aliquot Theologorum, cum Catalogis librorum, ab iisdem editorum, Hagae Comit. a.* 1602. *in f.* Quum deinde infrequens effet Opus, recufum eft *a.* 1725. *eadem forma Norimb.* opera FRIDER. ROTHSCHOLTZII, librarii eruditi, feruato tamen priori loco, vbi prodierat. Occurrunt hic ii, qui Romanum Pontificem, tamquam Chrifti in terris Vicarium, et fancti Apoftolorum principis fucceflorem, praecipue oppugnare moliti funt. Male de labore hoc, qui et Belgice fuit editus *Hag. Com. a.* 1603. *in 4*, iudicat LABBEVS in *Bibl. Bibliothecar. p. m. 79.* vbi Auctorem haereticum Caluiniftam, omnium bonorum exfecratione digniffimum vocat, addens, miferos a religione Catholica et auita fide apoftatas, haerefeon, fchifmatum, infinitorumque errorum fuperiori faeculo buccinatores ac propagatores nefarios, eundem aufum effe Theologos adpellare praeftantes. Sed quis non perfpicit, haec ex odio manaffe in eos, qui a facris Labbei adhorruerunt? Rectius REIM-

MANN. in *Catal. Bibl. T. I. p. 149. Imagines quaedam*, ait, *antea aeri non incisae, quaedam ex Alberti Dureri Archetypis expressae. Omnes manu erudita H. Hondii artificiose et pereleganter sculptae, et Elogiis istiusmodi illustratae, quae non nisi ἀμάσοις, et rerum omnium imperitis, displicere possunt. Quia multa in iis non quotidiana. Quae ab aliis vel non animaduersa prorsus, vel non satis adcurate tradita.* Neque tamen imaginibus prorsus habendam fidem esse, contendit LESSERVS in *der Hamburg. vermischten Bibliothec, Vol. I. p. 191.* Cuiuis imagini subiuncta sunt duo disticha Latina, et sub finem Elogii totidem Graeca occurrunt, Latine simul reddita. Quinquaginta vero Theologi breuiter describuntur, inter quos Beza, Caluinus, Chemnitius, Hussus, Lutherus, Melanchthon, Erasmus Roterodamus, et alii, locum obtinuerunt. Ioh. etiam Sleidanus, homo politicus, huic insertus choro est, sine dubio propter Commentarios *de statu religionis et Reipublicae Germanicae sub Carolo V.* A THEOPH. SPIZELIO, cuius *Academiam Christi* superiori §pho memoraui, profectum est *Templum honoris reseratum*, repraesentans quinquaginta illustrium orthodoxorum Theologorum ac Philologorum imagines, cum eorum libris, quibus inclaruerunt. Accessit ANT. REISERI *de quibusdam claris huius aeui Theologis ad Auctorem Epistola.* Prodiit liber *Aug. Vind. a.* 1673. *in 4.* Quae Iconibus subiicitur Vitae descriptio, ea panegyrica est potius, quam ita comparata, vt sufficere Lectori non vulgari queat. Scriptis etiam cuiusque adlatis raro annus et locus, quo lucem viderunt, est additus. Nec multum laudis meretur is, qui aere excudit imagines. Cf. BAVMGARTENII *Nachr. von merckwürd. Büch. Vol. VII. p. 538. sq.* IOH. GE. IOCHII *Vitae Theologorum eruditione et scriptis insignium Frf.* seu *Ienae a.* 1707.

1707. *in 8.* diuulgatae sunt. Constituerat Iochius, Wittenii, Pippingii et aliorum exemplo, qui Theologorum Lutheranorum Vitas edidere, collectas optimorum Scriptorum de Vitis Theologorum, qui reformatae religioni addicti fuerant, Commentationes variis Fasciculis in lucem reducere. Sed quum prior plausu mediocri esset exceptus, pauca quippe noua vel memorabilia continens, plures non successerunt. Sunt autem in hoc primo Fasciculo Vitae Ant. Walaei, Iac. Vsserii, Caroli de Maets, Ioh. Strangii, et Guil. Mommae. Cf. REIMMANN. *l. c. p. 175.* vbi scribit, ipsum fateri Auctorem in Praefatione, nihil esse magnopere, quod lectu sit dignum in Vita Strangii, Mommaeque descriptionem pudendis scatere in Lutheranos conuitiis. Addit Reimmannus, ex duabus Vsserii biographiis eam esse a Iochio selectam, quae debetur Guil. Batesio, quum tamen illi omnibus modis sit anteferenda, quam Thom. Smithus dedit. ERDMANN. VHSIVS *Lipsiae a.* 1710. *in 8.* protulit *Leben der berühmtesten Kirchen-Lehrer und Scribenten des XVI. und XVII. Iahrhunderts*. Ordine alphabetico verba facit Auctor de quingentis fere et quinquaginta eruditis, qui Ecclesiae vel voce, vel calamo, inseruire studuerunt. Neque tamen soli Lutherani, verum Reformati etiam et Pontificii hoc in libro nacti locum sunt, principumque inter eos, Lutheri, Caluini et Bellarmini, imagines aeri incisae exhibentur. Fusius recensentur Theologi saeculi XVI. quam sequentis, quia verendum fuit, ne liber nimis excresceret, suaque mole deterreret emtores. Caeterum in expositione Vitarum patria cuiuslibet, parentes, tempus, quo natus, locus, vbi studiis cum scholasticis, tum academicis, vacauit, peregrinationes, si quas instituit, gradus, quo est ornatus, academicus, munera, fata, genius, si modo is describi

Nnn n 4 ad-

adcurate potuit,) coniugium, mors, libri denique, ab ipſo exarati, cum primis illi, qui tractant argumenta theologica et eccleſiaſtica, adnotantur. Vid. *Acta Erudit. Latin. a.* 1710. *p. 220.* Multa tamen in hoc labore deſiderat REIMMANN. *l. c. p. 172.* cuius en! verba: *Rectius fortaſſis rebus ſuis conſuluiſſet Vbſenius, ſi vel ſuppreſſiſſet hunc induſtriae foetum, vel eundem maiori ſtudio et cura perfeciſſet. Siquidem nec dictio, nec diſpoſitio, nec rerum collectarum ratio praemorſos ſapit vngues. Doctores eccleſiaſticos promittit, et primus, quem in ſcenam producit, eſt politicus. Scriptores pollicetur, ſed deſerit non raro fidem, et viros adfert, qui ſcripſerunt nihil. Et quoties, ſi de Scriptoribus verba facit, commemorat dubia, et falſa, et ſcitu prorſus indigna, vel integras paginas mutuo petit e Clarmundo? Et ſi librorum exhibet Catalogum, quoties ex vno libro facit duos, aut ex duobus vnum?* caet. At non nulla iuſto inclementius videntur dicta, v. g. quod ad homines politicos attinet. Horum enim quosdam ideo ſe ipſe Auctor ait immiſcuiſſe, quia in libris de Hiſtoria eccleſiaſtica conſcriptis memorari ſolent inter Viros celeberrimos. Proſtat etiam liber iſte hoc titulo: *Curieuſes Lexicon der geiſtlich Gelehrten, oder berühmteſten Kirchen-Lehrer und Scribenten des XVI. und XVII. Jahrhunderts, Lipſ.* 1714. Sed, ob emtorum paucitatem, non niſi primam plagulam immutauit bibliopola. *Anno* 1725. *Lemgov. in 8.* IOH. ANTON. STRVBBERGIVS publicauit *Sendſchreiben von einer unter Händen habenden ausführlichen Hiſtorie derer Lutheriſchen Theologen.* Poſtea *ibid. a.* 1727. *ead. forma* ſequutus eſt ipſius *Index Theologorum Euangelico-Lutheranorum chronologicus, ſiſtens a tempore Reformationis ad noſtra vsque tempora illorum nomina, patriam, officia, et annos emortuales; Prodromi loco Bibliothecae vniuerſalis Theologorum Eccleſiae Lutheranae, ſuo tempore diuinis*

diuinis auspiciis luci donandae publicae, ita concinnatus. Praefixa est adlocutio epistolica, in qua denuo eruditorum subsidia expetit. Discimus exinde, Auctorem Opere Germanice scripto Theologorum nostrorum, ab Ecclesiae a Luthero emendatae initiis, vsque ad praesentem aetatem, clarissimorum Vitas complecti voluisse, speciatimque fata illorum singularia, animi dotes, mores, virtutes, naeuos, praecipuas hypotheses et controuersias, scriptorum vel editorum, vel in schedis adhuc latentium, Catalogum, itinera, amicos et familiares, inimicos, commercium litterarium, genealogiam, epitaphia, et alia notatu memoratuque digna. In ipso autem Indice Theologos nostri et superioris temporis, ordine annorum emortualium chronologico, atque in Adpendice superstites tunc recenset, eo quidem consilio, vt, qui desunt, adiungi, parumque adcurate dicta corrigi ab erudito Lectore possent. Egregium erat profecto STRVBBERGII institutum, de quo plura disseruntur in *Actis Erud. Lat. a.* 1728. *p.* 381. *sq.* Sed mors praematura, qua exstinctus est anno 1731, coeptum iam laborem interrupit, dolendumque praeterea, periisse Collecta Viri optimi, ob negligentiam eorum, quorum in manus inciderant. CHRISTIAN. SIGISM. LIEBIVS *Gothae a.* 1730. *in* 4. libellum emisit sic inscriptum: *Lebensbeschreibung der vornehmsten Theologorum, sowohl Euangelischer, als Päbstischer Seite, welche A.* 1530. *den Reichstag zu Augspurg besucht, und an denen, wegen Vebergabe der Augspurgischen Confession, angestellten Religions-Handlungen Theil genommen; nebst einem Vorbericht von denen übrigen, sowohl Euangel. als Päbstischen Gottesgelehrten, welche allda zugegen gewesen.* Occurrunt hic Vitae, quas Auctor, iussu Principis sui, diligenter ex nobilissimis Scriptoribus composuit, Lutheri, Ionae, Melanchtho-

nis, Spalatini, Agricolae, Brentii, Schnepfii, Osiandri, et Rhegii; item Pontificiorum Theologorum Eccii, Fabri, Wimpinae atque Cochlaei. In Prooemio autem multa notabilia leguntur de aliis etiam sacri ordinis hominibus, qui hisce Comitiis interfuere quidem, at nulla agendi potestate instructi. Eorum Theologorum, qui vel Lutheri, vel Caluini, doctrinas sequuntur, et hoc nostro saeculo inclaruerunt, Vitas congessit IOH. IAC. MOSERVS, Vir illustris, in *dem Beytrag zu einem Lexico der ietztlebenden Lutherisch - und Reformirten Theologen in und um Deutschland, welche entweder die Theologie öffentlich lehren, oder sich durch theologische Schriften bekannt gemacht haben.* Pars I. *a.* 1740. P. II. *a.* 1741. *in 4. Zullichauiae* prodiit. Auctor ordine alphabetico est vsus, et breuiter plerumque singulorum Vitas descripsit: in subiunctis tamen Obseruationibus varia de fatis Theologorum, ingeniique monumentis et controuersiis attulit, quae saepe noua sunt et antea incognita. Praemisit Moserus Praefationem de regulis necessariis ab eo haud negligendis, qui aliorum Vitas, in primis Theologorum, apte exponere voluerit. Vtrique Parti non nihil etiam Supplementorum, sub finem autem Operis Index nominum accessit. Diuersa de labore hoc iudicia statim innotuerunt. Multis displicuit ordo parum adcuratus, censura iusto nonnunquam acerbior, silentium de multis magnae auctoritatis famaeque Theologis, caet. Permotus est inde ERN. FRID. NEVBAVERVS, vt Lexicon Moserianum sub examen studiosius vocaret, illudque non emendaret solum et expleret, sed continuaret quoque, et quouis modo maioribus ornamentis conspicuum redderet. En! Operis huius titulum: *Nachricht von den ietztlebenden Euangelisch-Lutherischen und Reformirten Theologen in und um Deutschland,*

land, welche entweder die Theologie und heiligen Sprachen öffentlich lehren, oder sich sonst durch theologische Schriften bekannt gemacht haben, - - - als eine Fortsetzung, Verbesserung und Ergäntzung des Lexici (*Moseriani*) caet. *ibid. a.* 1743. *4.* Addita est Continuatio, seu Pars II. *a.* 1746. cum Adpendice et Indice nominum copiosiori, ad vtrumque tam Moseri, quam Neubaueri, Opus adcommodato. In *Praefatione*, Parti priori praefixa *p. 7. sq.* plura memorantur, quae pertinent ad cognoscendas Vitas Moserianas. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1744. *p. 429.* et *a.* 1747. *p. 37.* Qui iam in *Epistola ad Ioh. Christoph. Colerum, Lips. a.* 1736. *in 8.* Germanice excusa, Vitas omnium Doctorum Theologiae, hoc saeculo in coetu Lutherano mortuorum, promiserat, MICH. RANFTIVS, is postea consilium hoc nonnihil mutauit, animumque adpulit solum ad eos Theologos, qui Doctoris decorati honoribus in Electoratu Saxonico nostra aetate diem obierunt supremum. Edidit igitur *Lipsiae a.* 1742. *in 8. Leben und Schriften aller Chursächsischen Gottesgelehrten, die mit der Doctorwürde gepranget, und in diesem ietztlaufenden Jahrhundert das Zeitliche gesegnet.* Duae sunt Partes, in quibus, ordine alphabetico, octo et septuaginta Doctores Theologos exhibet. Recensentur omnes in *Actis Erud. Lat. a.* 1744. *p. 711. sq.* Praeclare hoc labore meritus est Auctor de Historia litteraria et ecclesiastica patriae suae, neque tamen a partium studio videtur vbique alienus. Profitetur ipse in Praefatione, multa ab se fuisse omissa, quibus gloria quorundam commaculari posset, ex quo facile licet suspicari, non magnam semper fidem calamo eius esse adhibendam. Spem etiam fecit Partis tertiae, Theologos Saxonicos continentis, qui summam dignitatem Academicam consequuti non fuerunt. At postea destitit conatu.

No uis-

Nouiſſime ELIAS FRID. SCHMERSAHLIVS adgreſſus eſt *eine Geſchichte ietztlebender Gottesgelehrten.* Prodierunt harum Vitarum Partes octo *Langenſaltzae a.* 1751. *ſq. in 8.* haeque iuſtum Volumen implent, Indice adauctum. *Eodem anno Lipſ. in 8.* prelo exiit IOH. ANTON. TRINII *Geſchichte berühmter Gottesgelehrten auf dem Lande*, quem librum commendant *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1751. *p.* 512. Continuauit poſtea inſtitutum, *anno*que 1756. Pars quarta *Volumini III.* finem impoſuit. Non ſolos tamen, vt antea, Sacerdotes produxit paganos. De iis, qui nobili genere orti ſiue gradum aliquem theologicum, ſiue munus ſacrum, inter Lutheranos, Reformatos Pontificioſue, obtinerunt, egit ſpeciatim REINH. HENR. ROLLIVS in *Bibliotheca Nobilium Theologorum*, *Roſtoch. a.* 1709. *in 8.* Qui liber eiusmodi Theologos non recenſet modo, ſed Vitas eorum quoque, fata, et ſcripta praecipua haud negligenter memorat. Fuſius de eodem diſſeritur in *Act. Erud. Lat. a.* 1710. *p.* 45. *ſq.* Infamem poſtea fraudem admiſit bibliopola, Garmannus. Quum enim Bibliotheca haec parum commode feliciterque vendi poſſet, abiecit plagulam primam, eiusque in locum aliam typis imprimendam curauit, qua, omiſſa Praefatione, mutatoque Auctoris nomine, nouum quaſi librum obtrudere hominibus eruditis conatus eſt, hoc quidem titulo: M. IOH. REINH. WIGANDI *Tract. hiſtorico-critico-curioſus de Nobilibus Theologis*, *Frf. a.* 1714. Cf. REIMMANNI *Catal. Bibl. ſuae*, *Tomo I. p.* 139.

§. XXXII.

Antiquorum Ictorum Vitas non pauci adornarunt. Omnium primus, ni fallor, data opera id egit BERNARDIN. RVTILIVS, Italus, qui paullo ante mortem, *anno* nempe 1736, *Romae in 8.* edidit *Vete-*

Veterum Ictorum Vitas, recusas mox *Basil. a.* 1737. *in 4. Argentor. a.* 1538. *in 8.* iterumque *Basileae a.* 1555. *in 4.* item in *Tractatu Tractatuum Veneto Tomo I. num. II.* Is vero *a.* 1584. prodiit. Hunc sequutus est IOH. BERTRANDVS, Praeses Tolosanus, cuius exstant Βίοι Νομικῶν, *siue de Iurisperitis libri II.* Parente iam pridem viuis erepto, filii eius hunc ingenii foetum *Tolosae a.* 1617. *in 4.* luci exposuere. Sed ista editio vitiis scatebat quam plurimis; itaque emendatior successit *L. B. a.* 1675. *in 8.* adiectis ad finem libri AEG. MENAGII, aliorumque Virorum eruditorum, animaduersionibus. Post Bertrandum idem saxum voluit GVIL. GROTIVS, Hugonis frater, qui moriens reliquit *Vitas Ictorum, quorum in Pandectis exstant nomina.* Has, diu latentes in tenebris, protraxit tandem IAC. GROTIVS, filius, ac diuulgauit *L. B. a.* 1690. *in* 4. Quum deinde tres hi Scriptores rarius inuenirentur, eos laude dignissimo conatu *Halae M. a.* 1718. *in 4.* coniunctim exhibuit IOH. CHRISTOPH. FRANCKIVS. Titulus huius Operis hic est: *Vitae tripartitae Iurisconsultorum veterum, a* BERN. RVTILIO, IOH. BERTRANDO et GVIL. GROTIO *conscriptae.* Multa in hac noua editione praestitit Franckius. Primum enim, ne molestae essent longae narrationes, continuo cohaerentes filo, quales praecipue apud Rutilium occurrebant, omnia distinxit in Capita et Paragraphos, summisque perpetuis, ad marginem adscriptis, singulorum, quae totum Volumen complectitur, epitomen concinnam parauit: tum notas, sub finem in Leidensi Bertrandi editione obuias, statim suo quasque loco subiecit, THOMAEQUE REINESII addidit manuscriptas, inserta simul *p. 126.* LAVR. PIGNORII *Epistola,* Iulium Paulum Romae, patriae, aduersus Bertrandum, qui Tyrium eum crediderat, vindicante, praemissaque

que

que *Vita* BERTRANDI, Leickherianis notis adaucta: postremo correxit omnia diligenter, curauitque, ne Indices cum Auctorum ac rerum, tum Legum vel adlatarum, vel explicatarum, locupletissimi desiderarentur. In Praefatione recte monet FRANCKIVS, Rutilium eorum, de quibus egit, Vitas omnium luculentissime delineasse; Bertrandum in recensendis Iurisperitorum scriptis maiorem industriam adhibuisse; Grotium autem, quamquam optima quaeque ex vtroque repetierit, multa tamen ab iis perperam posita emendasse, multa praetermissa suppleuisse. Addo ego his, VALENT. FORSTERVM in *Hist. Iur. Rom. libro II.* complura impudenter exscripsisse ex Rutilio, idque, iam a REIMMANNO in *Idea Systematis Antiquit. litterariae, Sect. gener. p. 36. sq.* obseruatum, multis me comprobare exemplis posse, quae sine molestia rei veritatem exploranti obuenerunt; et, quod ad Bertrandum attinet, Legum emendationes, ab eo in Vitis Iurisperitorum passim propositas, vehementer displicuisse HEINECCIO. Ita enim ille in *Praef. de S. Pomponio, Collectioni Vblianae* Opusculor. Histor. Iur. illustrantium praefixa, *p. 11. Emendationes*, inquit, *quas Bertrandi ingenium parit, infausto omnes sidere, et irata Lucina in lucem editae, quin aliquando, vbi neruos ingenii intendit, poene monstrosae, vt nescias, magisne ingenii infelicitatem, an incredibilem viri illius audaciam mireris.* In Germania NICOL. HENELIVS de *veteribus Ictis, quorum Legibus Iustitiae Romanae Templum exstructum est*, Commentarium conscripsit, editum primum *Lipsiae ann.* 1641. *in 8.* iterumque *a.* 1654. *eadem forma*, at vitiosissime. Non omnes is Ictos, quorum in Digestis fit mentio, sed eos tantum commemorat, quorum fragmenta authentica supersunt. Sed elaboratio talis est vtique, vt rectius Panegyricos, quam Vitas, vocare

care possis hoc Opusculum. Stilus etiam multo est comtior, quam Vitae requirit descriptio, et pleraque obseruata non Iurisprudentiam, sed alia omnia tangunt, magisque iucundus est libellus, quam vtilis Iuris studioso. Ita iudicauit GE. BEYERVS in *Notit. Auctor. iurid. Specim II. art. 16. p. 51.* Interim, teste LVDEWIGIO in *Vita Iustiniani p. 290. n. 2761*, et plura habet, a prioribus non adducta. Subiuncta est Mantissa, in qua HENELII *Commemoratio metrica ICtorum veterum;* CASP. CVNRADI *Disticha in veteres ICtos duodequadraginta;* et IOH. LORICHII *Catalogus ICtorum veterum*, carminibus elegiacis compositus, cui amplas notas addidit Editor, conspiciuntur. Aliquot *veterum ICtorum* Vitas eleganter depinxit magnus olim Germanorum ICtus, IOH. STRAVCHIVS. Sunt harum quindecim, totidem Programmatibus, ab a. 1671. vsque ad anni 1674. initium, *Ienae in 4.* productae, quas schedas eruditas post obitum LAVR. ANDR. HAMBERGERI, qui olim agitauerat idem, collegit, recensuit, et Indice instructas *ibid. a. 1723. in 8.* edidit Vir illustris, CHR. GOTTL. BVDERVS. Nouem hae ipsae Vitae plagulas explent, iamque in librorum rarius obuiorum Catalogo sunt inscribendae. Antiquos et recentiores ICtos coniunxit, horumque Vitas vno conclusit Volumine PETR. TAISAND, cuius ecce! titulum: *Vies des plus celebres Jurisconsultes de toutes les Nations, tant anciens, que modernes, savoir Latins ou Romains, François, Espagnols, Italiens, Allemanns, Anglois, Hollandois,* caet. *tirées des meilleurs Auteurs, qui en ont écrit, et mises en leur jour par ordre alphabetique, au nombre de près de cinq cens.* Prodiit Opus *Paris. a.* 1721. et multum auctius, studio Anonymi, *ibid. a.* 1737. *in* 4. Post obitum parentis vero id luci exposuit filius, CLAVDIVS TAISAND,

vitam-

vitamque Auctoris praemisit, cuius repetitur summa in *Act. Erud. Lat. Suppl. Tom. VIII. p. 417. sq.* Ibidem additur iudicium de Vitis Ictorum, his quidem expressum verbis: *nemo forte in iis quaesiuerit Solonem, Lycurgum, Numam Pompilium, Iustinianum, Gregorium IX. Innocentium quartum, et similes, quos inter Legum latores potius, quam Legum consultos referre satius fuerat, sed desiderabuntur forte etiam non nulli, quorum nimirum nullum apud Fichardum, Bertrandum, Pancirolum, Guil. Grotium, Henelium, in Indice item Labitti et similibus scriptis, quibus saepissime vtitur, vestigium inuenerat Auctor. Laudanda tamen est in primis eius industria, quoties de ciuibus suis commentatur: ita enim e. g. Anton. Fabri - - - - vita ac testamentum, suppeditatis a propinquis eius monumentis, fuse admodum inde a p. 187. ad p. 246.* (edit. primae) *describitur, vbi etiam de filio eius, non sexto, vt est in Historia Acad. Francicae, sed secundo natu, Claudio Vaugelasio, multa habentur lectu dignissima. Nec forte alibi, quam apud nostrum, vitam Caroli Fevret, tam luculenter enarratam inuenias, cuius Viri, opere egregio* de Abusu, *aliisque incluti, symbolum memoratur* caet. Germanorum Ictorum, quorum est magna fama, complures ignorauit, quo pertinent Ioh. Strauchius, Lauterbachius, Carpzouius, Zieglerus, Ge. Adam. Struuius, Sam. Strykius, et alii. Praeter Vitas, breues plerumque, scripta singulorum Ictorum, et quid de iisdem sentiant eruditi, subiungit. Cf. IOH. GOTTLIEB OLEARII Differt. non contemnenda *de Biographis veterum Ictorum, Regiom. a.* 1714. recusa *Vitemb. a.* 1735. nuperque etiam in celeberrimi NETTELBLADTII *Hällisch. Beyträgen zu der iurist. gelehrten Historie P. II. p. 264. sq.* notulis quibusdam Editoris

col-

collustrata. Eandem, notis suis et animaduersionibus adauctam, promiserat olim in titulo *Supplementorum ad Bibliothecam iuridicam Lipenianam* Vir horum studiorum peritissimus, GOTTL. AVG. IENICHEN: at in ipso Opere desiderari hoc scriptum, conspectus docet.

§. XXXIII.

Progrediamur ad recentiorum Ictorum Biographos. Hos inter IOH. FICHARDVS, natione Germanus, familiam ducit. Editae sunt *Basileae anno* 1537. *in* 4. vt ex GERBELII *Praefatione* probabile est, eius *Vitae recentiorum Ictorum*, vna cum RVTILII Vitis, recusae deinceps *Pataiii a.* 1565. *in* 4. porro in *Tractatu Tractatuum*, *Tomo I. num.* 12. et in *Hoffmanniana editione Panciroliani Operis de clar. Legum Interpret. p.* 397. sq. Incipitur quinque saltim plagularum libellus ab Irnerio, Iurisprudentiae saec. XII. in Occidente instauratore, finiturque cum Zasio, Fichardi praeceptore. Vsus quidem videtur hac opella ipse PANCIROLVS; nihilo tamen minus parum aequum de eadem iudicium tulit *lib. I. cap.* 1. contendens, hominem Germanum res Italorum non facile scire potuisse, nec fortasse Auctores, vnde plura eruere licebat, habuisse ad manus, atque inde factum, vt nonnullos solum obliqua imagine delinearit, et non paucos plane praetermiserit. Id negari nequit, breuitate nimia passim laborare Fichardum, quaedam irrepsisse etiam insipida, quibus aetas, qua vixit, delectari solebat. Accessit Opusculo Patauii excuso MARCI MANTVAE BONAVITI, (ita enim nominatur in libris eius, quos ante oculos habeo) *Epitome Virorum illustrium, qui vel scripserunt, vel Iurisprudentiam docuerunt in scholis*, caet. Primum videtur *Patauii a.* 1555. *in* 8. edita haec Epitome, in qua, secundum praenomina, ducentos

et plures Ictos, rudi tamen et inaequali ſtilo, deſcripſit Auctor. Enarrat plerumque aliorum de hiſce Viris iudicium, cui tamen raro eſt fides habenda. Aliquoties ad Fichardum etiam prouocat. Cf. HOFFMANNI *Praef. ad Pancirolum pagina*, ſi numeres, 10. et BEYERI *Notit. Auct. iurid. Cent. III. art.* 12. *p.* 34. *ſq.* Copioſior eſt, et maiorem adfert vtilitatem GVIDI PANCIROLI *de claris Legum Interpretibus* Commentarius. Poſtumum, ex ſchedis Auctoris collectum, OCTAVIVS PANCIROLVS, ex fratre nepos, *Venetiis a.* 1637. *in* 4. *) protraxit, isque iterum typis impreſſus eſt *ibidem a.* 1655. *ead. f.* Ingens deinde Operis raritas fuit, donec id, CHRIST. GOD. HOFFmanni cura, longe correctius *Lipſ. a.* 1721. *in* 4. recuderetur. Conſtat illud ex libris quatuor. *Primus* quaedam de Ictis antiquis Romanis complectitur, elegantia paſſim, et non vbius obuia, neque tamen cum RVTILII, BERTRANDI, GROTIIQVE in primis, laboribus comparanda. Magis ſe commendat *liber ſecundus*, qui propius ad noſtra tempora accedit, et Antiquitates Academicas, originem creandorum Doctorum, varios Leges explicandi modos, multaque alia notatu digna, ipſi Conringio, docto de Antiquitatibus hiſce Scriptori, incognita, primum vsque ad *Cap. XIII.* exhibet, poſtea illuſtres Iuris Caeſarei Interpretes proponit. Orditur hic Pancirolus ab Irnerio, princeps enim inſtitutum fuit recentiorum Ictorum Hiſtoria, atque Capitibus quinque et octoginta ſupra centum pergit vsque ad Dominicum Pinellum, R. E. Cardinalem, qui anno milleſimo

*) In *Catalogo Bibl. Bunav. Tomo I. Vol.* 1. *p.* 790. monetur, antiquiorem editionem nominari in *Catal. Bibl. Cardin.* IMPERIALIS *p.* 366. *Venet. a.* 1587. in 4. adornatam. Sed error hic eſt haud dubie commiſſus vel a ſcribente, vel a typographo. Conſtat enim, Pancirolum anno demum 1599. vitam cum morte commutaſſe.

lesimo sexcentesimo et vndecimo, adeoque duodecim annis post Pancirolum, decesserat. In enarrandis Vitis plerumque natales, praeceptores, munera cuiusque, scripta, mortem, epitaphium, aliquando etiam aliorum iudicia refert. Plurima hausit ex horum Ictorum libris, quos stupenda perlegisse patientia videtur: nonnulla ex Archiuis habuit. Quum vero superiorum saeculorum Iurisperiti ad inuidiam proni fuerint, ideoque aemulationis instinctu saepissime laeserint aliorum famam grauissimis calumniis: fieri vbique non potuit, quin a veritate deflecteret Pancirolus, ex fontibus eiusmodi sua deriuans. *Tertius liber* de Iuris Pontificii Interpretibus agit. Primus est Fulgentius Afer, Ruspensis Episcopus, saeculo quinto sextoque clarus, vltimus Anastasius Germonius, septimae Decretalium Collectionis auctor, tunc, quum absolueret Pancirolus hunc librum, adhuc inter viuos. Eadem, qua priori in libro, vsus est methodo, partimque de Vita Ictorum talium diligenter disserit, partim singularia multa profert de libris Iuris Pontificii, eorumque origine. *Vltimus liber*, isque breuissimus, implet quippe duodecim tantum paginas, de Europae Academiis inscribitur, at imperfectus is est, et hodie quidem parum praestare vtilitatis poterit. Cf. HOFFMANNVS in *Praefatione* editioni Lipsiensi praefixa, *p. 7. sq.* Adiecit Vir laudatissimus, praeter Fichardum et Mantuam, IOH. BAPT. DE GAZALVPIS *Historiam interpretum, et Glossatorum Iuris*; CATELLIANI COTTAE *recensionem breuem insignium Iuris Interpretum et Doctorum*; MATTH. GRIBALDI MOPHAE *Catalogum interpretum Iuris Ciuilis*, et ALB. GENTILIS *de Iuris Interpretibus Dialogos*. Ex his varia etiam petere licet, quae ad vitam et scripta Ictorum, itemque ad Historiam restituti Iuris Romani, pertinent.

Mophae tamen Catalogus non nisi ex distichis tribus et quinquaginta compositus est, ob acuta quaedam de recentioribus Iurisperitis, v. g. Bartolo, Baldo, Budaeo, Zasio, Alciato, iudicia vnice aestimandis. Omnes Ictos, a Pancirolo descriptos, indicat BEYERVS *l. c. art. 13. p. 38. sq.* Decem Ictorum Vitas, a Viris doctis data opera expositas, collegit notisque suis haud contemnendis illustrauit FRID. IAC. LEICKHERVS. Prodiit liber vtilis *Lips. a. 1686. in 8.* non a. 1676. etiam, vt falso adseritur in *Biblioth. iurid. Lipeniana, Tomo II. p. 453. edit. nouiss.* Sunt autem hi Icti Boerius, Augustinus, Hotmanus, Brissonius, Pithoeus, Budaeus, Goueanus, Cuiacius, Bertrandus, et Pancirolus, omnes serae posteritatis memoria dignissimi. Nec praetermittenda DIONYSII SIMONIS *Nouvelle Bibliotheque historique et chronologique des principaux Auteurs et Interpretes des Droits Civil, Canonique* caet. *et particulierement de plusieurs Etats et Provinces, depuis Irnerius; avec le caractere de leur esprit et des jugemens sur leurs Ouvrages, à Paris 1692.* et *1695. in 12. mai. Tomis II.* Magnam Ictorum copiam ordine alphabetico exhibet auctor, passimque singularia, praesertim de Gallis, interserit, alibi non obuia. Ipsae tamen Vitae breues admodum sunt, recensioque scriptorum, a quolibet editorum, non semper est adcurata. Saepenumero testes etiam reticet, quorum fide dicta confirmari debebant. Alia desiderantur adhuc in *Supplem. Actor. Erud. Tomo V, p. 371.* his verbis: *vel omittit nonnullos primae notae, vt Ioh. Semecam, primum apud Germanos Decreti Glossatorem, aliosque; vel immiscet aliquos, quod frequenter in altera Parte euenit, qui plane inter Iuris Auctores locum inuenire non possunt*, v. g. *Iulium Caesarem et Iosephum Scaligeros, Lipsium, Scioppium, Ioh. Gerbardum et Isaacum Vossios; vel in nominibus errat, dum* Boeckel-

Boeckelmannum Boeckelnianum *vocat*, *Ioh. Brunnemannum* Brunenianum, *Matthiam Stephanum* Ioachimum, *imo Reinhard. Bachouium, clarissimum Ictum*, *cum patre illius, Scabino quondam Lipsiensi, confundit; vel in dignitatibus assignandis, dum Goldastum Electori Saxoniae, Marqu. Freherum Brandenburgico a consiliis fuisse ait.* IANVS VINC. GRAVINA in elegantissimo Opere *de ortu et progr. Iur. Ciuilis*, cuius nunc est optima editio *Lipsiensis*, *a.* 1737. *in 4. mai.* eruditis GODOFR. MASCOVII Obseruationibus exornata, *a §. CXLIII. p. 105. sq.* vitam, doctrinam et instituta Ictorum, ab Irnerio vsque ad Gregorium Tolosanum, succincte persequitur. Neque tamen sufficere haec possunt nostris temporibus. Ab Anonymo, quem esse PETR. DAHLMANNVM non nulli, alii RÜHLMANNVM quendam perhibent, *Frf. et Lips.* seu *Berolini a.* 1710. *in 8.* accepimus *den Historischen Schauplatz vornehmer und berühmter Staats- und Rechtsgelehrten*, quam Partem primam *ibid. a.* 1715. excepit altera, eademque vltima. Auctor eam diligentiam, quae a Biographo requiritur vtique, non adhibuit, et plerumque Vitas suas de verbo ad verbum exscripsit ex aliorum libris, haud indicatis, ex quibus hauserat, fontibus. Probatur id in *der Neuen Hällischen Bibliothec, Vol. I. Parte 10. p. 908.* Cf. etiam *der Neue Bücher-Saal der gelehrten Welt, Vol. II. P. 13. p. 41. sq.* Successerunt CLAVDII SINCERI *vollständige Leben und Schriften grosser Iuristen.* Tomus I. et II. *Vitemb. a.* 1713. Tom. III. demum *a.* 1718. *in 8.* prodiit. Quis lateat sub hoc Pseudonymo, explorare non contigit. Quisquis sit, id luculenter patet, multis hosce paruae molis Tomos, in quibus generatim tres et quadraginta Icti, potissimum Germani, occurrunt, laborare vitiis; recteque monetur in *Biblioth. Iur. select. Struuio-Buderiana, p. 21. edit. nouiss.*

 expo-

expositionem Vitarum nec satis esse iustam, nec Indices scriptorum adcuratos, nec annos, quibus edita fuere, semper memoratos. Leickherianum deinde exemplum stimulus fuit Viro multis de caussis suspiciendo, CHR. GOTTL. BVDERO, vt alteram Decadem, *Vitas clarissimorum Ictorum* continentem, *Ienae a.* 1722. *in 8.* produceret. Selegit vero eas potissimum, a doctissimis hominibus exaratas, quarum ipse LEICKHERVS sub finem Praefationis spem fecerat. Primum conspicitur Ferretti, tum Corasii, Donelli, Marani, a Costa, Florentis, Dartis, Fichardi, Cisneri, tandemque Taboris Vita. Subiecit laudatissimus Buderus, vbi necessarium videbatur, notas lectu dignissimas, longeque diuersas ab instituto Leickheri, quippe qui erudita quidem et vtilia attulerat passim, neque tamen ad ipsas Vitas illustrandas semper adcommodata. Nouam eundem prelo habere paratam Decadem, iam pridem innotuit, ideoque dolendum, non exstitisse adhuc inter bibliopolas quendam, qui et hancce Collectionem luci exponeret. IOH. IAC. MOSERI *Lexicon der ietztlebenden Rechtsgelehrten in und um Deutschland, Zullichauiae a.* 1738. *in 8.* editum, et *Praefatione von nützlichen und brauchbaren Rechtsgelehrten* instructum, quam primum ab Historiae litterariae peritioribus lectum fuerat, statim in oculos incurrebat, nimis esse leuem et imperfectum Viri illustris laborem. Quem vt vtiliorem redderet, operam dedit GOTTL. AVG. IENICHEN, Ictus elegantiorum litterarum laude conspicuus. Statim enim *anno* 1739. *Lips. in 8.* diuulgauit *Vnpartheyische Nachrichten von dem Leben und denen Schriften der ietztlebenden Rechtsgelehrten in Deutschland.* Multoties hic emendat ac supplet, quae Moserus dixerat, et alphabetico ordine, ab hoc itidem electo, praecipua de Ictis Germaniae, qui tunc

tempo-

temporis florebant, adiectis eorundem scriptis, commemorat. Vsus est Moserus hisce Obseruationibus in repetita libelli sui editione, eo ipso anno *Zullichauiae in 8.* parata. Nouissime meliora tentauit CHRISTOPH. WEIDLICHIVS, celebris caussarum patronus in Saxonia, et Historiae litterariae amantissimus. Dedit nobis industria eius *die Geschichte der ietztlebenden Rechtsgelehrten in Deutschland, und zum Theil auch ausser demselben, als ein Rechtsgelehrten-Lexicon in alphabetischer Ordnung*, Pars I. *Merseburgi a.* 1748. Pars II. *ibidem a.* 1749. *in 8.* excusa. Multa profecto de nostrae aetatis Iurisperitis in Germania, iisque notioribus, nec non de scriptis eorundem, attulit, quae singularia sunt, et ab aliis non obseruata. Plerisque tamen nimia scribendi libertas, et acerba de quibusdam honoratissimis Viris iudicia displicuerunt. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1748. *p.* 430. et *a.* 1749. *p.* 765. et *p.* 814. Quae loca si inspiciamus, mira statim adparet sentiendi differentia. Pars tertia, cum emendationibus ac supplementis priorum, quam promiserat Auctor, non accessit: huius interim loco *Halae Magd. a.* 1757. *in 8.* accepimus eiusdem *zuverlässige Nachrichten von den ietztlebenden Rechtsgelehrten.* Primae huic Parti, cui praefixa est V. C. DAN. NETTELBLADT erudita Praefatio, *a.* 1758. adiecit alteram, et *a.* 1759. tertiam; pluresque sequentur propediem. Non paucae hic Vitae occurrunt, quas iam antea dederat: proponuntur saltim plenius et adcuratius, ac sine stili asperitate, quam olim vsurpatam nunc ipse damnauit. Recessit quoque ab ordine alphabetico, Vitasque congessit, prout quasque habuit in promtu. Caeterum huc et pertinent ADAMI *Vitae Germanorum Ictorum et Politicorum*; WITTENII *Memoriae Ictorum clarissimorum renouatae*; DE BALTHASAR Prgr. septem, *Gryphisw. ab a.* 1737-

 1742.

1742. edita, *de Vita et fatis Ictorum Gryphiswaldensium;* ZEVMERI *Vitae Professorum Iurisprudentiae in Academia Ienensi;* BACMEISTERVS *de Ictis Rostochiensibus*, et alii, de quibus iam supra dictum, maxime §. XII. XIII. XIV. et XVI. IOH. GOTTL. OLEARII Diss. *de Biographis recentiorum Ictorum*, cuius spem fecerat in Diss. *de Biographis antiqu. Ictor. §. XVI.* luci non est exposita: nec Vitae exspectandae amplius videntur summorum Ictorum, a tempore instauratae in Italia Iurisprudentiae, quas olim apud Lipsienses adhuc agens molitus est Vir insignium meritorum, GE. CHRISTIAN. GEBAVERVS. Ipse ego, Bibliothecae huius conditor, iam pridem de *Lexico Ictorum omnium*, qui scriptis vnquam inclaruere, conficiendo sollicitus fui, rationemque instituti vberius aperui in singulari *Epistola*, ad AVGVSTIN. LEYSERVM perscripta, *anno*que 1741. *in 4. mai.* diuulgata, de qua vid. *die Götting. Zeitung. von gelehrt. Sachen a.* 1742. *p.* 54. Nec abieci consilium, quin potius varia collegi, ad Opus tantae difficultatis necessaria. Quam primum igitur Bibliothecam hanc litterariam, cui tot annos consecraui, absoluero, Deo et vitam longiorem, et vigorem corporis, clementer concedente datam fidem vt liberem, maximo, quantum in me situm est, studio adnitar. Singulorum Ictorum recentiorum Vitae copiosius recensentur in nouissima editione *Bibliothecae Iuridicae Lipenianae, Tomo II. p. 454. sq.*

§. XXXIV.

Vitas Medicorum Viri multi, eiusmodi ad laborem quam maxime idonei, describere olim conati sunt, scilicet IOH. HENR. MEIBOMIVS, THOM. REINESIVS, MART. FOGELIVS, GEORG. HIERON. WELSCHIVS, AEGID. MENAGIVS, IVL. GVASTAVIGNI et GE. FRANCVS DE FRANCKENAV. De

Mei-

Meibomiano certe instituto diligenter disseruit filius, HENRICVS MEIBOMIVS, in *Epistola* ad Welschium *Helmst. a.* 1669. *in 4.* edita, qua ipsum sollicitauit de Supplemento circa Scriptores Arabes, quo in doctrinae genere versatissimus erat Medicus ille ac Philologus Augustanus. Elaborasse etiam eundem *Historiam Medicorum Orientalium*, patet ex LVCAE SCHROECKII *Memoria Welschiana Aug. Vind. a.* 1678. *in 4.* diuulgata. Sed imperfectum fuit Opus ob inopiam subsidiorum, frustra conquisitorum. Cf. laudatus MEIBOMIVS, filius, in notis ad VOGLERI *Introduct. vniuersalem p. 181. edit. ann.* 1691. adornatae. Reinesius consilii sui rationes ipse exposuit in *Epistolis ad* HOFFMANNVM et RVPERTVM *p. 579.* vbi et adparet, prelo eius schedas fuisse paratas. De Manuscripto Menagiano refert inter alia DAN. LE CLERC in *Praef. de l'Histoire de la Medecine*, illud reperiri in Bibliotheca Bignonii, Abbatis. Absolutum autem id ab Auctore non videtur. In *Memoires* enim *de la vie de Mr. Menage, Tomo II. Menagianorum* dicitur: *Il est vrai, qu'il les quitta pour travailler à la vie des Iurisconsultes, et ensuite à celles des* Medecins, *mais il abandonnu ces deux Ouvrages, pour satisfaire aux héritiers de Mr. le Cardinal Mazarin.* Memorat porro LE CLERC, Fogelium cogitasse de *Historia Medicorum praeterita*, in qua eos congerere voluit potissimum, qui ab aliis fuerant praetermissi. Cf. MORHOFII *Polyhistor, Tomo I. libr. 1. cap. 7. §. 43.* Quod ad FRANCI denique DE FRANCKENAV *Vitas Medicorum, quauis aetate illustrium* attinet, trium illud Tomorum Opus ad finem esse perductum, discimus ex *Elogio* Viri summi, quod GODOFR. THOMASIVS, Medicus quondam Norimbergensis, adsumto *Vindiciani* nomine conscripsit. Vid. *die Neue Hällische Biblioth. Vol. III. P. 22. p. 105.* Omnia haec, ad praesentem

vsque diem, frustra sunt exspectata, et vel perierunt plane, vel latent adhuc in scriniis aliorum. Inter eos, quos habemus editos, primum occurrit SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, qui Tractatu suo *de claris Medicinae Scriptoribus, veteribus et recentioribus*, reliquis viam monstrauit, adeoque dici antesignanus debet. Prodiit liber *Lugduni anno* 1506. *in 8*. Postea saepius est recusus, tandemque, REMACLI FVCHSII additamentis auctus, *ibid. a.* 1531. et *Paris. a.* 1541. *in 8*. Praemisit Fuchsius ipse *illustrium Medicorum, qui superiori saeculo floruerunt ac scripserunt, Vitas*. Ieiunus quidem Campegii, hodieque nullius prope momenti, labor est; veniam tamen meretur, quod primus, quantum constat, fuit, qui hanc est arenam ingressus. Rara est, sed multis inquinata erroribus, WOLFGANGI IVSTI *Chronologia omnium illustrium Medicorum, tam veterum, quam recentiorum, Frf. ad V. a.* 1556. *in 8*. publicata. Vtilissimus foret liber, si GE. FRANCI DE FRANCKENAV ad colophonem perducta editio fuisset, de qua vid. *Virorum clarissimorum ad* GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM *Epistolae p. 283*. CASPARVM PEVCERVM suppresso nomine suo *Argent. a.* 1571. edidisse *Vitas illustrium Medicorum* MELCH. ADAMVS testatur in *Vitis Germanor. Medicor. p. 390. edit. in 8*. atque hunc plures deinde sequuti sunt. Sed merito illud vocauit in dubium GROSCHVFFIVS *p. 17*. elegantissimae Praefationis, *Nouae libror. rarior. Collectioni a.* 1709. praefixae, seque ex tam multis neminem scire professus est, qui vidisse illas Vitas aut volutasse dixerit. Si coniecturae locus, Peucerus eiusmodi rem animo agitauit, postea vero in aduersa incidens fata, desistere debuit incepto. Quae *Antwerp. a.* 1574. iterumque auctiores *L. B. a.* 1603. *in f.* typis impressae sunt IOH. SAMBVCI *veterum aliquot et recentiorum Medicorum ac*

Philo-

Philosophorum Icones, cum eiusdem ad singulas Elogiis, eae non nisi pauca, quae digna sint notatu, de Medicorum Vitis continent. Rariores quoque, sed exiguii pretii sunt PETRI CASTELLANI *Vitae illustrium Medicorum, qui toto orbe ad haec vsque tempora floruerunt.* Lucem viderunt *Antwerp. a.* 1618. *in 8.* CHRIST. GVIL. KESTNERVS in *Biblioth. medica p. 30.* refert, Auctorem, qui iuuenis libellum vix septem ac decem plagularum conscripserit, (at nouimus, eum tunc tres fere ac triginta natum annos fuisse,) de Medicis, quos ordine chronologico in aciem producat, quorumque numerus nondum ad duas integras centurias adsurgat, narrationem ieiunam ac macilentam plerumque, interdum etiam plane falsam ac erroneam instituisse. Eam ob caussam mirari quempiam posse merito, qui factum sit, vt IAC. GRONOVIVS Schediasma isthoc *Tomo X. Thesauri* sui *Antiqu. Graec.* inserendum curauerit. At in aliam longe sententiam transiit, et recte quidem, Vir celeberrimus, DAVID CLEMENT, in *Biblioth. de livr. dificiles à trouver, Tomo VI. p. 374.* Audiamus eum ipsum! *J'avoüe*, ait, *que je ne saurois souscrire à ce jugement. Je crois, que pour rendre justice à un Auteur, il faut se transporter dans le Siécle, où il vivoit, et connoître le but, qu'il s'étoit proposé; sans quoi l'on court grande risque, de porter un jugement prematuré. Nôtre Auteur a écrit ces vies il y a plus de cent trente ans, où les Biographes n'y regardoient pas de si près, et où ils se contentoient de faire des Eloges, sans entrer dans ces détails hérissés de citations, que l'exactitude demande, pour constater les faits, que l'on avance. Il marque soigneusement les années de la naissance et de la mort de ses Médecins, il indique leurs Ecrits à la maniere de son Siécle, sans y ajoûter les dates, ni les lieux de*

leurs

leurs impressions, il y donne une idée de leur erudition, ou de leurs occupations: et conséquemment je crois, qu' il merite d'occuper une place honorable entre les Biographes de son âge. - - - Si Castellanus *n'a pas donné les Vies de tous les grands Médecins, c'est, qu'il n'en a pas eu le dessein. Voici comment il s' exprime dans sa Préface p. 10.* Scio multos a me praeteritos, et eos quidem eximios: sed quid faciam? Cum Sophocle, περὶ μὲν ἐυ φρονῶ, σιγῶν φιλῶ. Non omnia possumus omnes: Hanc ego pro modulo meo partem curaui; alius aliam. Si quis symbolam conferre voluerit, Modimperator esse non recuso. Hactenus Clementius. Iam antea caussam quoque Castellani egit GOETZIVS in *den Merckw. der Königl. Biblioth. zu Dresden, Vol. III. p. 15.* REIMMANNVS in *Idea System. Antiqu. litterar. generalioris p. 31. sq.* permultos Medicos, qui in libello memorantur, recenset: iudicium autem eius conuenit cum Kestneriano. Paucis annis post, *Bremae* scilicet *anno* 1623, *in 4.* editum est IOH. NEANDRI *Syntagma*, in quo exhibentur *antiquissimae et nobilissimae Medicinae natalia, Sectae, earumque placita, tum eius catacrypses ac instauratores, et ad haec nostra vsque tempora propagatores, cum historiis eorum, vitis ac scriptis. Accedit Dissertatio de Medicina Hermetica et Paracelsica.* Contemtim habetur Opus, parum nunc obuium, a LABBEO in *Biblioth. Bibliothecar. p. m. 122.* Vocat enim Neandrum alienae doctrinae decoctorem, qui a PETRO CASTELLANO, MELCH. ADAMI, aliisque, quos in syllabo Auctorum ne nominare quidem sustinuerit, omnia ferme sua hauserit ac saepius ἀυτολεξεὶ descripserit, Chronologiae alioquin imperitissimum esse eundem, ac perturbatorem temporum aetatumque: nec sincera insuper fide in Praeloquio ad Lectorem

ab

ab eo moneri, Castellani et aliorum, qui Vitas Medicorum scripserunt, ad manus sibi non fuisse scripta in illo opere, quum tamen pleraeque omnes paginae ipsorum sint verbis contextae. Idem sentit DANIEL LE CLERC in *Praefat.* supra adducta. *Anno* 1637. IOH. ANTONIDES VAN DER LINDEN *Amstael. in 8.* diuulgauit *de scriptis medicis libros II. ibidem a.* 1651. itemque 1662. recusos, et quidem auctiores, *eadem forma.* Praemissa breui Medicorum Vita, qui tamen Graeci sunt Latinique saltim, scripta memorantur, quibus nominis sui memoriam propagare ad posteros studuerunt. Quoniam vero multa restabant, quae emendari debebant addique, GE. ABRAH. MERCKLINVS librum plenius ac perfectius edidit *Norimberg. a. 1686. in 4.* et *Lindenii renouati* titulo insigniuit. Eiusmodi certe Supplementis locupletatus est Lindenius, vt ad haec vsque tempora laudem consummatissimi Operis mereatur, quamuis nec desint, quae lima indigeant, et copiosiori adparatu. Motus inde PETR. BONNET BOVRDELOTIVS, vt nouam olim et longe praestantiorem editionem, duo Volumina maioris formae exhibituram, meditaretur. Quo anno 1709. mortuo, innotuit quidem, eum in scriniis reliquisse *Catalogue de tous les livres de Medecine, imprimés avec une Critique abregée, et la vie des Auteurs*, teste IOECHERO in *Lexico eruditorum, Tom. I. p. 1303:* sed neque hoc Opus, neque illud, quod HANS SLOANE postea pollicitus fuerat, lucem adspexit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1726. *p. 716.* itemque *Biblioth. Angloise, Tomo XIII. p. 410.* Facit huc etiam GER. IOH. VOSSII postumus *de Philosophia* liber, *Hag. Com. a.* 1658. *in 4.* excusus, iterumque in *Operibus* eius, *Tomo III.* Occurrunt enim hic quatuor Capitibus, ab vndecimo vsque ad quintum ac decimum, de priscis Medicis Obseruationes

adeo

adeo pulchrae, adeo dignae lectu, vt eas forte, si solum inspicias titulum, in hoc Opusculo nunquam quaesiueris. IOH. BERNIERII *Essais de Medecine, où il est traité de l'Histoire de la Medecine et des Medecins* caet. qui liber *Paris. a.* 1589. *in 4.* prodiit, auctus mox *a.* 1691. Supplementis, emendationibus et Obseruationibus necessariis, partim ab ipso Auctore, partim a quibusdam eius amicis, publicae exspectationi neutiquam satisfecerunt. Vt enim taceam, priorem tantum Partem ad praesens referendam esse argumentum: haec ipsa quoque ideo, quod Auctor libris scribendis depellere famen cogebatur, festinanter negligenterque fuit composita. Interim recusum Opus *ibidem a.* 1695. *in 4. Histoire chronologique de la Medecine et des Medecins* inscriptum. An et auctius, nescio. Mutato solum titulo id factum esse, tradit in *Biblioth. medica p. 8.* KESTNERVS, ex quo saepe profeci. Id certum tamen, dicto titulo nouo haec adiecta verba fuisse: *Seconde edition, revûë, corrigée, et abregée en quelques endroits.* Quantiuis e contrario pretii Opus est laudati iam CLERICI *Histoire de la Medecine, où l'on voit l'origine et les progrés de cet Art de siécle en siécle, les Sectes, qui s'y sont formées, les noms des Medecins, leurs decouvertes, leurs opinions, et les circonstances les plus remarquables de leur vie.* Primum est publicatum *Geneuae a.* 1696. *in 12.* deinde *Amstael. a.* 1702. *in 4.* ac tandem *eodem* in *loco, eadem*que *forma a.* 1723. et quidem sub limam reuocatum, passimque nouis locupletatum accessionibus. Auctor, omnibus ad perficiendum institutum tam nobile subsidiis instructissimus, laudem reportauit communem, idque desideratum est vnice in hoc libro, quod Galeni tempora non excedat. Quam vero Clericus editioni nouissimae adiecit delineationem, (*Plan pour servir à la continuation de l' Histoi-*

Hiſtoire de la Medecine) eam domi ſuae omnino retinere debebat. Adparent enim in eadem variae, ac partim non leues, maculae, quae Viri doctiſſimi exiſtimationem facile apud imperitos imminuere poſſunt. CHRISTIANI IOH. LANGII *Hiſtoria medica*, Operibus eius *Lipſ. a.* 1704. *in fol.* iunctim editis praemiſſa, non niſi Sceleton eſt quoddam Hiſtoriae Medicorum, ordine chronologico compoſitae. Accedit, laborem eſſe poſtumum; quam ob cauſſam nemo mirabitur, ſi tot in eo lacunas inuenerit. Parum quoque vtilitatis adferet IOH. IAC. MANGETI *Bibliotheca Scriptorum medicorum, veterum et recentiorum, Geneuae a.* 1731. *Tomis II. in f.* diuulgata. Magno in ea hiatu promittuntur Medicorum omnium, qui ab orbis terrarum primordio, vsque ad annum Chriſtianum 1730. floruerunt, Vitae ordine alphabetico delineatae, cum opinionibus eorum ac ſcriptis, adhibita ſubinde modeſta epicriſi. Fundamenti loco ſe, ait, vſum eſſe MERCKLINI *Lindenio renouato*, quem librum ſatis locupletem, nec parum ornatum, recte credit. At non reſpondet ſuperbae Operis inſcriptioni tractatio, prout iudicatur in *Commercio litterario Norimbergenſi a.* 1731. *p.* 185. et *a.* 1732. *p.* 92. *ſq.* Cf. etiam *Acta Erud. Lat. Supplementor. Tomo X. p.* 50. vbi monetur, conſilio neutiquam probando integras, easque copioſas, Medicorum Obſeruationes, in Actis Naturae Curioſorum, Actis Eruditorum, Miſcellaneis Berolinenſibus, aliisque Diariis recentioribus, obuias recenſiones item de ſcriptis medicis hinc inde inſtitutas, Vitasque Medicorum celebriorum, ad verbum de charta in papyrum fuiſſe transſcriptas, ſine vlla acceſſione, praeter ſphalmata craſſiora; quam quidem ob rem Operis corpus nimis excreuiſſe. Pergunt deinde Collectores: *Melius de litteris promeritus fuiſſet Mangetus, ſi laboris,*

boris, qua pollet, patientiam, cuius laude defraudandus vtique non est, ad hoc impendisset, vt proprio studio ac stilo iudiciose ipsemet strictimque consignaret, quae de Medicorum vitis scriptisque diligenter congesta ex infinitis libris possedit; qua re quidem Bibliothecae molem vltra tres partes diminuisset, consuluisset autem studiosorum loculis. Horum rationem et ipsi plane nullam habere voluisse videntur Bibliopolae, qui sedecim tabulis aeneis, totidem Medicorum illustrium imagines repraesentantibus, sed quae ipsae iam ante illorum libros vulgatae conspiciuntur, et hic non nisi denuo ex iisdem tabulis, hinc inde corrasis, impressae sunt, pretium libri praeter caussam adauxerunt. Optimae sunt in tota hac farragine Medicorum Italorum Vitae: symbolas enim suas vberrime contulerunt VALLISNERIVS, NIGRISOLI, LANZONVS, FANTONVS et BIANCHI, viri ob insignem rei medicae peritiam inter gentis huius ornamenta referendi. Melioris vtique farinae est laudati supra KESTNERI *Medicinisches Gelehrten-Lexicon, Ienae a.* 1740. *in 4.* publicatum, quo in Opere Vitae celebriorum Medicorum iam tum mortuorum, ita exponuntur, vt scripta simul eorum, inuenta et controuersiae commemorentur ordine litterarum. De adhibita ab Auctore diligentia vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1741. *p.* 420. Vere ibidem adscribitur, multos aliorum errores biographicos notatos esse correctosque, omnia etiam iustis atque idoneis munita auctoritatibus. Nec tamen negandum, variis huic Lexico Supplementis opus esse, quae sine dubio addidisset litteratissimus Kestnerus, si vita ipsi frui licuisset longiore. Alterius igitur illud nunc manum exspectat, forte FRID. BOERNERI, maxime ad id agendum idonei. Cf. *die Ienaischen Gel. Zeit. a.* 1750. *p.* 429. Non vidi, quae STRVVIVS memorauit, IOH. SCHENCKII *Epitaphia et Epicedia illustrium*

illustrium Medicorum. Antwerp. ex officina Plantin. *a.* 1574. *in f.* ea exiisse, alicubi me legere memini. Inter eos, qui Medicorum Vitas pertractarunt speciatim, habita ratione diuersarum prouinciarum, vrbium, vel certae aetatis, referendi omnino sunt ADAMVS et WITTENIVS, quorum supra §. XII. iniecta est mentio. Accessit his FRANC. IOS. GRIENVVALDII *Album Bauariae iatricae, seu Catalogus celebriorum Medicorum, qui suis in Bauaria scriptis Medicinam exornarunt ab anno* 1450. *in hodiernam vsque lucem.* Libellus hic, rarior nunc factus, *Monachii a.* 1733. *in 8.* prodiit. Non quidem hic Vitae Medicorum data opera proponuntur, sed scripta saltim eorum, Auctoribus ordine alphabetico collocatis: passim conspiciuntur tamen Obseruationes biographicae, adeoque libellus in hac etiam classe vtilitate sua non destituitur. Cf. *die Leip. gel. Zeit. a.* 1733. *p. 608.* De SCHEFFELII *Vitis Professorum Medicinae in Academia Gryphiswaldensi*, BOEHMERI *Vitis Medicorum Helmstadiensium;* ZEVMERI et RICHARDI *Vitis Medicorum Ienensium;* BAIERI *Vitis Medicorum Altorfinorum*, ac BOERNERI *Memoriis Professorum Medicinae in Academia Wittembergensi*, repete, si placet, dicta *§§. XIII. XIV. XV. et XVI.* Eorum Vitas Medicorum, qui hac nostra aetate florent in Germania, laudatus BOERNERVS communicare cum eruditis instituit variis Decadibus ac Partibus, quarum quinque Tomum iustae magnitudinis *in 8.* implent. Nuper absolutus est tertius. En! Operis inscriptionem: *Nachrichten von den vornehmsten Lebensumständen und Schriften ietzlebender berühmten Aerzte und Naturforscher in und um Deutschland.* Prima Decas *Guelpherbyti a.* 1749. producta in lucem fuit: caeterae non sine plausu publico sunt insequutae. De Medicis quondam *Parisiensibus* multa egregia, notatuque omnino digna, congessit GABR.

NAVDAEVS in *Panegyri de antiquitate et dignitate Scholae medicae Parisiensis*, *Lutet. Paris. a.* 1628. *in 8.* Atque huc pertinent etiam *Pontificum Romanorum Archiatri*, quos MANDOSIVS spectandos exhibuit *Romae a.* 1696. *in 4.* Vid. supra *§. X.* Vitas autem *Hafniensium* Medicorum *Hafniae a.* 1662. *in 8.* consignare studuit in *Cista* sua *medica* THOM. BARTHOLINVS. De aliis quibusdam huius argumenti Scriptoribus consule KESTNERI *Biblioth. medicam p.* 34. *sq.* Idem singulorum Vitas *p.* 38. *sq.* copiosius recenset.

§. XXXV.

Sequuntur Philosophi, quorum Biographos memoratos inuenies in *Bibliotheca* STRVVII *philosophica*, *Tomo I. p.* 5. *sq. edit. Kahlianae.* Inde repetere hoc loco iuuabit praecipua, subiunctis, quae ibidem frustra quaesiueris. Primus, qui laborem eiusmodi suscepit inter antiquos, videtur FLAV. PHILOSTRATVS. Reliquit is Graeco sermone *Vitas Sophistarum*, libris II. comprehensas, quae primum cum Luciani Operibus Graece sunt excusae *Venet. ap. Aldum a.* 1503. *in f.* optimeque *Lipsiae a.* 1709. *in f.* cum caeteris *Philostratorum* scriptis, GODOFR. OLEARII beneficio. Sub idem forte tempus exarauit DIOGENES LAERTIVS *de Vitis*, *dogmatis et apophthegmatis eorum*, *qui Philosophia clauerunt*, *libros X.* praestantissime, cum versione Latina et variorum notis, praecipue doctissimis AEGID. MENAGII, item Iconibus quatuor ac viginti Philosophorum, quarum vero pauciores satis videntur adcuratae, diuulgatos a MARCO MEIBOMIO *Amstael. a* 1692. *in 4. mai. Vol. II.* Post hanc editionem excellit *Londinensis*, *anno* 1664. *in f.* studio IOH. PEARSON parata, et plerisque aliorum Obseruationibus, in *Meibomiana* obuiis, exornata. Frequentissima apud nos est ea, quam PAVL. DAN. LONGOLIVS *Curiae Regnit. a.* 1739. *in 8.*

in 8. Vol. II. insertis XXVI. Philosophorum imaginibus, aeri incisis, et additis Indicibus, ante vulgatis longe locupletioribus, exhibuit. Editor fundamentum esse voluit exemplar Amstaelodamense, passim tamen sustulit errores typographicos, nec solum Vitas hasce primus in capita et numeros distribuit, sed in praefixa etiam *Praefatione* de Auctore, eius scriptis, horumque interpretibus, explanatoribus, ac diuersis editionibus fuse eruditeque disseruit. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1739. *p.*649. Quod ad ipsum attinet Diogenem, multa quidem egregia, quae ad cognoscendas Vitas moresque antiquorum Philosophorum faciunt, eius in Opere reperiri, certum est. At negari quoque non potest, plus eundem studii in congerendis, quam iudicii in deligendis veterum Auctorum sententiis adhibuisse. Grauissimis igitur maculis deformatus est labor, alias maxime commendabilis, lectoremque requirit et ad omnia attentum, et nihil sine artis criticae subsidiis admittentem. Toties profecto alios sine delectu exscribit, contraria consarcinat, fabulas in Sophistarum scholis enatas pro veris obtrudit historiis, libris testamentisque suppositis fidem habet, quadrata miscet rotundis, ordinisque incuriosus est, vt consarcinatorem potius et ῥαψῳδὸν, quam Historicum, agnoscas. Ita de eo iudicat IAC. BRVCKERVS V. C. in *Hist. crit. Philosophiae, Tomo II. p. 626.* quocum iungatur ampla et elegans Obseruatio in *Actis Philosoph. Heumannianis Vol. I. p. 321. sq.* Diogenem sequutus fuit EVNAPIVS, Sardianus, a quo habemus *Vitas Philosophorum et Sophistarum*, primum Gr. et Lat. e Bibliotheca Sambuci ab HADR. IVNIO editas *Antwerp. anno* 1568. iterumque *Heidelb. a.* 1596. ex offic. Commeliniana, et *Parif. a.* 1616. *in 8.* ap. Henr. Stephanum, quae omnia exemplaria parum sunt obuia.

De noua editione, quam IOH. ALB. FABRICIVS meditatus est olim, v. REIMARVS in *Vita* eius *p. 209.* Nunc speratur alia ab insigni Acad. Iuliae Theologo, IOH. BENED. CARPZOVIO, cuius hac de re vid. *Specimen Eunapii edendi, Lips.* 1748. *in 4.* Descripsit Eunapius Vitam Plotini, Porphyrii, Iamblichi, Alypii, Aedesii, Maximi, aliorumque quarti post Christum natum saeculi Philosophorum Platonicorum. Historici nomen autem vix meretur, quoniam totus liber partim fabulis anilibus, partim stilo perturbato atque obscuro est compositus. Finxit sane non pauca, vt eo mirabilior fieret istorum hominum historia, Sectaeque suae consuetudine tutus, impune mentiri se posse, credidit, modo eorum inde cresceret auctoritas, ac τὸ θεῖον καὶ θαυμαστὸν, quod vnice in his Vitis curae habet, elucesceret. Quam etiam infestus Christianis fuerit, aliquoties testantur dicta eius, praesertim in Vita Aedesii, Maximique. Cf. BRVCKERVS *l. c. p. 246.* HESYCHIVS porro MILESIVS in libro *de Viris doctrina claris* Philosophorum Vitas ordine alphabetico exposuit, ad exemplum Laertii, cuius tamen scrinia compilauit. Graece Latineque prodiit *Paris. a.* 1593. *in 8.* cura HADR. IVNII, cum suis et HENR. STEPHANI notis, iterumque *L. B. a.* 1613. *ead. forma*, per IOH. MEVRSIVM, qui seruatis Iunii Stephanique castigationibus nouas notas, easque elegantissimas, addidit, nec non *res patriae Constantinopoleos*, a Milesio perscriptas. Nuper postrema haec editio reuocata est ad lucem in *Tomo VII. Opp. Meursianarum.* SVIDAS aeque in *Lexico* suo *Graeco*, cuius egregiam editionem, *Cantabrigiae a.* 1705. *Tomis III. in f.* productam, LVDOLPHO KVSTERO debemus, complures veterum Philosophorum Vitas, litterarum ordine, percenset. Multis de caussis vtilissimum est Opus: quum autem ex variis

riis compilatum ſit Auctoribus, iudicium et ἀκρίβεια paſſim deſideratur; ſaepe Collectorem Codices mendoſi ſeduxerunt; homonymi non probe diſtincti fuere, et res eorum, qui nomine ſunt diuerſi, quandoque miſcentur; exempla quoque, loco plane alieno, magis interpolatorum tamen, quam ipſius Suidae, vitio frequenter conſpiciuntur. Quod vberius docuit KVSTERVS in luculenta, quam Operi praemiſit, *Praefatione*. Saeculo XIV. IOH. WALLENSIS, Anglus, *Compendiloquium de Vitis illuſtrium Philoſophorum* exarauit, quod exſtat inter alia eius ſcripta, *Lugduni a.* 1511. *in 8.* typis impreſſa. Eodem circiter tempore GVALTERVS BVRLAEVS, Iohannis popularis, *de Vita et moribus Philoſophorum et Poetarum* libellum compoſuit, qui typis adhuc rudibus, ſub typographiae incunabula, ſine anno locoque adiecto fuit excuſus in *folii minoris* forma. Factum id eſſe *Lut. Pariſ.* in monte D. Hilarii, ad inſigne Sancti Claudii, in aedibus Rodulfi Laliſeau, docet LABBEVS in *Bibl. Biblioth. p. m.* 17. Repetitus prodiit non ſolum *Norimb. a.* 1477. *in 4. mai. ex offic. Coburgeri*, de qua editione vid. GOETZII *Merckwürdigk. der Königl. Bibl. zu Dresden*, *Vol. II. p.* 412. ſed etiam *Hagenoae a.* 1510. *in 4. Argentor. a.* 1516. et *Aug. Vind. a.* 1497. *ead. forma*, Germanice, *Leben der natürlichen Mayſter* inſcriptus. Cf. *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. 1. p.* 689. Eundem, quum Burlaeus tunc eſſet adhuc anonymus auctor, turpi plagio ſibi adſeruit, et tamquam ſui ingenii partum, exciſis dumtaxat pagellis quibusdam in fine, *Caſali a.* 1603. *in 4.* edidit ANTON. A SALA, teſte LABBEO *l. c.* Rarius occurrit hodie iſthoc Burlaei Opuſculum, nec meretur reduci in lucem, quoniam nullius momenti eſt. Craſſos eius errores iam dudum notauit GER. IOH. VOSSIVS *de Hiſt. Lat. libr. II. Cap. fin. p. m.* 515. pluresque alios

HEVMANN. in doctiſſima Obſeruat. *de* BVRLAEI *Hiſtoria philoſophica, Actor. Philoſ. Vol. III. p. 190. ſq.* Interim pro aequitate VOSSIVS *l. c. Nusquam non pene*, ait, *cucurbitas lippit: quod tamen non ingenio, quo plurimum valuit; ſed ſaeculi attribuendum eſt infelicitati, quo litterae diſpretae vbiuis iacebant.* Id vnice addo, Poetarum Vitas eam ob rationem exponere Burlaeum, quoniam antiquiſſimis temporibus hi ipſi Philoſophiae praecepta ſimul tradere conſueuerant. RAPHAEL MAFFEIVS, a patria VOLATERRANVS, in *Commentariis vrbanis*, (ita dictis, quod Romae eos confecerat,) quorum octo ac triginta libri *Volum. III. Pariſ. a.* 1515. item *Baſil. a.* 1530. *in fol.* et *Hanouiae a.* 1603. *ead. forma* prodierunt, alterum Volumen eſſe voluit anthropologiam Virorum doctorum, vbi in eo eſt totus, vt Vitas deſcribat Philoſophorum, Scriptorumque ſimiliam, partim veterum, partim recentiorum. Nec ingenii monumenta, quibus innotuerunt, praetermittit. Audiamus hoc loco CAMVSATVM in *Praefat. ad* CIACCONII *Bibliothecam p. 13. edit. Kapp.* Ita vero ille: *Neque indices adcurati, aut ſagaces cenſurae a Volaterrano requirendae, nobisque hodie minimo vſui eſſe poteſt liber integer. De Volaterrano tamen nimis acerbe pronunciarunt Paul. Iouius Elog. 118; Floridus Sabinus contra calumniatores linguae Latinae; et Bibliographiae philologico-curioſae Auctor.* (Intelligitur BOECLERI *Bibliographia critica*, olim hoc titulo euulgata.) *Nihil enim iniquius mihi ſemper viſum eſt, quam antiquos illos Scriptores, qui ſtatim a renatis litteris ſtudia pro virili exornarunt, nunc grauiter accuſare, et turpiter ſubſannare: modeſto et circumſpecto iudicio cum tantis viris agendum eſt: errores, quos admiſerunt, benigne caſtigandi, et nobiscum ſerio reputandum, campos*

ſpinis

ſpinis horridos excoluiſſe, altaque poſuiſſe fundamenta, quae ad ſummum deinde faſtigium extollere non ita difficillimum fuit. Elegantiſſimus eſt Tractatus IOH. IONSII *de Scriptoribus Hiſtor. philoſophicae*, ex libris IV. conſtans, atque editus *Francof. a.* 1659. iterumque, quibusdam acceſſionibus IOH. CHRIST. DORNII, at iis maxime ex Actis Philoſophorum deſumtis, locupletior, *Ienae a.* 1716. *in 4.* Singulorum Ionſius, antiquiſſimorum etiam, Philoſophorum Vitas, hiſtoriam, ſcholas, adſeclas, et ſcripta, habita aetatis ratione, breuiter quidem, ſed adcurate exponit, ita, vt recentiores pariter, qui in Hiſtoria Philoſophica quidpiam conati ſunt, attingat. Id reprehendi ſaltim in laudato Volumine ſolet, quod Auctor, vltra fines tranſiliens, intermiſceat res alienas ſaepius, et ad argumentum ſuum plane non pertinentes. Cf. HEVMANNI *Acta Philoſ. Vol. I. p. 160. ſq.* qui tamen *p. 169.* recte dicit, Opus inſcribendum fuiſſe omnino *Hiſtoria litteraria antiqua.* Non enim de Philoſophis tantum agit Ionſius, ſed de Muſicis quoque, Poetis, Grammaticis, caet. De noua Ionſii editione candide, quid ſentiat, profitetur laudatus HEVMANNVS *l. c. Vol. II. p. 310. ſq.* Digna eſt itidem, quae memoretur, THOMAE STANLEII *Hiſtoria Philoſophiae, Vitas, opiniones, resque geſtas et dicta Philoſophorum, Sectae cuiusuis, complexa.* Prima editio vulgata fuerat *Londini a.* 1655. *in fol.* ſermone Anglico, repetita deinde *ibid. a.* 1687. et 1701. *ead. forma.* Sequenti anno Belgica SALOM. BORRII verſio *Lugd. Batav. in f.* prodiit, et *anno* demum 1711. Latina GODOFR. OLEARII *Lipſ. in 4. mai.* doctiſſimis ab interprete Diſſertationibus illuſtrata. Et haec ipſa editio multum eſt praeferenda Anglicis, cum ob notas, quae acceſſerunt, egregias, tum ideo praeſertim, quod Olearius ſumma induſtria veterum ſemper Scriptorum loca addu-

adduxit, qua de re parum ſollicitum Stanleium nouimus. Praemiſſa eſt editioni poſtremae Anglicae, itemque Lipſienſi, Auctoris Vita, ſed admodum imperfecta. Melior quodammodo eſt, quae a GVIL. WOTTONO compoſita SAMMARTHANI *Elogiis Gallorum*, ab HEVMANNO exhibis, finem conſtituit. Idem Vir doctiſſimus *Actorum Philoſ. Vol. I. p. 523. ſq.* de hoc Opere, et Olearii in illud meritis, copioſe diſſeruit, atque inter alia obſeruauit, Stanleium ordinem Laertii fuiſſe ſequutum, adeoque et in Vita Epicuri ſubſtitiſſe, iudicio tamen hiſtorico philoſophicoque diligentiſſimum caeteroquin Scriptorem paſſim deſtitui. In Epitomen Stanleium redegit, et alios quosdam adhibuit, Adpendicisque loco duas Sectiones, altera EVNAPII Philoſophorum, altera MENAGII feminarum Philoſopharum Vitas continente, ſubiunxit Anglus quidam in *Lives of the ancient Philoſophers* caet. *Londini a.* 1702. *in 8.* Vid. *Acta Erud. Lat. anni* 1704. *p. 479.* vbi laudatur opera. Quae vero *Pariſ. ann.* 1723. et 1734. *Tomis III. in 8. mai.* lucem adſpexit HENR. GAVTIER *Bibliotheque des Philoſophes et des Savans, tant anciens, que modernes*, caet. ea nullius eſt momenti, ſtrenue quippe ex Diariis litterariis atque ex Dictionariis exſcripta, nec ſemper bona fide; qua de cauſſa inter plagiarios refertur Auctor ab HEVMANNO *l. c. Vol. III. p. 454.* quo loco adcurata exſtat Operis, ordine alphabetico vulgariter confecti, nec aptis inſtructi teſtimoniis, recenſio. Mirum certe plerisque videbitur, Cyrum, Alexandrum M. Eſaiam, Prophetam, et alios, Philoſophorum hic augere ſocietatem. Id vnice conatum excuſat, quod in Praefatione ipſemet fateatur Gautierius, ſe horum potiſſimum gratia ſcripſiſſe, qui totos ſe conſecrare litteris vel nolunt, vel nequeunt, et ſcire tamen obiter auent, quid olim, quid nouiſ-

ſime

ſime actum ſit in Republica Philoſophorum. De Tomo III. qui decennio poſt prioribus ſucceſſit, vid. ſigillatim *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo II. p. 236.* Exilis eſt pariter et vitioſus, quamquam in *Journal des Savans m. Aug.* 1726. *art 8.* admodum laudatus, libellus, *Abregé des Vies des anciens Philoſophes, avec un Recueil de leurs plus belles Maximes* inſcriptus. Editus eſt *Pariſ. a.* 1726. *in 12.* recuſusque *Amſtael. a.* 1727. *ead. forma* cum FRANC. DE SALIGNAC DE LA MOTTE FENELON *Dialogues des Morts* coniunctus, vbi huius Operis Volumen III. explet. Tribuitur enim vulgo huic Auctori, quod non nihil controuerſiarum peperit. Vid. de iis NICERONIVS in *Vitis erudit. Parte XIV. p. 20. edit. German.* Ipſius a vero non abhorret opinio, Fenelonium primis veluti lineis deſignaſſe has Philoſophorum Vitas, quarum ſunt generatim ſex et viginti: poſtea Editorem in ordinem redegiſſe easdem ſchedas, et variis additionibus dilataſſe. Quocunque ſe res modo habeat, indignus certe labor eſt tanti nominis ingeniique Viro. *Anno* 1731. *ſq. Vlmae in* 12. Partibus VIII. cum Supplementis IACOB BRVCKERVS publicauit *kurtze Fragen aus der philoſophiſchen Hiſtorie*; quod Opus poſtea fundamentum fuit *Hiſtoriae criticae Philoſophiae, a mundi incunabulis ad noſtram vsque aetatem deductae*, et Volum. V. *in 4. mai. Lipſienſibus* typis nitidiſſimis excuſae *anno* 1742. *ſq.* Adiungendi nunc ii ſunt, qui particulares tantum Philoſophorum antiquorum Vitas ſcripſerunt, inter quos habemus *Vitam Procli*, Philoſophi Platonici, a MARINO, diſcipulo eius, Graece compoſitam, et aliquoties cum verſione Latina typis impreſſam, quam optime et integram, ſuisque Prolegomenis ac notis ornatiorem, *Hamburg. a.* 1700. *in* 4. exhibuit IOH. ALB. FABRICIVS; qua de editione legas *Acta Erudit. Latin. a.* 1700. *p. 426. ſq.*

Multae tamen hic fabulae aniles. Sunt etiam, qui memorant PAVLI LEOPARDI, Critici eximii, *Vitas Aristippi, Diogenis, Demonactis, Stratonis, Demosthenis, et Aspasiae*, feminae eruditae, euulgatas *Antwerp. a.* 1556. *in 8.* sed, si vera haec sunt, rarissime obuias. *Vitam Apollonii Tyanei* FLAVIO PHILOSTRATO debemus, quae libros octo conficit, et *Venetiis a.* 1502. *in f.* ex officina Aldina Gr. et Lat. primum prodiit, iamque inter OLEARII *Opera Philostratorum* non sine nouis ornamentis locum occupat. Hoc nostro saeculo *de Vita et scriptis Apollonii* SIGISM. CHRIST. KLOSIVS Dissertationes III. *Vitemberg. a.* 1723. et 1724. *in 4.* suis exire scriniis passus est. MARSILII FICINI *Vita Platonis*, Operibus huius praefixa est, inserta quoque FICINI *Operibus*, *Basil. a.* 1561. *in f. Tomis II.* coniunctim editis. Caute tamen legendus: vt enim taceam, fontes, vnde hausit, non indicare, more saeculi sui, Auctorem, ipse haud diffitetur, in *Dedicatione ad Laur. Medices*, amore in Platonem immodico se teneri. De *Vita et moribus Epicuri* PETR. GASSENDVS libros VIII. *Lugduni anno* 1647. *in 4.* typis splendidis publicauit, qui recusi fuere postea *Hagae Comit. a.* 1656. *ead. forma*, et in eiusdem *Operibus, Tomo V. p.* 167. *sq.* Vir ille doctissimus, et Historiae litterariae ac Philosophiae praesidiis satis munitus, quicquid apud veteres de Epicuri vita reperitur, studiose collegit, digessit, perspicuaque et eleganti dictione ita enarrauit, vt nihil desiderari amplius queat. In primis omnes ingenii neruos intendit, vti tot veterum ac recentiorum contra Epicurum criminationes euerteret. Breuiter complexus est singula, quae fusius apud Laertium, Gassendum, et alios, exstant, IAC. RONDELLVS in libello *de Vita et moribus Epicuri*, primum Gallica lingua *Paris. a.* 1679. et *Hagae Comit. a.* 1686. *in 12.* edito: deinde Latine reddi-

reddito excusoque longe auctius *Amstael. a.* 1693. *in 12.* MALCHVS, dictus alias PORPHYRIVS, et IAMBLICHVS *Vitam Pythagorae* descripserunt. Vtrumque Auctorem Graece ac Latine cum variis notis denuo produxit *Amstael. a.* 1707. *in 4.* LVDOLPH. KVSTERVS. Verum enim vero adcurate ostendit BRVCKERVS in *Hist. crit. Philos. Tomo I. p. 991. seq.* parum esse fidos eos homines Pythagoricae historiae conditores, totque fabulas, tot contradictiones, ex corrasis vtcunque veterum narrationibus enatas, legi apud illos, vt apertum sit omnino, ipsos nec potuisse, nec voluisse rationis ductum sequi. *Anno* etiam 1706. *Tomis II. in 12. Parisiis* ab ANDR. DACERIO accepimus *La Vie de Pythagore, ses Symboles, ses Vers dorez* caet. vbi Vitam huius Philosophi sic exponit, vt merito cautum lectorem, admirationis et antiquitatis praeiudicio non impeditum, requirat, si recte et ad veritatis normam illius laboribus vti velit, quae BRVCKERI sunt verba, *l. c. p. 990.* Quid boni complectantur Capita illa de patria, aetate, praeceptis, vxore Pythagorae, caet. quae in GABR. BARRII Opere de *antiquit. et situ Calabriae, Rom.* 1737. *in f.* excuso, *libro IV. p. 311. sq.* exstant, mihi quidem non est integrum pronunciare, quoniam solum titulum legi in *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. 2. p. 1537.* In libello *de Aristippo, Philosopho Socratico*, qui occultato Auctoris, FRID. MENTZII, nomine *Halae M. anno* 1719. *in* 4. prodiit, non Vita solum hominis, a multis carbone notati, doctissime delineatur, sed maculae abluuntur etiam, quibus adspersus iam pridem fuerat. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1719. *p. 455. sq.* Nonnunquam tamen Mentzius defendendo Philosopho suo nimis, quam par est, videtur intentus. Luculenta estitidem GOTTL. STOLLII *de Vita, moribus et placitis Antisthenis Cynici* Dissertatio, *Ienae a.* 1724. *in 4.* euulgata. *Senecae*, Philosophi, *Vitam*

ele-

elegantiſſime deſcripſit IVSTVS LIPSIVS, quod Opuſculum praefixum eſt *Operibus* SENECAE, ex recenſione Lipſii *Antwerp. a.* 1652. *in f.* et *Amſtael. a.* 1673. *in 8. mai.* Tomis III. editis. Plura, quae ſine magno labore addi poſſent, ſilentio praetereunda ſunt, ne nimis excreſcat huius argumenti pertractatio.

§. XXXVI.

Philoſophorum recentiorum Vitas generatim poſteritatis memoriae tradiderunt MELCHIOR ADAMVS, WITTENIVS, HAGENIVS, ROLLIVS, de quibus eſt ſupra ſtudioſius actum *ſ. XII.* IOH. IAC. FRISII *Bibliotheca Philoſophorum claſſicorum chronologica*, cuius iam *ſ. II. huius Capitis* facta eſt mentio, non Philoſophos modo, ſed alios etiam Scriptores vsque ad annum 1540. recenſet, non ea quidem ratione, vt ſufficere queat adcurata deſiderantibus. In *Bibliotheca* IOH. BVRCH. MENCKENII *p. 57. edit. poſter.* memorantur *the Lives of the French, Italian and German Philoſophers*, quas Vitas Anonymus *Londini a.* 1717. *in 8.* publicauit. Neſcio autem, an digne ſatis partibus ſuis perfunctus ſit Auctor. Laudati ſaepius BRVCKERI *Hiſtoria critica Philoſophiae* antiquorum aeque ac recentiorum Philoſophorum Vitas et ſcripta fuſe adcurateque congeſta exhibet, adeoque iis commendari debet, qui ſolida vulgaribus et incertis praeferre ſolent. Compendium ex Opere maiori adornauit ipſe Vir celeberrimus, *ibidem a.* 1747. *in 8. mai.* typis impreſſum, tituloque *Inſtitutionum Hiſtoriae philoſophicae* inſignitum. Nonnullas etiam Philoſophorum Vitas, egregie compoſitas, HEVMANNVS ſuppeditat in *Actis Philoſophorum.* Singulorum quorundam, ex recentiori aetate, variae proſtant, quae plerumque exactam diligentiam redolent. Sic de Vita PETRI

RAMI ab aliis congesta in compendium redegerunt CHRIST. BREITHAVPTIVS, et CHR. FRID. LENZIVS. Illius Diss. *de tribus Logicae instauratoribus, Ramo, Verulamio atque Cartesio, Ienae a* 1712: huius contra Exercit. academica, *Historiam Petri Rami* continens, *Vitemb. a.* 1713. iterumque, auctius non nihil et emendatius, *Lipsiae a* 1715. emissa. At omnium iudicio IOH. THOMAE FREIGII, qui ex disciplina hominis prodierat, *Vita Rami* praestantissima est, praefixa RAMI *Praelectionibus in Orationes octo Consulares, Basil.* 1574. *et* 1580. *in* 4. ADR. BAILLETO debemus *La Vie de Mr. des-Cartes*, quae Vita *Paris. a.* 1691. *Part. II. in 4. mai.* lucem adspexit. In Praefatione docet Auctor, ea, quae antea de Renato Cartesio tradita sint, imperfecta esse, et mera fragmenta. Liber hic, *ibidem a.* 1693. *in* 12. ab ipso Bailleto coarctatus fuit, qui si parcius, nec vbique, laudasset Philosophum, si a partium studio magis sibi temperasset, si hostilem in Gassendum, Cartesii aduersarium, animum deposuisset, si a leuissimis rebus ac digressionibus longioribus, quae nulla ratione argumento illustrando inseruiunt, abstinuisset, omne is profecto punctum tulisset, interque Biographos excellentissimos referri mereretur. Vid. BRVCKERVS *l. c. Tomi IV. Parte 2. p. 202.* NICERONIO teste, *Parte III. p. 126. edit. Germ.* a PAVLO FRANCONE Marchione DE SALCITO *Basil. a.* 1713. *in* 8. redditum quoque Italice fuit Vitae Cartesianae Compendium. Ipsum autem maius Opus Anonymus, quem BOSCHETVM esse, nunc dubio caret, examinauit in *Reflexions sur la vie de Mr.* DESCARTES; quae criticae Obseruationes, primum *a.* 1692. in 12. euulgatae, postea insertae fuerunt editioni Belgicae Operis BAILLETI, *Jugemens des Savans* inscripti, *Tomi VII Parte secunda.* PETRI GASSENDI, magni superiori saeculo in Republica eruditorum

rum luminis, Historiam data opera scripsit IOSEPH. BOVGEREL in libello GALLICO, *Paris. a.* 1737. *in* 12. non adiecto nomine eius excuso. Collegit Auctor, quae passim dispersa iacebant, indolem animi expressit, scriptorumque Catalogum et Physicae Gassendianae Analysin breuem subtexuit. Quamquam autem non sine ingenii amoenitate in hoc versatus est argumento, multa tamen perperam dixit, saepiusque non satis acute verum vidit; qua de caussa haud immerito notatur in *Lettre critique et historique à l' Auteur de la vie de P.* GASSENDI, (*par le S.* DE LA VARDE) *ibid. eod. in* 12. Vid. BRVCKERVS *Tomi IV. Parte* 1. *p.* 510. Angli celeberrimi, THOMAE HOBBESII, *Vitam Carolopoli* (seu verius *Londini*) *a.* 1681. *in* 12. et 1682. in 4. accepimus. Verus auctor est IOH. AVBREY, qui eandem Anglice exarauerat. Latine postea reddidit Opusculum RICH. BLACKBVRN. Cf. *Lettres de Mr.* BAYLE *Tomo III. p.* 971. *sq. edit. Amst. a.* 1729. et *Biblioth. philosoph. Struuio-Kahliana*, *Tomo I. p.* 138. Eadem Vita, in qua non fata tantum Hobbesii, ingeniumque ac mores, sed controuersiae etiam et scripta luculenter exponuntur, inserta nouissime HAGENII *Memoriis Philosophor. p.* 69. *sq.* IOH. LOCKII *Vitam* apte delineauit IOH. CLERICVS in *Biblioth. choisie Tomo VI. p.* 342. *sq.* quam partim HEVMANNVS *Actor. Philos. Vol. I. p.* 972. *sq.* Germanice exhibuit, partim FRID. GLADOVIVS reliquit eadem lingua, editam postea *Halae M. a.* 1720. *in* 8. Vterque notarum non nihil subiecit, et Gladouius quidem copiosiores. Anglice pariter haec ipsa Clerici Expositio *Lond. a.* 1714. *in f.* prodiit, hoc titulo: *An Account of the Life and Writings of* IOHN LOCKE. Quam aliquando molitus est NICOL. MALEBRANCHII *Vitam* IAC. LE LONG, ea, quantum sciam, non fuit, quod profecto dolendum est, absoluta. Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1719. *p.* 818.

GODOFR.

GODOFR. GVIL. LEIBNITII fata nemo adhuc melius descripsit CAROLO GVNTH. LVDOVICI, Viro eruditissimo. Debemus industriae eius amplos Commentarios, *Lipf. a.* 1736. et 1737. *in* 8. Partibus II. hac inscriptione prolatos: *Ausführlicher Entwurf einer vollstaendigen Historie der Leibnitzischen Philosophie.* Pulcherrime in his Voluminibus, quae specimen saltim ac prodromum maioris Operis esse voluit Auctor, congestum est, quicquid ad vitam, scripta, controuersias, inuenta, summi Polyhistoris spectat. Cf. BRVCKERVS *l. c. Tomi IV. Parte altera p.* 337.. Addenda IAC. FRID. LAMPRECHTI *Vita Leibnitiana*, itidem Germanico sermone, ex IOH. GE. ECCARDI schedis, *Berol. a.* 1740. *in 8. mai.* publicata. CHRISTIANI WOLFII exstat quoque Vita, laudato LVDOVICI auctore. Continet eandem *der ausführliche Entwurff einer vollständigen Historie der Wolfischen Philosophie*, qui liber optime Partibus III. excusus est *Lipf. a.* 1737. et 1738. *in 8.* Multa singularia, et non cognita antehac, obseruabis in amplissimi GOTTSCHEDII *historischen Lobschrift* CHRIST. *Freyherrn von* WOLFS. Splendide haec ipsa Vita in lucem exiit *Halae M. a.* 1755. *in 4. mai.*

§. XXXVII.

Ad Scriptores de Mathematicis generales pertinet IOH. BAPT. RICCIOLVS in *Almagesto nouo, seu Chronico Astronomorum, Cosmographorum, ac Polyhistorum, qui Astronomica vel Cosmographica propius attigerunt.* Editum Opus *Bononiae a.* 1651. *in f. Partibus II.* iamque raritatis notam habet. Praecipue consulenda Pars posterior, ordine alphabetico maiorique doctrinae adparatu digesta, in qua non omnes quidem Mathematicos, maximam tamen eorundem partem enumerat Auctor, et pro tempo-

ris,

ris, quo floruit, conditione, pleniorem de iis ſuppeditat notitiam, tam quoad doctrinam eorum, quam vitae rationes. Vid. MORHOFII *Polyhiſtor, Tomo II. lib. 4. p. m.* 464. Sub idem tempus luculenter hoc argumentum pertractauit GER. IOH. VOSSIVS in libro *de vniuerſae Matheſeos natura et conſtitutione, cui ſubiungitur Chronologia Mathematicorum.* Lucem primum adſpexit *Amſtael. a.* 1650. *in 4.* deinceps *Tomo III. Operum Voſſianorum* inſertus fuit. Laude quoque praecipua extolli debet CLAVD. FRANC. MILLIET DE CHALES, cuius in *Curſu, ſeu Mundo, Mathematico, Lugduni a.* 1690. *in f. Tomis IV.* optime recuſo, ſtatim ſub initium Operis conſpicitur Tract. *de progreſſu Matheſeos, et de illuſtribus Mathematicis.* De hoc ipſo Tractatu ſeparatim, et neceſſariis quidem emendationibus ac ſupplementis auctius, edendo cogitaſſe olim IOH. FRID. STVVENIVM, at fata vltima obſtitiſſe conatui, memorat STOLLIVS *in der Hiſtor. der philoſoph. Gelahrheit, p.* 310. *edit. nouiſſ.* Nullius contra momenti eſt BERNARDINI BALDI, *da Vrbino, Cronica de Mathematici, o vero epitome dell' Iſtoria delle vite loro, in Vrbino* 1707. *4. mai.* Diu poſt Auctoris obitum, qui in annum 1617. inciderat, prodiit libellus, trecentos et ſex ac ſexagintaMathematicos,ab anno ſexcenteſimo ante natum Seruatorem, vsque ad ſaeculi XVI. finem, continens. Horum Vitas vberiori ſermone deſcribere voluit Auctor, iamque ducentas elaborauit et reliquit, a bibliopola promiſſas, ſi adductum Opuſculum benigne fuerit exceptum. Sed fidem datam non liberauit, quod ſatius fuiſſet profecto, quam decipere emtores ſchedis inanibus et indigeſtis. Cf. BAVMGARTENII *Nachr. von einer Häll. Bibl.Vol.V. p.* 270.*ſq.* Ante tria, et quod excedit, luſtra, nimirum 1742. *Lipſiae in 4.* IOH. CHRISTOPH. HEILBRONNERVS edidit *Hiſtoriam Matheſeos vniuerſae, a mundo*

mundo condito ad saeculum post C. N. XVI, *praecipuorum Mathematicorum Vitas, dogmata, scripta et manuscripta complexam.* Sed si de Vitis dicendum est, quod ipse conspectus docet, nimis eaedem sunt breues et imperfectae, ideoque ager ille longe maiorem adhuc diligentioremque culturam requirit. Plures Tomos, quorum spem fecerat Auctor, mors omnia soluens interrupit. Nuper innotuit praestantius Opus, *Paris. a.* 1758. *Tomis II. in* 4. excusum, scilicet *Histoire des Mathematiques par Mr.* DE MONTVCLA, qua in Historia nec Vitae celeberrimorum Mathematicorum neglectae fuerunt. Paucis quoque, ac velut in transitu, de iis tantum Mathematicis, qui Astronomi praecipue fuerunt, IOH. FRID. WEIDLERVS egit in *Historia Astronomiae, siue de ortu ac progressu Astronomiae libro singulari, Vitemberg. a.* 1741. *in* 4. exhibito. Inique de labore Weidleriano iudicasse, et eundem tamen impudenter vindicasse sibi passim PETR. ESTEVE in *Histoire generale et particuliére de l'Astronomie, Paris. a.* 1755. *in* 12. *Vol. III.* docent *die Leipzig. gel. Zeit. a.* 1756. *p.* 577. Tandem referri huc aliqua ex parte meretur IOH. NICOL. FROBESII *historica et dogmatica ad Mathesin introductio, qua succincta Matheseos historia cum caeteris eius praecognitis* caet. *continetur.* Diuulgatus est hic liber *Helmst. a.* 1750. *in* 4. De Mathematicis Noricis, quorum haud sane exiguus est numerus, optime promeritus fuit IOH. GABRIEL DOPPELMAYR in *der historischen Nahricht von den Nürnbergischen Mathematicis und Künstlern*, Opere *Norimb. a.* 1730. *in f.* cum variis tabulis aeneis edito. Recenset Vir doctus in *Partis I. libro priori* Vitas eorum Mathematicorum, qui per tria saecula apud Norimbergenses floruere, ita quidem, vt prudenter caueret sibi, ne sicca fieret ac ieiuna narratio.

ratio. In extrema paginarum parte, vt omnium cupiditatem expleret, adſcribendas curauit amplas et eruditas Obſeruationes, quibus facem quaſi praefert condendae Mathematicorum Hiſtoriae litterariae. Ea etiam, quae iam ab aliis ante ipſum dicta fuerant de compluribus, v. g. Regiomontano, Pirckheimero, Camerario, Praetorio, non repetiit ſola, ſed luculentis potius acceſſionibus locupletauit, Catalogosque ſcriptorum ſtudioſe ſubiecit, a ſingulis relictorum. Plura de praeſtanti Opere leguntur in *Actis Eruditor. Latin. a.* 1730. *p. 512. ſq.* itemque in *Actis Franconiae erud. et curioſ. Collect. XXI. p. 725. ſq.* Quatuor ſpeciatim inſignium in rebus mathematicis hominum, BRAHEI, COPERNICI, PEVRBACHII et REGIOMONTANI, Vitas elegans GASSENDI calamus dedit *Pariſ. a.* 1640. *in 4.* recuſas cum *ibidem* anno 1654. et *Hagae Com. ann.* 1635. *ead. forma*, tum in *Operibus eius, Tomo V. p. 363. ſq.* Non contentus tantorum Virorum geſta expoſuiſſe, ipſarum artium et ſcientiarum hiſtoriam vocauit Gaſſendus in partes, atque digreſſionibus iucundiſſimis quam plurima protulit, quae ſuo iure omnium eruditorum calculum laudesque conſequuta ſunt. Vid. BRVCKERVS *l. c. Tomi IV. Parte prima p. 526.* Inter ſingulares Mathematicorum Vitas primum ſuccurrit IOH. ANDR. SCHMIDII Diſſ. *de Archimede, Mathemat. Principe, Ien.* 1683. *in 4.* et IOH. MARIAE MAZZVCHELLI *Notizie iſtoriche e critiche intorno alla Vita, alle invenzioni, ed agli ſcritti di Archimede Siracuſano, Brixiae a.* 1737. *in 4. mai.* cum tabulis aeri inciſis, de quo eleganti Opuſculo fuſe diſſerunt Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1740. *p. 459. ſq.* De *Euclide*, Geometra, laudati SCHMIDII alia exſtat Diſſ. *Ien.* 1685. nec non SAM. REYHERI Diſſertat. hiſtorico-mathematica *de Euclide, Kiliae a.* 1693. *in 4.* excuſa, in qua non ſolum Vita eius, ſed

idea

idea etiam totius Elementorum Systematis, modusque demonstrandi Euclideus, et notitia de Euclidis Commentatoribus inuenitur. *Vitam* TYCHONIS A BRAHE, ex Danico Germanice redditam, *Hafniae et Lipf. a.* 1756. *in 8. Partibus II.* accepimus.

§. XXXVIII.

Historicorum Vitas qui scripserint, plures sunt. Inter primos fuit GER. IOH. VOSSIVS, qui *de Historicis Graecis libros IV. Lugd. Bat. a.* 1624. ac *de Historicis Latinis libros III. ibid. a.* 1627. *in 4.* luci exposuit. Vtrumque Commentarium, priori editione longe emendatiorem et auctiorem, *ibid. a.* 1651. *ead. forma*, recusum esse, non ignoramus. Factum id quoque *Frf. ad M. a.* 1677. *in 4.* at parum adcurate, tandem vero in *Tomo IV. Operum Vossianorum, Amstael. a.* 1695. *sq. in fol.* coniunctim editorum. Secundum saecula hic exhibentur Historici, et Graeci quidem vsque ad captam a Turcis Constantinopolim: Latini autem vsque ad Carolum V. Imperatorem. Nec nuda memorat Auctor nomina, quin potius aetatem, qua quisque vixit, indicare studet, eaque consignat, quorum expositionem, si supersint, ab vnoquoque oporteat exspectare. Adhaec in iis, qui familiam ducunt, ac nonnullis etiam minorum gentium, cuiusmodi vtantur dictione, refert. Subinde alia adspergit, quae prioribus istis posse aliquid lucis addere videbantur. Tandem et Scriptores subiungit, qui fusius de vno alteroue egerunt. Varios tamen naeuos in hisce libris, eo cum primis, qui ad Historicos Graecos pertinet, obseruabant postea eruditi. THOMAS igitur REINESIVS integrum Commentarium *de Historicis Graecis* olim est molitus, in quo se omissa suppleuisse, ἀγνοήματα Vossii indicasse, et cuiuis aetatem, quali ceret, suam adsignasse, ipsemet in *Epistola XV.* et

XVI. ad CASP. HOFFMANNVM *p. 33.* et *34.* teſtatur. Qui vero labor vel in occulto latet adhuc, vel nunquam fuit ad finem perductus. Cf. MORHOFII *Polyhiſt. Tomo III. libr. 4. p. m. 509. in nota.* Interim habemus BERN. A MALLINCKROT *Paralipomenon ad libros de Hiſtoricis Graecis Centurias quinque*, Diſcurſui ſuo *de ſummo Bono*, qui *Colon. a. 1656. in 4.* prodiit, adiectas. Plurima tamen ex his in altera Voſſiani Operis editione iam inueniuntur, ignaro Mallinckrotio, qui vſus tantum priori fuerat. MORHOFIVS *l. c.* De ſcriptis etiam ſollicitus magis fuit, quam de Vitis. In ſolos *de Hiſtoricis Latinis* libros IOH. HALLERVORDIVS *Spicilegium* parauit, maiori *Supplementorum* Operi, quod non ſucceſſit, praemiſſum, *Ienaeque a. 1672. in 8.* excuſum. Ordo ipſi placuit alphabeticus, longeque breuior eſt Voſſio, et multos intermiſcet, qui Hiſtorici non ſunt. Praeſtantiores vero Scriptorum editiones paſſim commendat. Poſt hunc idem voluit ſaxum CHRISTOPH. SANDIVS, Halleruordii popularis, cuius *notae et animaduerſiones in* VOSSII *libros tres de Hiſtoricis Latinis* diuulgatae ſunt *Amſtael. a. 1677. in 12.* Quae animaduerſiones, breuiores licet, eruditae ſunt, et varia modeſte notant, in quibus errauerat Voſſius. Hos triumuiros, Mallinckrotium nempe, Halleruordium et Sandium, addita LVDOV. NOGAROLAE *Epiſtola de Viris illuſtribus, genere Italis, qui Graece ſcripſerunt*, collegit in vnum Volumen, et *Hamburgi a. 1709. in 8.* edidit IOH. ALB. FABRICIVS, cuius Praefatio agit de ipſius Voſſiani libri editionibus, ac de his Auctoribus, Supplementi vicem praeſtantibus. Ea ſpeciatim, quae Voſſius de Hiſtoricis Latinis, patria Italis, congeſſerat, emendauit auxitque APOSTOLVS ZENVS in variis Obſeruationibus, Diario Veneto (*Giornale de' Letterati d'Italia*) *Tomo IX.* ac ſequentibus inſertis. Recuſae nuper hae ipſae fuerunt

runt hoc titulo: *Dissertazioni Vossiane di* APOSTOLO ZENO, *ciòe Giunte ed Osservazioni intorno agli Storici Italiani, che hanno scritto Latinamente, rammentati dal Vossio nel III. Libro de Histor. Latinis.* Tom. I. *a.* 1752. Tom. II. 1753. *in* 4. *Venetiis* lucem vidit. Opus insignem Auctoris sui doctrinam diligentiamque redolet. Neque contemnenda, quae ad Vossium de Histor. Latinis attulit IOH. FABRICIVS, Theologus quondam Helmstadiensis, in *Historia Biblioth. suae, Parte II. p.* 478. *sq.* MARTIN. HANKIVS quoque *de Romanarum rerum Scriptoribus* libros II. composuit, priore *anno* 1669. altero *a.* 1675. *Lipsiae in* 4. typis impresso. Ordine chronologico disseritur hic de Scriptoribus cum antiquis, tum recentioribus, qui vel in Historia, vel Antiquitatibus Romanis, ingenium exercuerunt, ita quidem, vt tribus plerumque Articulis cuiuslibet vita, scripta, ac celebriorum hominum de iisdem iudicia memorentur. Progressus est vsque ad annum Christi 1660. eosque *libri I. p.* 299. *sq.* separatim recensuit, quorum aetas incognita est. Liber secundus partim quinquaginta Scriptores, de quibus nihil in priore dixerat Hankius, exhibet; partim centum Scriptores, quos ille iam continet, variis additamentis plenius illustrat. Vtrique libro accedunt Indices quinque, vt Lectorum commoditati quacunque ratione consuleretur. Elegans certe Volumen est, sed imperfectum etiam, et mancum. Eadem Auctor methodo confecit, *ibidem*que *a.* 1677. *in* 4. edidit *de Byzantinarum rerum Scriptoribus Graecis librum*, vbi Virorum quinquaginta, qui de Constantinopolitanis, aliisque tam ciuilibus, quam ecclesiasticis, Antiquitatibus monumenta reliquerunt, Vitae, scripta, deque scriptis iudicia distinctiorem in modum proponuntur. Sub finem de iis est sermo, quorum tempora non satis clara et certa sunt. Multa Vossio deberi, adserit

MORHOFIVS in *Polyhist. Tomo I. lib. 1. cap. 19. §. 50.* aegre id ferente ac negante STOLLIO in *der Histor. der philosoph. Gelahrh. p. m. 20.* Mihi tantum iam otii non est, vt adcuratius inuestigare possim, rectene, an secus, Morhofii se habeat incusatio. Id verum vtique, MART. ZEILLERVM in libro, cui titulum dedit: *Historici, Chronologi et Geographi celebres,* caet. *Vlmae a. 1652. in 8. Partibus II.* publicato et *anno* 1657. Parte III. adaucto, diligenter exscripsisse Vossium, et aliqua saltim de recentioribus Historicis adiunxisse. Aliquoties id indicauit MORHOFIVS v. g. *Tomi I. lib. 1. cap. 18. §. 59.* cui adsentitur REIMMANN. in *Catal. Bibl. Tomo II. p. 636.* docens disertis verbis, Zeillerum, licet interdum nomen Vossii intexuerit huic telae, saepius tamen id ipsum silentio praeteriisse, idque iis etiam in locis, vbi vel pleraque, vel omnia, et ipsa etiam verba ab eo mutua acceperit. Accessit postea *Mantissa ad Catalogum Historicorum, Chronologorum et Geographorum, ibid. a. 1660. in 8.* Sed Index est parum adcuratus, qui nec de Vitis, nec de scriptis Historicorum multa habet singularia. Vossium imitatus fuit Polyhistor quondam Ienensis, IOH. ANDR. BOSIVS, cui tribuendae *Diatribae isagogicae de prudentia et eloquentia ciuili comparanda.* Posteriori enim editioni *Ienae a. 1698. in 4.* GEORG. SCHVBARTVS adiecit eiusdem *Notitiam Scriptorum Historiae vniuersalis.* Eadem ratione methodoque vtitur Auctor ac Vossius, ita vt Scriptores Historiae vniuersalis secundum saecula proferat, deque Vita horum et statu scite agat, quamquam recentiores potissimum sunt praetermissi. *Anno 1707. Paris. in 8. mai.* Tomis II. et mox 1708. *Amstael. in 4.* vnico Volumine prodiit LVDOV. ELLIES DV PIN *Bibliotheque universelle des Historiens, contenant leurs Vies, l'Abregé, la Chronologie, la Geographie et la Critique*

de leurs Histoires, un jugement sur leur stile et leur caractere, et le denombrement des differentes editions de leurs Oeuvres. Avec des Tables chronologiques et geographiques. Satis, opinor, ex titulo hoc adparet Auctoris diligentissimi institutum. Post absolutam quippe Scriptorum ecclesiasticorum Bibliothecam, similem caeterorum omnium Historicorum cuiuscunque aetatis, vel nationis, adornare coeperat. Sed quod omnino dolent horum studiorum cultores, plures Tomi non subsequuti duos priores fuere. In his autem illos tantum Historicos recenset, qui ad Alexandri M. imperium vsque vixerunt. Vtilis labor est; in diuersis tamen Historicorum editionibus adnotandis non semper adcuratus. Plura de eo legantur in *Actis Erud. Lat. a.* 1709. *p.* 253. *sq.* Egregium quoque vsum praestat *Bibliotheca historica Hamburgensis*, sermone Germanico a IOH. HÜBNERO, adiutoribus nonnunquam Viris doctissimis, IOH. ALB. FABRICIO, MICH. RICHEY, et PHIL. FRID. HANIO condita, *decem*que *Centuriis*, seu Partibus, *Lips. a.* 1715. *sq. in 12.* edita. Finem Operi *a.* 1729. imposuit Index vniuersalis. Praecipua quidem Auctorum cura fuit, vt Scriptores historici, iique plerumque selectissimi, adcuratius innotescerent, at praemitti tamen solet concinnum de Vita plurimorum meritisque indicium. Aliquot etiam exemplaria latioribus marginibus in forma plagularum quadripartitarum excusa sunt. Cf. *Supplem. Actor. Erud. Lat. Tomo X. p. 189. sq.* Non videre contigit, ideoque cuius farinae sint nescio, Dissert. binas, a GODOFR. LVDOVICO *Schleusingae a.* 1712. et 1713. *in 8.* diuulgatas, inscriptasque *Historia Historiographorum rite constitutorum.* Referuntur interim in *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. 1. p.* 715. inter Biographias Historicorum. Illustrium quorundam recentiori aetate apud Gallos Historicorum

Vitas IAC. LE LONG *Bibliothecae* suae *historicae Francicae*, Gallice scriptae, subiecit *lib. IV. art. 3. p. 879. sq.* Iure pariter locum hic obtinent *Vitae clarissimorum Historicorum*, quae ex museo et recensione CHR. GOTTL. BVDERI V. C. *Ienae a.* 1740. *in 8.* prodierunt. Continet insignis Collectio ea, quae Viri quidam eruditi de Pompon. Laeto, Ioh. Aventino, Beato Rhenano, Ioh. Cuspiniano, Bilib. Pirckheimero et Phil. Callimacho litteris consignauerant. Commodiorem reddit libellum rerum praecipuarum Index, haud negligenter confectus. De Scriptoribus genealogicis speciatim euoluenda IOH. HÜBNERI, filii, *Bibliotheca genealogica*, Germanico sermone *Hamburg. a.* 1729. *in* 8. exhibita. In ea nimirum Auctorum Vitas exponit breuiter, librorumque argumenta et editiones diuersas memorat. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1729. *p.* 235. *sq.* Singulorum nonnullorum, cum antiquorum, tum recentiorum, Vitas Historicorum recenset laudatus BVDERVS in *Bibliotheca histor. Tomo I. p.* 7. *sq.*

§. XXXIX.

Ad Poetarum veterum Latinorum Vitas primus animum adpulit PETRVS CRINITVS in libris. V. *de Poetis Latinis, Florent. a.* 1505. *in fol. min.* apud Phil. Iuntam, quae editio hodie longe rarissima est. Saepius deinde recusus est libellus cum Opere *de honesta disciplina*, v. g. *Paris. anno* 1508. et 1513. *in f. Lugd. a.* 1554. *in 8.* apud Sebast. Gryphium, et 1561. *in* 12. Incipit a Liuio Andronico, et progreditur ad C. Sollium Sidonium Apollinarem vsque, qui saeculo post C. N. quinto floruit. Oratione plana et iucunda obseruat Auctor plerumque, quae ad ortum, patriam, familiaritatem cum aliis, dignitates, scripta, mortem, Poetarum spectant, additque aliorum de iis iudicia. Plura vid. in STRVVII *Biblioth.*

bliotb. antiqua, *anni* 1705. *p.* 424. *ſq.* Maiora deinde auſus eſt LILIVS GREGOR. GYRALDVS in *Hiſtoria Poetarum*, *tam Graecorum*, *quam Latinorum*, Dialogis X. compoſita. Lucem primum vidit *Baſil. a.* 1545. *in 8.* poſtea recuſa fuit inter *Opera* eius *ibid.* 1580. *in f. Tomis II.* et optime *L. B. a.* 1696. *ead. forma*, totidemque Tomis. Poſtremae huic et nitidiſſimae editioni acceſſerunt PAVLI COLOMESII notae doctiſſimae in eos ipſos Dialogos. Neque vero Gyraldus de antiquis tantum Poetis, exſtantibus atque non exſtantibus, ſcripſit, ſed etiam de recentioribus vsque ad aetatem ſuam, ac de iis iudicia ſemper ſua adnexuit. Dialogi duo *de Poetis ſuorum temporum Florent. a.* 1551. *in 8.* prodierunt, obuii pariter in *Tomo II. Opp. p.* 521. *ſq. edit. Belgicae.* Quisquis, ſpretis nonnullorum, Auctori aduerſorum, cenſuris, librum ipſum aequo legerit animo, ſponte ad GER. IOH. VOSSII deſcendet ſententiam, quae in Tract. *de Poetis Latinis p. m.* 82. haec eſt: *Gyraldi exſtat Hiſtoria Dialogis decem perſcripta de Poetis antiquis; duobus de ſui temporis Poetis: opus ſicut magni ingenii et iudicii, ſic ingentis doctrinae atque induſtriae: ita, vt exſpectandum non ſit, ne quis deinceps hanc denuo prouinciam ſuſcipiat. Eſt, vbi huius, vel illius, Poetae hiſtoriam accuratius aliquis tractare valeat, et ſane id in paucis: at ab aggrediundo iterum tam vaſto labore non modo eruditorum vulgus, ſed etiam ſanos omnes deterruit. Videlicet poſt meſſem tam luculentam nihil fere, niſi quaedam ſpicilegia reliquit.* Cf. MORHOFIVS in *Polyh. Tomo I. lib.* 7. *cap.* 2. *p.* 1023. *ſq.* quo etiam loco GADDIVM notat *de Scriptor. non eccleſiaſt. Tomo II. p.* 129. et *p.* 212. adſerentem, quod Gyraldus, Criniti mentione omiſſa, maligne ſcrinia eius compilauerit, multaque ex Scaligeri Poetica ſublegerit. *Vti ſtupi-*

dius nihil dici posset, ait Morhofius, *quam hoc posterius, quum a.* 1545. *Gyraldus suos Dialogos ediderit, Scaliger Poeticen sexennio demum post a.* 1551; *ita prius etiam infirmis profecto coniecturis innititur: nec probauit vnquam Gaddius plagium, cuius reum hominem innocentem audacter facit.* Gyraldum sequuti sunt varii. Sic IOH. PETRVS LOTICHIVS, Medicus quondam Rinteliensis, post Marburgensis, exstruxit *Bibliothecam poeticam*, cuius Pars I. et II. *a.* 1625. Pars III. *a.* 1626. et Pars IV. *a.* 1628. *Francof. in.* 8. diuulgata est. Hoc in Opere non Thraciae tantum et Graeciae, sed Italiae etiam, Hispaniae, Germaniae, Belgii, Galliae, Angliae, Hungariae, Daniae, Poloniae, Bohemiae caet. Poetae celebriores, singulis Tetrastichis singuli, recensentur, addita, velut in compendio, eorundem Vita, natalibusque, speciatim et diebus emortualibus. Laudandus est conatus, ad comparandam Poetarum notitiam plurimum faciens; sed, vt facile credendum, saepe lima desideratur. Hausit Auctor ex ADAMO aliisque. Successit *ibid. a.* 1645. in 8. ipsius Promulsis critica, siue *Censura super Poetis nouantiquis.* VOSSIVS quoque *de veterum Poetarum*, Graecorum et Latinorum, *temporibus libros II.* confecit, post mortem eiusdem editos *Amstael. a.* 1654. *et* 1662. *in 4.* insertosque deinde *Operum Tomo III.* Verum recte censet MORHOFIVS *l. c. p. m.* 1025. vt ipse in loco, paullo ante producto, fassus sit, non nisi spicilegium superesse post largissimam Gyraldi messem; ita librum hunc non adeo fuisse a viro summo exasciatum, vt reliqua eius scripta: praesertim quum vltima manus non accesserit. *Quapropter*, addit, *et Paul. Colomesius in Bibl. selecta p. 89. nunquam edendum fuisse iudicat librum illum, vt qui tanto nomini ignominiam quasi adferat.* Enumerat Vossius Poetas Graecos ab Homero vsque ad annum Christianum

num 1453. Latinos autem a Liuio Andronico vsque ad excessum Ludouici Bauari, Imp. Romani, qui in annum 1347. incidit, hisque subiecit aliquos saeculi XV. et XVI. Poetas. Vtrumque librum ii finiunt, quorum incerta est aetas. Poetarum Graecorum Vitas postea descripsit sigillatim TANAQV. FABER, cuius *les Vies des Poetes Grecs en Abregé Salmurii* primum *a.* 1664. *in* 12. cum aliis nonnullis, huc non pertinentibus, iterumque *Paris. a.* 1680. et *Amst. a.* 1700. *ead. forma* prodiere separatim. Posteriorem editionem commendant maxime ADRIANI RELANDI, qui eius curam egerat, Obseruationes. Versio libelli Latina, Relandi notis praetermissis, reperitur in GRONOVII *Thesauro Antiqu. Graec. Tomo X.* Omnis labor in vsum adolescentis litterarum cupidi, Comitis de Limoges, susceptus; ideoque diligentia satis exacta passim desideratur, si Vitarum expositionem inspexeris. Saepius tamen, praeter iudicia libera atque solida, egregiae occurrunt Obseruationes, quae captum iuuentutis superant, et nouitatis quodammodo gratiam habent. Profecisse Fabrum ex Gyraldo, neque huius iniecisse mentionem, Bailletus iam pridem indicauit, teste NICERONIO in *Vitis Erudit. Parte III. p.* 377. *edit. Germ.* Cf. STOLLII *Nachr. von den Büch. seiner Biblioth. Vol. I. p.* 621. *sq.* Multa etiam erudita profert OLAVS BORRICHIVS in Differt. VII. *de Poetis*, quarum duae priores de Graecis, reliquae de Latinis agunt. Editae primum *Hafniae* ab *a.* 1676. ad *annum* vsque 1681. deinde vero coniunctim euulgatae sunt *Frf. a.* 1683. *in* 4. Recenset Auctor illustriores Poetas Graecos atque Latinos, et quid palmam in eorum Operibus censoriamue mereatur virgulam, adcurate discernit edisseritque. Inter Graecos ad hos tantum respicit, qui in ipsa nati Graecia fuerunt: in Latinis contra latius progreditur, et a Liuio

Liuio Andronico eos exhibet, qui ad initia vsque faeculi poſt Chr. natum XIV. floruere. Idque ſemper facit ſecundum ſeriem aetatis, temporumque, quibus inclaruerant. Recentioris autem aeui Poetas Latinos, eosque variarum gentium, tandem ordine alphabetico, vt citius a quaerentibus inueniantur, commemorat. Plura de hoc libro legas in *Actis Erud. Lat. a.* 1683. *p.* 281. *ſq.* Ad has ipſas Diſſertationes Borrichianas MICH. FILITZIVS *Lipſ. a.* 1696. *in 4. Analectorum Specimen* addidit, vbi quidem non antiquos Poetas, ſed eos potius eſſe ſermonis materiam voluit, qui vel neglecti fuerant ab auctore, vel poſt libri ſui editionem demum ingenio viguerunt. Filitzii nunc locum occupauit IOH. CHRISTIAN. LEVSCHNERVS, iamque *a.* 1759. *Hirſchbergae in* 4. Specimen I. dedit *Analectorum ad* BORRICHIVM, in quo ſeptem Germanos, hoc ſaeculo facultate poetica excellentes, repraeſentat. Rara eſt hodie LAVR. CRASSI *Iſtoria de' Poeti Greci*, *Neapoli a.* 1678. *in f.* excuſa. Occurrunt hic, alphabetico ordine, ex antiquis Italisque recentioribus, qui carmina ſermone Graeco condiderunt. A BASIL. KENNET *Lives and Characters of the ancient Grecian Poets Londini a.* 1697. iterumque, ex editione altera, *ibid. a.* 1735. *in 8. mai.* accepimus. Vtrique editioni acceſſerunt horum Poetarum imagines. In Belgicam quoque linguam has Vitas, vna cum STANLEII *Hiſtoria Philoſophica*, tranſtulit lucique expoſuit SALOMO BORRIVS *Lugd. B. a.* 1702. *in f.* Vid. *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1725. *p.* 1030. De GEORGII LIZELII *Hiſtoria Poetarum Graecorum in Germania*, quae publicata fuit *Frf. et Lipſ. a.* 1730. *in 8.* ſupra iam dictum *huius Capitis* §. *XII.* Latinorum Poetarum, eorumque veterum Vitas L. CRVSIVS *Londini a.* 1726. et 1732. *in 4.* Voluminibus duobus, breuiter tamen, exhibuit, ſic inſcriptas: *the Lives of the*

of the Roman Poëts caet. Typis repetitus eſt liber commendabilis *ibid. a.* 1733. *in 8. Tomis II.* qui vnum facile implent Volumen. Auctor praemiſit Introductionem in originem progreſſumque Poeſeos generatim, et in Dramaticam ſpeciatim, vbi etiam de corruptione Poeſeos, eiusdemque apud Romanos cauſſa, de praerogatiuis item Romanorum prae huius aeui Poetis docte diſſerit, deque ſtilo praeſertim et ingenii vi adfert haud reiicienda. Tum ad Poetas ipſos accedit, quorum agmen ducit Lucretius, claudente Tomum priorem Statio. In poſteriori primus eſt Valer. Flaccus, vltimus P. Rutilius Numantianus Gallus. Cuiusuis Poetae acumen et ſententiarum grauitatem adcurate ſignificat, atque a reliquorum dotibus diſtinguit. Vid. omnino *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tom. III. p. 341. ſq.* quo loco Vita Catulli, ne ſpecimen deſiderari poſſet a lectoribus, enarratur. Qui *Londini anno* 1713. *Tomis II. in f.* collecta edidit *Opera et fragmenta veterum Poetarum Latinorum, profanorum et eccleſiaſticorum* MICH. MAITTAIRIVS, is cuilibet horum Poetarum breuem de Vita eius et ſcriptis Praefationem praemiſit, ex Crinito potiſſimum, Gyraldo ac Voſſio compoſitam. Anonymus *Pariſ. a.* 1751. *et* 1752. *in 12. mai. Tomis II.* exire paſſus eſt *Connoiſſance des Poetes Latins les plus celebres* caet. quas Vitas, vulgariter exaratas, complecti ſimul ſapientum de cuiusque meritis ſententias, me docuerunt *Acta Erud. Lat. a.* 1756. *p. 41. ſq.* CHRISTIANVM DAVMIVM pleniſſimos *de Vitis Poetarum* Commentarios ſcripſiſſe refert CHRIST. FEVSTELIVS *de eruditor. Germanor. Vitis p. 1.* Verum latent illi adhuc, ni fallor, Cygneae in Bibliotheca publica, nec forſitan hac noſtra aetate, quae abundat aliis ſubſidiis, meliores ex Operis editione fructus eſſent exſpectandi. In POLYC. LEYSERI *Hiſtoria Poetarum et Poe-*

matum

matum medii aeui, decem, post annum a nato Christo quadringentesimum, saeculorum, Hal. M. a. 1721. *in 8.* excusa, non sine ratione quaesiueris Vitarum descriptiones. Sed Indicem tantum Catalogumque, satis imperfectum, esse hunc librum in aprico est. Certe BERN. PEZIVS in *Praefat. ad Tom. III. Thes. Anecdotorum p. 15.* profitetur, in Opere Leyseri magnam vim medii aeui Poetarum desiderari, eamque ex collectaneis huius Benedictini adiici posse. *Imo,* ait, *si nobis otium esset, facillimum foret, Leyserianam Historiam duplo, vel amplius, auctiorem reddere.* Quid Lusitani praestiterint in Poesi Latina, perspici potest ex *Corpore illustrium Poetarum Lusitanorum, qui Latine scripserunt, Lisbonae a.* 1745. *in 4. Vol. II.* exhibito. Insertae sunt etiam Poetarum istorum Vitae, prout iam *Tomo I. p.* 650. me dicere memini. IOH. DE NOSTRADAMI *Vitas Poetarum Prouincialium,* seu Galliae Narbonensis, *Lugd. a.* 1575. in 8. euulgatas Gallice, supra iam *§. XVIII.* sub finem protuli, quem locum, si placet, repetere iuuabit. In TITONI DE TILLET *Parnasse François,* et CLAVD. PETRI GOVIETI *Biblioth. Françoise, ou Histoire de la Litterat. Françoise,* cuius ab *anno* 1741. *Paris.* Tomi XVIII. *in 12. mai.* prodiere, admodum de Vitis Poetarum Gallorum diligenter agitur. Eandem ob caussam commendari debet *Histoire du Theatre François depuis son origine, jusqu' à present; avec la Vie des plus celebres Poetes dramatiques caet. ibid. ead. forma anno* 1734. *sq. Vol. XV. auctore* CLAVD. PARFAICT. Recusum Opus, in quo, quod ad Vitas attinet, multa singularia occurrunt atque iucunda, statim *Amstaelodami.* Add. ADR. CLAVD. LE FORT DE LA MORINIERE *Bibliotheque poetique ibid.* 1745. *in 8.* et etiam splendidissime *in 4.* sine scribentis nomine. Hic pariter Vitas Poetarum Gallorum, ac de carminibus eorundem iudicia leges.

Cf.

Cf. FORMAY *France littér. p.* 183. et de Parfaict *p.* 254. De Vitis Poetarum Anglorum, a WINSTANLEIO, LANGBAINIO, IACOBO, et CIBBERO cum Republica litteraria conmmunicatis, nolo crambem bis coctam adponere. Differui enim de iisdem Operibus *§. XX. huius Capitis.* Poetas Italos depingendos sibi sumsit IOH. MARIVS CRESCIMBENI in *Istoria della volgar Poesia*, *Romae a.* 1698. *in 4.* vbi *libro II.* breuia Poetarum Elogia ac de iis iudicia: *libro* autem IV. Poetas vita functos recenset. Fusius deinde, quae strictim exposuerat tunc temporis, persequutus est in *Commentari intorno alla sua Istoria della volgar Poesia*, quorum Vol. I. *a.* 1702. Voluminis II. Partem priorem et alteram *a.* 1710. Vol. III. IV. et V. *a.* 1711. *in 4. Romae* emisit. Nouissime recusa sunt omnia haec *Venet. a.* 1730. *et* 1731. *in 4. Tomis VI.* facile in Volumina duo redigendis. Notitia praecipuorum Poetarum exinde datur in *Iournal Etranger mense Iulio anni* 1757. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1712. *p.* 44. Ad Germanos Poetas cognoscendos, quorum Vitas nemo adhuc vno vel pluribus Voluminibus congregare studuit, facit quodammodo IOH. CASP. WETZELII *historische Lebensbeschreib. der berühmtesten Lieder-Dichter.* Pars I. *Hermstadii* et *Norimb. a.* 1719. P. II. *a.* 1721. P. III. 1724. P. IV. 1728. *in 8.* foras exiit. Continuauit argumentum, et non pauca Supplementa congessit in *Analectis hymnicis, oder merckwürdigen Nachlesen zur Liederhistorie.* Volumen I, Partem quasi repraesentans quintam, *Gothae anno* 1752. Volumen II. *anno* 1756. *in* 8. absolutum. In vnoquoque Partes exstant sex. Plura forte a sene industrio exspectanda. Audiamus REIMMANNVM in *Catal. Biblioth. Tomo I. p.* 186. vbi sic loquitur: *Quot in eo Opere Obseruationes de scriptis et Scriptoribus egregiae! Quot rerum obscurarum illustrationes alibi non facile obuiae! Quot detectio-*

detectiones de cantionibus sacris et earum Architectis adhuc incognitae! Quot sphalmata in Lexico eruditorum, *et Historico vniuersali*, *aliisque huius generis emendata!* Neque tamen negat idem, Auctorem interdum Scriptores confudisse, falsa de quibusdam commemorasse, ridicula etiam attulisse, et graui argumento indigna, quae singula exemplo comprobat. Illustrium Oratorum Vitas nondum habemus vnum in Corpus redactas. Interim pertinet huc *Abregé des Vies des Poëtes*, *Historiens*, *et* Orateurs *Grecs et Latins*, *qu'on voit ordinairement dans les Colléges*, (par FOVRRE') *à Paris* 1707. *in 12. mai.* Vid. FRID. OTTON. MENCKENII *Catal. Biblioth. P. II. p.* 332. Solos Graecos depingere haud ita pridem coepit alius quidam Gallus, quem FORMEY *in France littér. p. 179.* vocat FONTELE'S DE BRETIGNY. En! ipsum Operis titulum: *Vies des anciens Orateurs Grecs*, *avec des reflexions sur leur eloquence*, *des notices de leurs écrits*, *et des traductions de quelques uns de leurs Discours.* Tomus I. *ibid. a.* 1751. *in 12. mai.* excusus Isocratis tantum Vitam, adcurate atque eleganter compositam, exhibet; ideoque facile patet, plura restare Volumina, si perfectam Graecorum Oratorum Historiam condere velit Auctor. Sequutus est mox Tomus II. de Vita Dion. Chrysostomi, cui nescio an alii successerint. IOH. PEDIONEI *de claris Oratoribus libri II*, *Ingolstad. a.* 1546. *in 4.* typis exscripti, breuia saltim Elogia continent veterum Oratorum Graecorum Romanorumque, carmine expressa. Adiungi quoque meretur VOSSII *de Rhetoricae natura et constitutione*, *et antiquis Rhetoribus*, *Sophistis ac Oratoribus liber*, *L. B.* 1622. *in 8.* et *Hag. Com.* 1658. *in 4.* item *Tomo III. Opp. Vossianorum.* IOH. PETRI BELLORII *veterum illustrium Philosophorum*, *Poetarum*, *Rhetorum et Oratorum imagines*, *Romae* 1685. *in f.* ex vetustis num-

nummis, gemmis, marmoribus, aliisque priscis monumentis, depromtae sunt et illustratae. SIMON. STAROVOLSCII Tract. olim rarissimum, *de claris Oratoribus Sarmatiae*, supra *§. XXII.* memoraui.

§. XL.

De Musicorum Vitis consulatur IOH. GODOFR. WALTHERI *Musicalisches Lexicon Lips. a.* 1732. *in 8. mai.* Inueniuntur hic, praeter alia, quae de Musicis diuersarum nationum tam antiquis, quam recentioribus, notatu digna sunt. Maxime autem commendandum est IOH. MATTHESONII Opus, *Hamburg. a.* 1740. *in 4.* aere Auctoris euulgatum hac quidem inscriptione: *Gloria musica, oder Grundlage einer Ehren-Pforte, woran der tüchtigsten Capellmeister, Componisten, Musicgelehrten, Thonkünstler* caet. *Leben, Wercke, Verdienste erscheinen sollen.* Iucundissime differitur de centum et quinquaginta Musicis, qui nostra et superiori aetate insigni artis peritia celeberrimi fuerunt. Pleraque de iis tradita vel ab his ipsis accepit, vel e monumentis nondum editis congessit Matthesonius, saepiusque correxit atque suppleuit Lexicon Waltherianum. Tres potissimum in classes diuisit Musicos suos, ad primam eos referens, qui perfecte tenuerunt scientiam musicam, et componendi, vt vulgo dicunt, dexteritate valuerunt; ad secundam hos, qui, quum aliorum studiorum laude florerent, παρέργως ita coluerunt Musicam, vt etiam inter Musicos nomen possent profiteri; ad tertiam denique Musicos practicos, exercitio artis musicae, siue vocalis, siue instrumentalis, admirabiles. Hos omnes exhibet ordine alphabetico, et quamquam Suecos, Belgas, Gallos Italosque non neglexit, maximam tamen Operis partem consecrauit Germanis, suamque ipsius Vitam, ab alio fide dignissimo scriptam, inter-

ſeruit. Cf. *Acta Erudit. Latin. a.* 1742. *p. 476. ſq.* Celebriorum apud Gallos Muſicorum Vitae etiam conſpiciuntur in TITONI DE TILLET *Parnaſſe François*, qua de re vid. ſupra dicta *ſ. XVII.* Omnium, qui vnquam floruerunt, *Muſicorum Catalogum*, Vitas eorum ac ſcripta, deque his iudicia continentem, olim promiſiſſe SEBAST. DE BROSSARD, indicatur in *dem ausführlichen Bericht von allerhand neuen Büchern, P. VII. p. 678.* At, quantum ego quidem ſciam, caruit conſilium hoc proſpero ſucceſſu. Interim ex Auctoris *Dictionaire de la Muſique* Sciagraphia laboris cognoſci poteſt. Permulta proſtant ſubſidia de Pictoribus, Sculptoribus et Architectis. Proferam primum Scriptores huius argumenti generales, deinde et eos adiungam, qui ad certam tantum regionem, vel vrbem, reſpexerunt. Agmen inter illos ducit ANDR. FELIBIEN, cuius *Entretiens ſur les Vies et ſur les Ouvrages des plus excellens Peintres anciens et modernes* prodiere *Pariſ. a.* 1666. *in 4.* iterumque *a.* 1685. *ead. forma Tomis II.* deinde *Amſtaelodami*, (non Londini, vt adſcriptum eſt titulo,) *a.* 1705. *in 12. mai. Tomis IV.* ac tandem *Treuoltii a.* 1725. *ead. forma Tomis VI.* auctius et emendatius cum Iconibus. Tomum quintum occupant Architectorum Vitae, cura nepotis, IOH. FRANC. FELIBIEN, vsque ad ſaeculum XV. deductae. Poſtrema haec Operis commendabilis editio praeſtantiſſima eſt. Perhonorificum de eodem iudicium exſtat in VIGNEVL-MARVILLE *Melanges d' Hiſtoire et de Litterat. Vol. III. p. 64. edit. Roterod.* annum 1702. praeferentis. Adiiciam ipſa verba: *Quant à ſon Hiſtoire des Peintres, c'eſt un chef-d'oeuvre non ſeulement pour la beauté du ſtile, mais auſſi pour la grace et la netteté de la narration.* Pergitur, nonnullis interiectis, ita: *On eſt ſi content de lui, qu'on voudroit presque qu'il ne finît jamais: mais*

mais parcequ' il faut finir, on se revange bien en relisant plusieurs fois ce bel Ouvrage, qu'on ne sauroit trop lire. Vitas Architectorum etiam Germanice reddidit, et ad nostra vsque tempora continuatas *Hamb. a.* 1711. *in 12.* diuulgauit PAVL. IAC. MARPERGERVS. Paullo post, *anno* nimirum 1667, *Florent. in 4.* successerunt CAROLI DATI *Vite de' Pittori antichi.* Rarus admodum erat liber, in quo Zeuxis, Parrhasii, Apellis, Protogenis, Vitae exponuntur. Nunc noua exstat *ibid. a.* 1730. *ead. forma* adornata editio, quae in FRID. OTT. MENCKENII *Bibliotheca P. II. p. 320.* memoratur. IOH. PETRI BELLORII *Vite de' Pittori, Scultori ed Architetti moderni* cum eorundem imaginibus, ad viuum delineatis, lucem adspexerunt *Romae a.* 1672. *in 4.* iterumque, adiecta Lucae Giordani, Pictoris Neapolitani, Vita, *ibidem a.* 1728. *ead. forma.* Sed splendidior est vtique editio antiqua. Cf. *Supplementa ad Noua Acta Erud. Tomo I. p. 252.* vbi de recentiori editione sermo est. PHILIPPI BALDINVCCI *Notizie de' Professori del Disegno, da Cimabue in qua, per le quali si dimostra, come e per chi le bell' arti di Pittura, Scultura e Architettura lasciata la rozzezza delle maniere Greca e Gottica, si siano in questi seculi ridotte all' autica loro perfezione, ibid. a.* 1681. *in* 4. prodierunt. Auctor, cui ordo chronologicus placuit, diuisit Opus in saecula, haecque porro in Decennales. Incepit ab anno Christiano 1260. quo tempore floruit Cimabuius, Pictor Florentinus, et progressus est vsque ad a. 1300. Postea saeculum alterum ab a. 1300. vsque ad a. 1400. addidit, quod factum ibidem a. 1686. Tandem accessit *a.* 1688. saeculi quarti pars posterior, ab a. 1550. vsque ad a. 1580. ex quo Volumine perspicimus, eum integros centum et quinquaginta annos transiliisse. Mortuo Baldinuccio filius, FRANC. XAVERIVS, ex schedis Parentis edidit *ibid. a.* 1702.

a. 1702. *in f.* Volumen quartum, tres Decennales, ab a. 1580. vsque ad a. 1610, continens. Idem promisit continuationem, et praecipue ad explendam priorum Voluminum lacunam animum intendit, iamque in *Bibliotheque Italique, Tomo I. p. 294.* indicatur, sub prelo Florentino iacere Volumina III. noui Operis, sic inscripti: BALDINVCCI *le Vite de Professori del Disegno dal* 1400. *al* 1500. *e dal* 1610. *fino alla morte del' Autore* (1696.) *Opera postuma in 4.* Sed nondum certo innotuit mihi, ad exitum perductum fuisse conatum. Id caret dubio, quod edita Volumina, de quibus dictum est, non solum propter Auctoris diligentiam, sermonisque venustatem, qua mirifice excelluit, sed ob insignem quoque raritatem in deliciis esse soleant eruditis. Cf. CLEMENT *Bibl. de livres dificiles à trouver, T. II. p. 364. seq.* In IOACH. DE SANDRART, Pictoris Norimbergensis clarissimi, *Academia nobilissimae artis pictoriae*, quae primum *Norimberg. a.* 1675. *in fol. Vol. IV.* Germanice, deinde Latinam in linguam conuersa, CHRIST. RHODII studio, *ibid. a.* 1683. *ead. forma* exiit, maxima Operis pars Vitas exhibet Pictorum, tam Aegyptiorum, Graecorum et Romanorum, quam Italorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum, Belgarum, aliorumque siue antiquorum, siue recentiorum, vna cum eorum Operibus, quorum nonnulla tabulis aeneis ob oculos posita sunt, nec non plus quam ducentis Pictorum Iconibus. Recensetur paucis haec Academia pictoria in *Actis Erud. Lat. a.* 1683. *p.* 418. et sub finem quidem hoc elogio, quod artis et historiae pictoriae corpus absolutum dici mereatur. Quae Felibien atque Sandrartus copiosius tradiderant, ea in compendium quasi redegit ROGER. DE PILES, qui, nomine suo praetermisso, *Parisiis a.* 1699. *in* 12. edidit *Abregé de la Vie des Peintres, avec des reflexions sur leurs Ou-*

vrages

vrages caet. vbi Vitae Pictorum celebriorum, qui vel in artis restauratione, vel eiusdem perfectione singularem collocarunt industriam, vel quorum picturae in museis Principum, et aliorum peritiorum, adseruantur, exactius descriptae occurrunt. Recusus est liber, ab Auctore in carcere apud Belgas compositus, correctior, variisque additionibus, et CLAVD. FRANC. FRAGVIERII Elogio Pilesii, locupletior, *ibidem a.* 1715. *ead. forma.* Versio etiam Germanica, prioris tamen editionis Gallicae, *Hamburg. a.* 1710. *in* 12. prodiit, de qua vid. *die Neue Hällische Bibliothec Vol. I. p.* 262. *sq.* PEREGRIN. ANTON. ORLANDI, Carmelitani Bononiensis, *Abecedario pittorio, o vero le Vite degli antichissimi Pittori, Scultori, Architetti*, primum accepit Respublica litteraria *Bononiae a.* 1704. iterumque *ibid. a.* 1719. *in* 4. cum notabili Adpendice et emendationibus. Nouissime Opus, PETRI GVARIENTI cura longe auctius, *Venetiis a.* 1753. *in* 4. *mai.* emissum. De alia editione Florentina, seu Neapolitana potius *a.* 1731. producta, vid. *Suppl. ad Noua Acta Erud. Tomo I. p.* 256. et *Leipz. gel. Zeit. a.* 1732. *p.* 787. Apud Anglos RICH. GRAHAM exarauit *Account of the most eminent Painters, both ancient and modern*, quod Opusculum ex editione secunda, multis additionibus distinctiore, accessit CAROLI ALPH. DV FRESNOY *Art of Painting*, libro ex lingua Gallica in Anglicam translato, excusoque *Londini a.* 1716. *in* 8. LIONE PASCOLI *Vite de' Pittori, Scultori ed Architetti moderni* duos explent Tomos, quorum prior *a.* 1730. alter *a.* 1736. *in* 4. *Romae* diuulgatus est. Plura de vtroque legi queunt in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1736. *p.* 689. item *Supplem. ad Noua Acta Erudit. Tomo VI. p.* 506. *sq.* ex quo posteriori loco patet, Pascolium non solum omissos a Baldinuccio Pictores, Sculptores et Architectos attulisse, sed etiam ad Vi-

tas eiusdem Supplementa complura inseruisse, suauiterque, perspicue et praeclare praestitisse, quae susceperat. In pretio deliciisque habentur etiam *the Portraits of the most eminent Painters, and other famous Artists, that have flourished in Europe*, caet. Opus, *Londini a.* 1739. *in 4. mai.* typis impressum, continet centum fere Icones egregias, vna cum Vitis Artificum, et praecipuis ingenii monumentis, quae iisdem debentur. Summatim, quae apud tot alios de Vitis Pictorum copiosius inueniuntur, exposita fuere in ANT. FRID. HARMS *Tables historiques et chronologiques des plus fameux Peintres, anciens et modernes, Brunsuigae a.* 1742. *in f.* Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1742. *p. 205.* Anonymo Auctore, quem ex FORMEY *France littér. p. 161.* esse nouimus ANT. IOSEPH. DEZALLIER D'ARGENVILLE, Academiae Montis Pessulani Socium, *Parif. a.* 1745. *in 4. mai.* Voluminibus II. prodiit *Abregé de la Vie des plus fameux Peintres, avec leur Portraits, gravés en taille douce, les indications de leurs principaux ouvrages, quelques reflexions sur leurs caractères, et la maniere de connoitre les desseins des grands Maitres.* Tertium Volumen *anno* 1752. sequutum est. Praestantissimus omnino labor, ex quo multa, a caeteris non dicta, cognoscuntur, peritiorum sibi laudes peperit. De Pictoribus, Sculptoribus, Architectis, et aliis Artificibus saeculi XVII. multa non contemnenda habet *Iconographie*, Opus *Amstael. a.* 1758. *in fol.* productum, de quo plura dicam *§. sequenti.* Non eruditorum, sed eorum potius, qui vulgaribus contenti sunt, gratia scriptum videtur *Dictionaire abregé de Peinture et d'Architecture*, qui liber *ibid. a.* 1746. *in 12. mai. Tomis II.* editus fuit. Interim inter Vitas Pictorum et Architectorum, quae maximam eius partem conficiunt, exstant nonnullae, quas alibi frustra quaesiueris. Nunc *Norimberg. a.*

1759.

1759. *in 4.* coeptum eſt Opus, Diariorum poſthac methodo continuandum, quod hoc eſt titulo inſignitum: *Allgemeine Künſtler-Hiſtorie, oder berühmter Künſtler Leben, Wercke und Verrichtungen.* Addi ſolent Icones. Quod ſi ex incunabulis aeſtimare licet inſtitutum, non deerit omnino plauſus communis. Ad ſingulares Pictorum, Sculptorum et Architectorum Biographos nunc accedendum, quorum praecipuum locum obtinent ii, qui de Italis egerunt. Fecit hoc, quantum ego quidem ſciam, primum GEORG. VASARI, Pictor et Architectus doctiſſimus, cuius *Vite de' più eccellenti Pittori, Scultori e Architetti* lucem adſpexerunt *Florentiae ann.* 1550. *in 8. Vol. II.* deinde, adiectis Iconibus, *ibid. a.* 1568. longe auctius *Partibus III. in 4.* porro *Bononiae a.* 1647. *totidem Voluminibus,* et *iterum* 1681. *eadem forma.* Poſtremam hanc editionem alii optimam dicunt: rariſſima vero eſt Florentina, *anno* 1568. adornata. Iam noua *Romae* paratur, ſtudio BOTTARI, Corſino, Patri purpurato, a Bibliotheca. Tomus I. *a.* 1759. prelo exiit correctior, notisque Editoris ornatior, *Partibus II. in* 4. Si vera ſunt, quae ex *Galleria di Minerva Tomo II. p. 64.* referuntur in *dem ausführl. Bericht von neuen Büchern, Parte VII. p. 678.* Siluanus Razzi, Florentinus, Monachus Camaldulenſis, has Pictorum Vitas ſub Vaſari nomine edidit. Recentiores quidam huius argumenti Scriptores laudem ſuam non denegant Operi, ſaepe tamen humani quid paſſum eſſe, viuosque tunc temporis nimium extuliſſe nonnunquam Auctorem, contendunt. Succeſſerunt *Le Vite de' Pittori, Scultori ed Architetti, dal Pontificato di Gregorio XIII. dell' anno* 1572. *in ſino a tempi di Papa Vrbano VIII. nel* 1642. *ſcritte da* GIOV. BAGLIONE. *Romae* 1642. et ex editione altera *ibid.* 1649. *in 4.* Tertiam, Saluatoris Roſae Vita locupletiorem, accepimus *Neapoli*

a. 1733. in 4. mai. Vterque Auctor nonnullos quidem, at rarius, immiſcuit Artifices extra Italiae fines procreatos, vt obſeruatur in *Catal. Bibl. Bunav. Tom. I. Vol. I. p. 707.* Eodem loco exhibetur LVDOV. VEDRIANI *Raccolta de' Pittori, Scultori et Architetti Modoneſi più celebri, Mutinae a. 1662. in 4.* vbi Mutinenſes, his artibus clari, recenſentur. CAROLI CAESARIS MALVASIA *Felſina Pittrice, o vero Vite de' Pittori Bologneſi, Bononiae a. 1678. in 4. Vol. II.* prodierunt. Quum vero Malvaſia de Raphaele Vrbinate, de Caracciis, aliisque parum honorifice iudicaſſet, VINCENT. VICTORIA *Romae a. 1703. in 8.* ſeptem Epiſtolis oppoſuit *Oſſervazioni ſopra il libro della Felſina Pittrice, per difeſa di Raffaello da Vrbino, dei Caracci, e della loro Scuola.* Sed cauſſam egit Maluaſiae IOH. PETR. CAVAZZONI ZANOTTI, Pictor haud ſane indoctus, in *Lettere familiari, ſcritte in difeſa del Conte Carlo Ceſare Malvaſia, autore della Felſina Pittrice,* qui libellus *Bonon. a. 1705. ead. forma* diuulgatus eſt. Venetorum Pictorum Vitas CAROLVS RIDOLFI expoſuit in Opere, Iconibus ornato, et *Venet. a. 1648. in 4. Partibus II.* excuſo. Inſcriptio haec eſt: *Maraviglie dell' Arte, o vero le Vite degl' illuſtri Pittori Veneti, e dello Stato* caet. De Genuenſibus habemus RAPH. SOPRANI *Vite de' Pittori, Scoltori et Archittetti Genoueſi, e de' Foraſtieri, che in Genoua operarono.* Poſtumus eſt liber, cum Vita Auctoris, ſtilo IOH. NIC. CAVANAE exarata, *Genuae a. 1674. in 4.* typis impreſſus. Artifices Veronenſes poſteritati commendauit FR. BARTHOL. Comes DAL POZZO. Edidit quippe *Veronae ann. 1718. in 4. Le Vite de' Pittori, degli Scultori ed Architetti Veroneſi.* Suos in vſus conuertit complures Scriptores, etiam nondum publicatos, adiecitque ſingularem Notitiam de artis pictoriae et ſtatuariae monumentis, in aedibus ſacris, aliisque locis tam publicis

publicis, quam priuatis, apud Veronenses obuiis. His Operibus *Romae a.* 1732. *in* 4. accesserunt *Vite de' Pittori, Scultori ed Architetti Perugini, scritte da* LIONE PASCOLI, item *Tomi III*, Vitas Pictorum, Sculptorum et Architectorum *Neapolitanorum* continentes, quos BERN. DE' DOMINICI *Neapoli a.* 1742. et 1743. *in* 4. lingua etiam Italica produxit. Vid. de his *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1751. *num.* 19. *p.* 169. Tandem nec praetermitti debent *Ritratti di alcuni celebri Pittori del Secolo XVII. disegnati ed intagliati in Rame dal Cavaliere* OTTAVIO LIONI, *con le Vite de' medesimi* caet. *Romae anno* 1731. *in* 4. Bibliopola, Faustus Amideus, acquisitas celeberrimorum Pictorum Icones, quas olim dexterrime penicillo expresserat Octauius Lioni, communes facere decreuerat. Quod institutum vt maiorem adferret vtilitatem, adiungere visum est eiusmodi hominum Vitas, ab aliis iam descriptas, v. g. BAGLIONIO, MALVASIA, BALDINVCCIO. Sub finem tamen cuiuslibet Capitis Vir quidam eruditus varias addidit notulas, quibus emendare atque supplere studuit vel minus recte, vel nimis breuiter, dicta. Copiosius agitur de hocce libro in *Supplem. ad Noua Acta Erudit. Tomo I. p.* 254. *sq.* Quae reperiuntur Architectorum Vitae in GEORGII FOSSATI *Storia dell' Architettura*, *Venet. anno* 1747. *in* 8. *mai.* eae quidem ex Opere Felibiano, supra memorato translatae fuerunt. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1749. *p.* 849. Hispanorum Pictores, Sculptores, Architectique vt exteris innotescerent, operam dedit ANTON. PALOMINVS VELASCO in libro *Londini a.* 1742. *in* 8. *mai.* Hispanice, postea vero *Paris. a.* 1749. *in* 12. Gallica lingua exhibito. Inscriptio Parisiensis editionis haec est: *Histoire abregée des plus fameux Peintres, Sculpteurs et Architectes Espagnols. Traduit de l' Espagnol de Don* ANT. PALOM.

VELASCO. Ducenti hic Artifices producuntur, qui eminuerunt apud Hispanos, notatque Auctor tempus et locum, quo sunt orti, diuersas Scholas, vbi profecerunt, itemque opera praecipua, quae nobilitarunt nomen ipsorum. In laudandis tamen ciuibus suis a partium studio non est plane alienus. Reticet enim eorum vitia, quorum non obliuiscitur in breui, quam subiecit, Notitia exterorum, ob artis excellentiam ab Hispanis benigne receptorum. De Gallis prostant *Vies des premiers Peintres du Roi, depuis Mr. le Brun, jusqu' à present.* Tomi sunt II. *Paris.* 1752. *in 12. mai.* excusi, auctorque horum dicitur BERN. L' EPICIE', triennio post viuorum numero ereptus. Eidem debetur *Catalogue raisonné des Tableaux du Roi avec un abregé de la Vie des Peintres, ibid. a.* 1752. *in 4. mai.* Alter Tomus successit *a.* 1754. Pretiosum hoc splendidumque Opus recensetur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1759. *p.* 625. *sq.* Iam antea *ibidem a.* 1727. *in 8.* praecesserat *Description des Tableaux du Palais Roial, avec la Vie des Peintres à la tête de leurs Ouvrages, par* DV BOIS DE SAINT-GELAIS, quo de labore non nulla referuntur in *den Leipz. gel. Zeit a. 1727. p. 830.* Germanicos Belgicosque Pictores complexus generatim est IOH. BAPTISTA DESCAMPS. Is enim composuit *La Vie des Peintres Flamands, Allemands et Hollandois, avec des Portraits gravés en taille-douce. à Paris* 1753. et 1754. *in 8. mai. Tomis II.* Ordine chronologico ab anno 1366. aliquot centum Pictores, modo breuius, modo fusius, oratione suaui ac dilucida descripsit. Longe tamen copiosius de Belgis, quam de Germanis, actum. Accedunt multorum Pictorum imagines, quae nondum dimidiam paginae partem implent. Exspectandi plures adhuc Tomi; quoniam Auctor ad annum tantum 1633. peruenit. Belgas in scenam sigillatim produxit IAC. CAMPO WEYER-

MANN

MANN, cuius *Levensbeschryvingen der Nederlandsche KonstSchilders en KonstSchildressen, met een Vytbreyding over der Schilderkonst der Ouden, verrykt met de Konterfeytsels der vornaamsten KonstSchilders en KonstSchildressen in Kooper gesneden door* I. HOVBRACKEN, *Hagae Comit. a.* 1729. *in 4. mai. Voluminibus III.* exierunt. De Pictoribus, Sculptoribus, Architectis caet. Norimbergensibus legi meretur DOPPELMAYRII *histor. Nachricht von den Nürnbergischen Mathematicis vnd Künstlern Partis II. libris binis:* de Germanicis nostrae aetatis Pictoribus illustris AB HAGEDORN, frater Poetae, in cultissimo libro, inscripto *Lettre à un Amateur de la Peinture, avec des eclaircissements historiques sur un Cabinet et les Auteurs des Tableaux qui le composent. Ouvrage entremêlé de digressions sur la Vie de plusieurs Peintres modernes*, *Dresde*que *a.* 755. in 8. edito, qui recensetur studiosissime in *Melanges littéraires et philosophiqu. Berol. anno* 1755. *in 8. Tomo I. artic. XI. p.* 125. *sq.* de Helueticis autem Anonymi *Geschichte und Abbildung der besten Mahler in der Schweitz*, cuius Opusculi probabilis Sectiones quatuor (Germanice *Ausgaben*) ab *anno* 1755. *in 8. mai. Tiguri* prodiere cum tabulis aeneis quam plurimis. Praeter has caetera ex plagulis decem constant. Singulorum Artificum, eorumque celebriorum, Vitae magno numero reperiuntur in *Catal. Bibliotb. Bunav. Tomo I. Vol. 1. p.* 708. *sq.* Agmen claudant Typographorum clarissimorum Vitae. Inter has locum sibi vindicant THEOD. IANSSON. AB ALMELOVEEN *Vitae Stephanorum*, Dissertatione epistolica expositae, *Amstael. a.* 1683. *in 8.* Sermo est in ea de Stephanorum stirpe, laboribus indefessis, varia fortuna atque libris, quos orbi erudito eorundem officinae quam emendatissime typis impressos exhibuerunt. Huius autem industriam longe superauit

MICH.

MICH. MAITTAIRII *Stephanorum Historia*, *Londini a.* 1709. *in 8. mai. Tomis II.* edita. Prior Vitas ipsorum, alter libros a Stephanis excusos, memorat. Rarum est hodie Opus, de quo plura legas in *Supplementis ad Acta Erud. Tom V. p.* 504. et *in dem Neuen BücherSaal*, *Vol. I. p.* 729. *sq.* Inique interim tulit ALMELOVEENIVS in *Epistola* quadam ad IOH. ALB. FABRICIVM, quod Maittairius falcem in suam messem immiserit. Inde cogitauit de Dissertatione sua auctius recudenda, quod vero consilium non est exsequutus. Vid. REIMARI *Vita Fabriciana p.* 216. BERN. MONETAE, (seu de la Monnoye) *Epistolam ad Mich. Maittairium*, *in qua suas in eius Annales typographicos*, *et* Historiam Stephanorum *animaduersiones exponit*, ex Bibliotheca Schoenbergiana primum diuulgauit *Dresdae a.* 1733. *in 8.* AVGVSTVS BEYERVS. Habet libellus quatuor tantum ac viginti paginas. Respondit, et obiectos ipsi errores partim agnouit, partim ab se propulsauit MAITTAIRIVS in *Epistola ad Dominum* DES-MAIZEAVX, quae inserta est *Tomi VII. Parti priori p.* 142. *sq. de la Bibliotheque Brittannique.* Idem MAITTAIRIVS *Londini a.* 1717. *in 8. mai.* produxit *Historiam*, *Typographorum aliquot Parisiensum Vitas ac libros complectentem*, in qua occurrunt, quae de Sim. Colinaeo, Mich. Vascosano, Guil. Morelio, Adr. Turnebo, Ioh. Benenato et compluribus Morellis praecipue sunt notanda. Eadem vero methodo vsus est, qua Stephanorum condidit Historiam, ideoque Tomo priori Vitas, posteriori e contrario Catalogum librorum, ab hisce Typographis excusorum, exhibet. Dignus est hic etiam liber, qui ob insignem raritatem diligenter adseruetur. Praeter hos IOH. DE LA CAILLE, eruditus quondam typographus et bibliopola Parisiensis, in *Histoire de l' Imprimerie et de la Librairie*, *Paris. a.* 1689. *in 4.* ordine chronologi-

nologico, a medio Saeculo XV. vsque ad sequentis initium, antiquiores Typographos, eorumque nomina, patriam, domicilium, opera praestantiora, symbola, epitaphia, quandoque et progeniem et gesta, cuiuscunque illa generis fuerint, percenset. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1690. *p.* 68. Nec desunt singulares quorundam Typographorum celebriorum Vitae. Sic in IOH. DAV. KOELERI *Ehren-Rettung* IOH. GVTTENBERGS, *Lips.* 1741. *in* 4. multa non vulgaria de primo hoc artis typographicae inuentore adferuntur. De ALDI PII MANVTII *Vita meritisque in rem litteratam* ampla satis Dissert. CHR. THEOPH. VNGERI prostat, edita, et Obseruationibus illustrata SAM. LVTHERI GERET, *Vitemb. a.* 1753. *in* 4. de qua tamen conferri merentur, quae STRODTMANNVS *Parte VIII. des neuen gelehrt. Europa p.* 1051. ex *Epistola* quadam QVIRINI *ad Schelbornium* cum Lectoribus suis communicauit. Nunc habemus aliam Vitam huius Typographi, eamque adcuratiorem, a DOMINICO MARIA MANNI *Venetiis a.* 1759. *in* 4. emissam sermone Italico. SEBASTIANI GRYPHII, et ANTONII, filii, fata ex IOH. THEODORI LEVBSCHERI *Schediasmate de claris Gryphiis*, *Brigae a.* 1702. *in* 4. cognosci possunt. Accessit apud Anglos *Vita* GVIL. CAXTONI, primi in hac insula Typographi, lingua patria *Londini a.* 1737. *in* 8. *mai.* auctore IOH. LEVVIS diuulgata, sed ob exemplarium paucitatem rarissima. Centum enim et viginti excusa tantum dicuntur. Potiora libri argumenta leguntur in *dem Beytrag zu den Leipz. gel. Zeit. Vol. VI. p.* 215. *sq.*

§. XLI.

Ordinis praescripti ratio nos ducit ad Biographos certi temporis. De iis, qui medio, vt vocant, aeuo floruerunt, optime promeritus est IOH.

ALB.

ALB. FABRICIVS. Aperuit quippe *Bibliothecam Latinam mediae et infimae aetatis*, cuius Vol. I. et II. *a.* 1734. Vol. III. et IV. *a.* 1735. Vol. V. *a.* 1736. *Hamburgi in 8.* editum fuit, omnibus in libros XV. diuisis: Referre de hoc Opere iuuabit, quae Celeb. REIMARVS in *Vita Fabricii p.* 182. disserit. Ita vero ille: *Noluit Vir beatus perire, quae iam a quadraginta fere annis de mediae ac infimae aetatis Scriptoribus, indice quodam impresso vsus, collegerat, licet sextum iam et sexagesimum agenti annum aggrediendus esset labor, omnium, quos vnquam scribendo exantlauit, molestissimus. Tredecim prope saeculorum memoriam litterariam, vsque ad renatas litteras, ordine alphabetico persequitur, ea, quae in Bibliotheca Latina veteris aeui de patribus Ecclesiae dixerat, hic tantum breuibus repetens supplensque. Caeterum Historicos prae reliquis diligentius considerat, Vossium suppleturus, vbique in scriptis Auctorum recensendis maximam operam ponit, et lectorem ad genuinos fontes remittit. Inspergit etiam hinc inde eruditas obseruationes historico-litterarias, et fragmenta insignia Auctorum. Renouat autem hic ipse liber, omnibus probatus, dolorem ex Fabricii obitu conceptum tanto magis, quod imperfectus in Poggio subsistit, telae extrema alii, nescio cui, pertexenda relinquens.* Fuit is CHRISTIAN. SCHOETTGENIVS, qui caeteras Alphabeti litteras Volumine VI. addit, suasu instinctuque Ioh. Christoph. et Ioh. Christiani Wolfiorum. Prodiit hocce Volumen, a libro XVII. vsque ad librum XXI. productum, *ibid. a.* 1746. *in* 8. accessitque SEDVLII Carmen *de verbi incarnatione*, ex Codice Corbeiensi, ante annos nongentos exarato, descriptum, quod cento prope Virgilianus dici meretur, quandoquidem plerique versus praestantissimi

tiſſimi huius Poetae verba exhibent. Ad ipſam Bibliothecae continuationem quod attinet, operam dedit Schoettgenius, vt veſtigia Fabriciana perſequeretur, paucasque beati Viri ſchedas, a Reimaro ipſi transmiſſas, ſuos in vſus conuerteret. Recuſum eſt totum Opus *Patauii a.* 1754. *Tomis VI. in 4.* ſtudio IOH. DOMINICI MANSI e manuſcriptis editisque Codicibus correctum, illuſtratum et auctum. Suppleuit quippe doctiſſimus Italus Catalogum ſcriptorum, ab Auctoribus memoratis elaboratorum, aetatem eorundem paſſim definiuit adcuratius, erroresque complures diligenter emendauit; ideoque Patauina editio longe antecedit Hamburgenſem, ac dolendum eſt ſaltim, illam huic ſuperiorem etiam eſſe tam pretio, quam raritate. Quid vero in hac noua vituperandum ſit, et legentibus per eſſe moleſtum debeat, candide declaratur *in den Götting. Anzeigen anni* 1755. *p.* 1139. *ſq.* Vitas Graecorum, qui Saeculo XV, ad imperii Conſtantinopolitani interitum fatali, Graecas litteras in Italiam iterum intulerunt, *Lipſ. a.* 1704. et 1705. binis Diſſertationibus recenſuit CHR. FRID. BOERNERVS: quibus *anno* 1711. tria eiusdem argumenti Programmata ſubiecit. Has poſtea ſchedas eruditas collegit, expolitasque et compluribus acceſſionibus nouis adauctas *ibid. anno* 1750. *in 8. mai.* hoc titulo elegantiſſime recudendas curauit: CHR. FRID. BOERNERI *de doctis hominibus Graecis, litterarum Graecarum in Italia inſtauratoribus, Liber.* Habemus quoque HVMPHREDI HODII *de Graecis illuſtribus, linguae Graecae, litterarumque humaniorum, inſtauratoribus, eorum Vitis, ſcriptis et elogiis libros II.* diu poſt obitum Auctoris, cum eiusdem Vita, a SAM. IEBB *Londini a.* 1742. *in 8. mai.* productos. At multum differt hic labor a Boerneriano. Doctiſſimus enim Anglus cum Graecis varios alios conſociauit,

ciauit, qui eo loco numeroque haberi nequeunt. Passim hunc Scriptorem adhibuit in libro suo, correxitque non nunquam, Boernerus. Non nihil tantum ad Vitas eruditorum, saec. XV. celebrium, facit BARTHOL. FACIVS de *Viris illustribus suae aetatis* (diem enim supremum obiit a. 1457.) *Liber singularis*, quem LAVR. MEHVS *Florent. a.* 1745. *in* 4. primum luci exposuit, ac Praefatione Vitaque Auctoris instruxit. Conspiciuntur hic Poetae, Oratores, Icti, Medici et Philosophi, Pictores, Sculptores, Ciues quidam priuati, imo et Reges nonnulli Principesque. Nimia tamen breuitate vsus est Facius. Contentus enim cuiusque Viri docti scripta, et ne haec quidem omnia, memorasse, Vitam eius vel plane negligit, vel attingit verbis paucissimis. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1747. *p.* 70. Idem dicendum omnino de BENED. ACCOLTI *Dialogo de praestantia Virorum sui aeui*, ex Bibliotheca Magliabechii edito *Parmae a.* 1689. *in* 12. Sunt etiam, qui editionem Augustanam *a.* 1691. *in* 8. et Lipsiensem *a.* 1692. *in* 8. nominant, v. g. FABRICIVS *in Thes. litt. Ital. p.* 131. et CLEMENT in *Biblioth. de livres dificiles à trouver*, *T. I. p.* 26. at neutram ego vidi, nec difficulter inducor, vt credam, vnam esse editionem Germanicam, coniunctis forsitan locis, vt fieri non nunquam solet, scilicet *Aug. Vindelicorum et Lipsiae*, indicatam in titulo. Is ipse libellus insertus est postea *Thesauro Antiquit. et Histor. Italiae Tomo IX. Parte* 6. et IOH. GERH. MEVSCHENII *Vitis summorum Virorum Tomo I. p.* 155. *sq.* Non adspexit is dictum Thesauri Italici Volumen, alias minime scripsisset, quae in fine *Praefationis*, huic Tomo praefixae, leguntur. Totus in eo fuit Accoltus, vt ostenderet eleganti viuidaque oratione, aeui sui homines non esse inferiores antiquis, siue litterarum, siue armorum gloriam spectauerimus. Inde colligendum

gendum, de Vitis parum sollicitum Auctorem fuisse, sed, veluti in transcursu, attulisse quaedam, ex quibus mores ac studia clarorum eo tempore Virorum cognosci queant. Meliores vtique in hoc quidem, de quo agimus, argumento fructus percipiuntur ex PAVLI CORTESII, Saeculo XV. clari, *de hominibus doctis* Dialogo, ob admirabilem stili venustatem, rerumque grauissimarum copiam, admodum commendabili. Beneficio ALEX. POLITI excusum est vndecim plagularum Opusculum typis nitidissimis *Florent. a.* 1734. *in 4. mai.* Praeter Vitam Auctoris accesserunt sub vnaquaque pagina animaduersiones doctissimae, quibus ea, quae in Dialogo monuerat Cortesius, (censuram enim plurimorum Scriptorum, a repurgatis litteris ad sua tempora, instituerat saltim,) illustrantur mirifice, ac varia de Vita praestantissimorum hominum intersperguntur, quorum facta est ab Auctore mentio. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1741. *p.* 41. *sq.* nec non *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1735. *p.* 26. vbi Vita Cortesii, adiectaeque Obseruationes, DOMINICO MARIAE MANNI tribuuntur. De noua, vt videtur, editione, neque tamen vlla ratione immutata, euolue *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1756. *p.* 201. Vnum in Volumen redegit IOH. FICHARDVS, cuius nomen in Praefatione saltim adparet, *Vitas Virorum illustrium, qui superiore nostroque Saeculo* (i. e Saeculo XV. et XVI.) eruditione et doctrina memorabiles fuerunt. A variis scriptae sunt, potiorque pars ad Italos, reliqua ad Germanos et Anglos spectat. Prodiere *Francof. a.* 1536. *in 4.* et iam pridem rarescere coeperunt. Cf. VOGTII *Catal. libr. rarior.* v. Vitae, *p. m.* 713. vbi et prouocat ad BEYSCHLAGII *Syllogen Opusc. T. I. p.* 120. *sq.* et *p.* 927. Scriptores Virosque alios, Saeculo XVI. et XVII. ab *a.* 1543. vsque ad *a.* 1607. eruditione claros, qui singulis annis mortui fuerant, ad finem

 cuius-

cuiuslibet libri Hiſtoriarum adnectit, horumque Vitas breuiter, ſed adcurate, deſcribit IAC. AVG. THVANVS. Quae quum in magno Opere non ſine moleſtia conquirendae eſſent, ſeparatim excuſae ſunt *Francof. a.* 1636. *in* 4. hoc titulo: IAC. AVG. THVANI *Elogia Virorum*, *ſuperiore et noſtro Saeculo eruditione et doctrina illuſtrium atque memorabilium*, *quae Hiſtoriae ſuae inſeruit*. Eadem Elogia CLEMENTEM BERCKESDALE, Anglum, *Londini a.* 1640. et 1671. *in* 4. vno Volumine exhibuiſſe, docetur in *Biblioth. hiſtor. Hamburgenſi*, *Centur. II. p.* 39. En! ipſum titulum: *Monumenta litteraria*, *ſeu obitus et elogia doctorum Virorum*, *ex Elogiis* IAC. AVG. THVANI. *Opera C. B.* Poſtea GERARD. VON STÖKKEN edidit *Helmſt. a.* 1656. *in* 4. *Thuanum enucleatum*, cum praecipuarum rerum Indice, typis repetitum *ibid. a.* 1673. Nihil tamen mutatum, praeter errores typographicos, magno ſatis numero obuios in editione priori. Operis huius Pars II. homines, doctrina aut artibus claros, continet. Reliquae alia pertractant, ab inſtituto noſtro aliena. *Prima* enim Viros dignitate, natalium ſplendore, aut rebus geſtis illuſtres; *tertia* illaudatos, i. e. tales, qui fraudibus ſceleribusque innotuerunt; *quarta* variarum regionum, vrbium, inſularum, et gentium deſcriptiones; *quinta* Prodigia, aliasque res notatu dignas, vna cum Thuani Vita, complectitur. Ordo, quo Viros doctos diſpoſuit Stökkenius, alphabeticus eſt, et quidem ſecundum praenomina, more tunc temporis adhuc vſitato: Thuanus contra elegerat chronologicum. Hic ipſe autem ſummus Hiſtoricus vti in caeteris, ita in hoc etiam argumento ſimplicem plerumque et apertam veritatem ſequitur, parique candore laudat laude dignos, ac vituperandos vituperat. Quod eo ſane maiori fide praeſtare Thuanus poterat, quo magis ipſi explorata erat eruditorum hominum, qui eius aetate florebant,

bant, notitia, cum ex consuetudine vsuque, tum ex fama veri nuncia, publicisque monumentis petita. Praecipue animum Viri, a partium studio alienum, admirari debemus, si de iis loquatur, qui Lutheri nostri dogmata sunt amplexi, quod sane compluribus exemplis probari posset. Hoc vnum forsitan desiderandum in Auctore, quod nec annum, quo nati fuere eruditi, nec scripta, quibus inclaruere, memorare soleat. Cf. REIMMANNI *Catal. Biblioth. suae, Tomo II. p. 137. sq.* Post Stökkenium PETR. DV RYER partem dimidiam horum Elogiorum, vna cum ipsis Thuani Historiarum libris, Gallicam in linguam transferre conatus est, quae versio *Parisiis a.* 1659. *in f. Tomis III.* prodiit. Integram vero Elogiorum Collectionem, Gallice exhibitam, debemus ANTON. TEISSIERIO. Hic enim edidit *Les Eloges des Hommes savans, tirez de l' Histoire de Mr. de Thou, avec des Additions, contenant l' abregé de leur Vie, et le Iugement et le Catalogue de leurs Ouvrages.* Primum quidem, quum iam persequutionis Gallicae grauis tempestas propius immineret, quare et maturandum Opus Auctor credidit, dictus liber *Geneuae a.* 1683. *in 12. Voluminibus II.* excusus est. Quam editionem sequebatur mox altera, *Lugduni a.* 1686. diuulgata. Sed festinatio errores genuit, passim a BAELIO in *Dictionario historico et critico* notatos, qua de caussa multos in tertia editione, *Vltraiecti a.* 1696. *in 12.* adornata, ipse sustulit Auctor, eandemque plurimis nouis Obseruationibus locupletiorem reddidit. Accessit deinde nouum Additionum Volumen, *Berol. a.* 1704. quam tertiam Elogiorum Partem, longe maiori studio, ac priores, elaboratam esse, ipse profitetur Teissierius, quod satis otii ad eam componendam nactus fuisset. Adiunxit *Pithoeana*, seu memorabilia quaedam litteraria, ex ore Franc. Pithoei ex-

cepta, quae tamen non multa singularia continent. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1704. *p.* 461. sq. Optimam tandem editionem, eamque per complures Obseruationes nouas quarta Parte adauctam, *Lugd. Bat. a.* 1715. *in 8. Tomis IV.* cum Indice vniuersali accepimus. Quum propter breuitatis studium nec vitae cuiuslibet eruditi seriem ordine formatam, nec librorum editorum absolutum Catalogum pertexere Thuano licuisset, hoc ipsum praestare, conquisitis aliorum etiam de Viris doctis testimoniis, Teissierius enisus est, adeoque Elogia isthaec variis ornamentis pulchriora effecit. ADAMI tamen *Vitas* diligenter vsurpauit, neque de libris semper locum notauit, annum, formamque, qua exierunt in lucem. Versionem RYERI, quoad decurrit eadem, retinuit, sed passim emendatam. Iam enim satis notum est, Gallum hunc, ob res domi angustas, non eam vbique industriam adhibuisse in transferendis Latinis Operibus, quae ab adcurato interprete exspectari solet. Nec sine ratione suspectus est de linguae Latinae ignorantia. Cf. iterum de Teissierii Elogiis, (quae in *Lettres de Mr.* BAYLE *Tom. II. p.* 462. *edit. a.* 1729. adornatae recte vocantur *un Ouvrage curieux et considerable*,) *Acta Erud. Lat. anni* 1697. *p.* 90. et *anni* 1716. *p.* 513. *sq.* nec non *Iournal litterarie Tomi VII. Parte* 1. *artic.* 2. et *Parte* 2. *art.* 7. quo loco non nullae Recensentis Obseruationes leguntur. De omnibus fere Italis, saeculo XVI. et magna ex parte saeculo XVII. celebribus, egit IANVS NICIVS ERYTHRAEVS, seu, quod verum est nomen eius, IOH. VICTOR ROSSIVS, in *Pinacotheca imaginum illustrium doctrinae vel ingenii laude Virorum, qui Auctore superstite diem suum obierunt.* Tres harum Pinacothecarum exstant, et prima quidem ac secunda *a.* 1645. tertia *a.* 1648. *Coloniae Agrippinae in 8.* prodiit. Sunt, qui id in Belgio factum

esse

eſſe contendant, inter quos praecipue Morhofius reperitur. Nec his contradici forſitan poteſt. Certe bibliopola, impenſam faciens, Batauus fuit, qui in titulo libri Iodoci Kalcouii nomen adſumſit, ſub quo latere voluit IOH. BLAEV, nobilis apud Amſtaelodamenſes typographus. Imo Roſſius ipſe *Epiſt. ad diuerſos libro IX. epiſt. 3.* ſcribit, inſtare amicum quendam, vt tertiam Pinacothecam quam primum abſolueret, atque in Belgium mitteret. IOH. CHR. FISCHERVS in *Vita Erythraei*, Epiſtolis eius *a.* 1738. praefixa, vbi fuſius hac de re differit, et Coloniae Agrippinae nomen, ad captandum Pontificiorum fauorem, adiectum eſſe fraudulenter, docet. Nouam Pinacothecae editionem Lipſienſes *a.* 1692. et *a.* 1712. *in 8.* pararunt. Quarta tandem *Guelpherb. a.* 1729. *in 8.* ſucceſſit. Praeſtantiſſima tamen eſt Lipſienſis, annum 1692. praeferens, ob rerum Indicem, quo carent reliquae omnes. Neque concedit primae, ſi typorum chartaeque nitorem ſpectaueris. Iudicia eruditorum de Pinacotheca Erythraei diligenter collegit laudatus FISCHERVS *l. c. p.* 128. *ſq.* Videatur quoque CAMVSATVS in *iudiciis de quibusdam Elogiorum Scriptoribus*, praemiſſis, vt ſaepe iam dixi, CIACCONII *Bibliothecae p.* 29. *ſq.* Commendandum hoc Roſſii Opus eſt ob ſtili elegantiam, et ſingularia, quae ſaepius adfert. Chronologiae quidem rationem habet plane nullam, ideoque nec annos originis, nec, niſi rariſſime, mortis tempus indicare ſolet. Pro conſuetudine ſaeculi ſui notare quoque negligit, ſi ſcriptorum iniiciatur mentio, quo anno, qua forma, excuſa ſint. At mores eruditorum, ſtudendique rationem, candide depingit, vt intelligatur, quo quisque fuerit ingenio, quibus virtutibus vitiisque ab aliis ſeſe diſtinxerit. Qua de cauſſa inter elegantium formarum quaſi tabulas quorundam etiam imagines

interiecit, qui, ob praecipuam nec vulgarem animi deformitatem notissimi, deridiculo omnibus fuerunt. Vid. e. g. quae in descriptione Raph. Menicuccii, *Pinacoth. prima artic.* 160. occurrunt. Aegre id non nulli tulere, quoniam in titulo illustrium saltim doctrinae vel ingenii laude Virorum imagines promiserit Auctor. In his vero disponendis ad aetatem dignitatemue nullo modo respexit, sed eo singulas loco atque ordine collocauit, quo sese oculis eius primum obtulerunt. Hos denique in scenam a se produci tantum profitetur, qui ipsi vel amicitia iuncti, vel auditione ac fama noti fuerant, vnde adparet, plerosque apud exteros obscuros esse atque ignobiles. Nihilo tamen minus omnia non sine fructu ac voluptate leguntur. GVILIELMVS BVDAEVS, Medicus Halberstadiensis, animo quondam conceperat Θανατολογίαν *illustrium et clarorum Virorum*, qua dies eorundem emortuales, cum potiore Vitae parte, exprimeret. Hoc ex Opere, Prodromi loco, *Helmst. a.* 1604. *in 8.* publicauit Centuriam, saeculum XVI. exhibentem, quae deinde rarior facta IOH. MICH. HEINECCII et IOH. GE. LEVCKFELDII *Scriptorib. rer. German. Halberst. a.* 1707. *in f.* editis inserta fuit. Secundum annos progreditur Budaeus, et qui singulis mortui sunt Principes, Praesules, Comites, litterisque clari, exponit, paucissima vero de eorundem Vita profert. Exemplar Opusculi, ab ipso Auctore variis locis amplificatum, in manibus olim habuit REIMMANNVS, quod dolet ignotum fuisse Heineccio atque Leuckfeldio. Vid. eius *Einleit. in die Histor. litterariam*, *Parte I. p.* 447. De IOH. HENR. BOECLERI *Commentariis de rebus saeculi XVI.* vbi cuiuslibet etiam eruditi Vita breuiter memoratur, additis Scriptoribus, ex quibus plura cognosci queant, repete, si placet, dicta *Tomo I. p. 37. huius Bibliothecae.* CONR.

SAM.

SAM. SCHVRZFLEISCHII *Elogia Scriptorum illustrium, et multa eruditionis copia insignium, saeculi XVI. Vitemb. a.* 1729. *in 8.* emisit GODOFR. WAGNERVS, notissimus ille ac saepe ineptus multorum Schurzfleischianorum Collector. Excerpta sunt haec Elogia, in quibus pauca referenda ad Vitas, ex Viri summi Praelectionibus in Historiam litterariam, eademque praefert aliis Opusculis, Schurzfleischii nomine insignitis, REIMMANNVS in *Catal. Bibl. Tomo II. p. 480.* IOACH. FRID. FELLERVS *Monumentis ineditis, Ienae a.* 1714. *sq. in 4.* euulgatis, inseruit *Specimen Eponymologici critici*, siue iudicia varia, aliaque digna obseruatu, de claris quibusdam Scriptoribus saeculi XVI. et XVII. Vid. *ibidem Trimestre VII. p.* 395. et *X. p.* 537. *sq.* Eruditus Lector non nulla hic animaduertet, quae in Vitarum descriptionibus non sunt pro nihilo ducenda. Accedentibus ad aetatem proxime elapsam primo loco dicendum est de HENNINGI WITTEN. *Diario biographico, in quo Scriptores saeculi post N. C. XVII. praecipui* caet. *absque nationis, religionis et professionis discrimine, iuxta annum diemque cuiusuis emortualem, concise descripti magno adducuntur numero, libri itidem eorum, variis linguis consignati, Latio recensentur idiomate.* Tomus prior *Gedani a.* 1688. alter, mole longe inferior, *Rigae a.* 1691. *in 4.* prodiit. In hoc posteriori Tomo quaedam etiam primi emendantur et illustrantur: tertium, quem Auctor meditatus fuerat, edere non potuit, aliquot annis post morte suppressus. Laudat institutum THOMASIVS in *den Monatbs Gesprächen anni* 1688. *Parte II. p. 265. sq.* Interim negari nequit, plenum esse Opus hoc errorum, quod adcuratius REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae, T. II. p.* 144. sic exprimit: *Scriptores et scripta saepius in eo confusa. Annus et dies emortualis perperam adlatus. Natale solum, et vbi commode diuque*

vixerunt eruditi, non satis circumspecte indicatum. Monumenta etiam vilissima interdum enumerata, et optima praeterita. caet. Add. *Historia Bibliotb.* IOH. FABRICII, *P. V. p.* 389. *sq.* et HEVMANNVS in *Consp. Reip. litt. Cap. VII.* §. 4. *p. m.* 409. vbi monet, haud iustum indidisse Operi suo titulum Wittenium. Non enim reperiri in eo biographias, sed patriam cuiusque solum, munus publicum ac diem fatalem; rectiusque id nominandum fuisse *Diptycha litteraria*, quum diei cuiuscunque emortuali adiectum sit nomen cum scriptis. De IOH. CAPELLANI *Memoire de quelques gens de Lettres, vivans* 1662. *supra* §. *XVII.* non nihil protuli, hic non repetendum. Omnes fere sunt ex saeculo XVII. Gallique natione, si Laur. Begerum exceperis, quorum Vitas *Amstael. a.* 1709. *in* 12. *mai.* hoc titulo edidit CAROL. ANCILLONIVS: *Memoires concernant les Vies et les Ouvrages de plusieurs modernes, celebres dans la Republique des Lettres.* Tria saecula generatim complexus est, celebrioresque Germaniae eruditos, qui intra hoc temporis spatium vixerunt, eleganter delineauit V. C. IACOBVS BRVCKERVS. Loquor de eiusdem *Ehren-Tempel der deutschen Gelehrsamkeit, in welchem die Bildnisse gelehrter Männer unter den Deutschen, aus dem XV. XVI. und XVII. Jahrhundert, aufgestellet, und ihre Geschichte, Verdienste und Merckwürdigkeiten entworffen sind.* Prostant Decades V. prima *a.* 1747. postrema *a.* 1749. *in* 4. *mai. Augustae Vind.* excusa. Imagines debentur IOH. IAC. HAIDIO, Pictori et Chalcographo eximio. Plura de insigni Opere adderem, nisi in mentem rediret, postquam haec scripseram, supra *Capitis huius* §. *XII.* id a me factum fuisse, vbi simul actum de ADAMO, WITTENIO, et aliis, qui iure pariter hic locum habent. Nuperrime huius generis libros auxit

Icono-

Iconographie, ou Vies des hommes illustres du XVII. Siécle, écrites par M. V. avec les Portraits peints par le fameux Ant. van Dyck, *et gravés sous sa direction. Amstael. a.* 1758. *in f.* Tomus I. Principibus, Comitibus, Ducibus bellicis, Viris eruditis consecratus est: Tomus autem II. Pictoribus, Sculptoribus, Architectis, caet. Vitae pulchri Operis adcuratae sunt, et multis refertae memorabilibus. Hac nostra aetate non pauci vestigia antecedentium laudabiliter sunt persequuti. Secundum annos conseruandam suscepit litteratorum hominum memoriam CHRISTIAN. GRVNDMANNVS, cuius *Vrnae quorundam in Republica litteraria pariter ac ciuili a.* 1713. 1714. et 1715. *defunctorum* partem faciunt in *Miscellaneorum Lipsiensium Petzold.* Tomo I. et sequentibus vsque ad VIII. Solus Tomus VI. harum Vrnarum nihil exhibet. Adiecit libello singulari *Lips. a.* 1717. *in 8. Ossa et cineres quorundam in Republica Orbis Europaei, tum ciuili, tum in primis litteraria, anno* 1716. *defunctorum.* Post mortem Auctoris CHRISTIAN. EBERHARDTVS *ibidem a.* 1718. *ead. forma* ex eiusdem schedis eruit ac diuulgauit *Ossa et cineres anno* 1717. *defunctorum, cum Supplementis et Additamentis ad libellum priorem.* Vsus est Grundmannus methodo fere Witteniana, sed adcuratius vtique, ac passim copiosius, partes peregit suas, eaque de caussa maiori omnino iure referri inter Biographos meretur. De LEPORINI *Vitis eruditorum,* Germanice exaratis, vid. supra *§. XII. Anno* 1735. venerabilis Vir, GABR. GVIL. GOETTENIVS, nunc in aula Hanouerana Theologus spectatissimus, *Brunsuigae in 8.* luci exposuit *das ietztlebende gelehrte Europa, oder Nachrichten von den vornehmsten Lebensumständen und Schriften ietztlebender Europäischer Gelehrten.* Magna is industria collegit, stiloque facili et expedito descripsit complu-

res in cultiori Europa Viros eruditos, Vitisque singulis cuiusuis monumenta ingenii, siue edita, siue nondum excusa, subiecit. Mirifico statim labor iste plausu est exceptus, quod mouit Auctorem, vt *anno sequenti* Partem secundam ex museo suo emitteret. Tertia Pars, *Cellis Luneburg. a.* 1740. absoluta, in quatuor diuisa est Sectiones, quarum prior saltim a Goettenio, nec tamen tota, fuit profecta. Grauioribus enim obrutus negotiis lampada tradidit V. C. ERN. LVDOV. RATHLEFIO, qui non solum reliquas addidit Sectiones, verum etiam ipse incepit *Geschichte ietztlebender Gelehrten, als eine Fortsetzung des Gelehrten Europa.* Pars I. *ibid. eodemque anno* prodiit: quarta, quae Volumen II. explet, *a.* 1742. Perrexit ita strenue vsque ad Partem octauam, seu Volumen quartum, quo *anno* 1744. edito, litterarium huncce laborem continuandum reliquit IOH. CHRISTOPH. STRODTMANNO, tunc Haarburgensis, post Osnabrugensis Lycei Rectori. Confecit is Volumen quintum sextumque, seu Partem nonam vsque ad duodecimam, cui duplicem Indicem, cum geographicum, tum alphabeticum, subtexuit. Librariorum deinde mutatio nouos Operi iucundo titulos imposuit. Successerunt enim *anno* 1748. *Hamburgi in 8. Beyträge zur Historie der Gelahrtheit, worinnen die Geschichte der Gelehrten unserer Zeiten beschrieben werden,* quarum Symbolarum Partes quinque habemus, in Volumina II. commode coniiciendas. Indices inserti demum fuere *Parti III. des Neuen gel. Europa.* Abstinere quidem ab hoc negotio videbatur Strodtmannus, legentesque Praefationem, Parti priori praefixam, credere omnino possent, aliis curam eiusdem fuisse demandatam. Sed ex Parte quinta, huiusque Praefatione, luculenter patet, ista deberi etiam ipsius calamo, ac certas ob caussas latere per breue temporis spatium voluisse

voluisse Virum doctum. Tum idem exhibuit *Guelpherb. a.* 1752. *sq. das Neue gelehrte Europa.* Partes quatuor iustae magnitudinis Volumen implent. Altero autem finito, STRODTMANNVS mense Aprili 1756. e vita discessit. Itaque Vir clarissimus, FERDINANDVS STOSCHIVS, qui iam antea societatem cum defuncto inierat, Indicem non tantum alphabeticum, vtrique Volumini adcommodatum, subiecit, sed etiam solus coeptam telam pertexere nunc studet. Haud ita pridem decimam et quartam accepimus Partem, Voluminis IV. secundam. Omnes Historiae litterariae cultores longissimam instituti vtilissimi continuationem optant. Permulti enim nostrae aetatis eruditi, de quorum fatis altum erat silentium, adcuratius exinde cognoscuntur, vna cum scriptis, quibus nominis sui memoriam propagarunt. Additamenta noua, quae ab exordio statim Operis totius accesserunt, partimque ad Vitas, iam descriptas, partim ad Academias, Gymnasia, Societates litterarias, caet. pertinent, displicebunt nemini, quocunque is animo id ipsum peruolutauerit. Verbum adhuc dicendum de *Pinacotheca Scriptorum, nostra aetate litteris illustrium, vbi exhibentur Auctorum, eruditionis laude scriptisque celeberrimorum, qui hodie viuunt, imagines et Elogia.* Vitas, scripta, litterarum merita, recensuit saepius laudatus BRVCKERVS: imagines ad archetypa adcurate expressit HAIDIVS. Pulchrum hoc Opus, *Augustae Vindel. anno* 1741. *in fol. mai.* inchoatum, Latineque ac Germanice, vt et illitteratis prodesset, excusum, decem Decades complectitur, quarum postrema *anno* 1755. prodiit. Plures non sunt exspectandae. Ex quatuor, vt vocantur vulgo, Facultatibus, non obseruato nationum sacrorumue discrimine, selectissimae hic doctrinae homines conspiciuntur. Imaginibus, artis, quam Melano-

Melano-chalcographiam adpellare ſolemus, auxilio in aes inſculptis, adiunctae ſunt Biographiae et Elogia, iucunda quidem breuitate, tanta tamen cura ex monumentis fide digniſſimis concinnata, vt nihil facile memorabile, et intelligendis ſummorum Virorum meritis aptum, omittatur. Plura vid. in *Actis Erudit. Latin. a.* 1743. *p. 216. ſq.* Conf. etiam *die Leipz. gel. Zeitung. anni* 1750. *p. 892.* item *anni* 1741. *p. 429.*

§. XLII.

His peractis nec ii ſunt praeteruehendi, qui Biographias ſingulares, easdemque magni momenti, vel qui ſuam ipſi vitam, diuulgarunt. Prioris generis non pauci libri nominari queunt. Varios iam paſſim protuli, quibus addere placet quosdam, et hos quidem ſine controuerſia praeſtantiſſimos. Inter tales referenda IOACH. CAMERARII de *Phil. Melanchthonis ortu, totius vitae curriculo et morte, implicata rerum memorabilium temporis illius hominumque mentione atque indicio, cum expoſitionis ſerie cohaerentium, Narratio.* Lucem primam vidit *Lipſ. a.* 1566. *in 8. in officin. Voegeliniana*, quae rara eſt editio, et caeteris emendatior; *ibidem*que recuſa eſt *anno* 1591. et 1696. *ead. forma*, cum *Vita Georgii, Principis Anhaltini*, et *Helii Eobani Heſſi;* nec non *Hagae Com. a.* 1655. *in 12.* Haec Vita exempli loco proponitur vulgo Biographis. Neque immerito. Mirum tamen, quod Camerarius annum Philippi natalem ſilentio praeterierit, Catalogumque ſcriptorum, ab eo confectorum, neglexerit, nec occaſionem, qua prodierint, memorauerit, quum in rebus vel minimis, veluti ſomniis, praeſagiis, oſtentis attingendis induſtria ſumma conſpiciatur. Multis etiam diſplicet genus dicendi paſſim declamatorium, inordinatum atque incompoſitum. Cf.

Sum-

Summarische Nachrichten von auserlesenen Büchern der Thomasischen Bibliothec, Vol. II. p. 54. sq. vbi ampla et adcurata libri recensio exstat. Succedat AVBERTI MIRAEI *Vita Iusti Lipsii, sapientiae et litterarum Antistitis, ex scriptis illius potissimum concinata.* Edita fuit *Antwerp. a.* 1609. *in* 8. deinde praemissa LIPSII *Operibus in f.* tandem inserta quoque ROLLII *Memoriis Philosophorum, Decade II. p.* 73. *sq.* Elegantissima est PETRI GASSENDI *Vita Nicol. Claudii Fabricii de Peiresc, Paris. a.* 1641. *in* 4. *Hag. Com.* 1651. *in* 12. *ibidem*que ex edit. tertia *a.* 1655. *in* 4. In Germania, et quidem *Quedlinburgi*, recusa est *anno* 1706. *in* 8. Pars tamen altera, a libro quinto, accessit demum biennio post. Reperitur quoque in *Tomo V. Operum Gassendianorum.* Omnis labor constat ex libris sex, qui multa exhibent singularia, ad rem litterariam, antiquitates, nummos illustrandos, disciplinas mathematicas et philosophicas, variaque philologici argumenti spectantia. Falluntur autem, qui Vitam hanc talem esse arbitrantur, quales pleraeque sunt. Historia potius litteraria decem est, et quod excedit, lustrorum. Complura enim ad studiorum florem amplificandum contulit Peirescius, primus fere ac praecipuus inter litteratores Gallos suae aetatis adpellandus. Cf. REIMMANNVS in *Catal. Bibl. T. II. p.* 646. quo loco vberius de libro hoc, eiusque editione Quedlinburgensi, infinitis mendis typographicis inquinata, disseruit Vir doctus. ALBERTI RVBENII *de Vita Flau. Mallii Theodori*, Consulis quondam Romani, Dissertatio, cura IOH. GE. GRAEVII, *Vltrai. a.* 1694. *in* 12. publicata, ob insignem raritatem et elegantiam *Lipsiae a.* 1754. *in* 8. FRID. PLATNERI V. C. beneficio recusa est cum breui eius, at satyrica, Praefatione *de his, qui litterarum principatum adfectant.* De *Casp. Sagittarii Vita et scriptis* Commentarios habe-

habemus IOH. ANDR. SCHMIDII, editos *Ienae ann.* 1713. *in* 8. ſed admodum mendoſe. Auctor ſequi Vitae Peireſcianae Scriptorem ſtuduit, cauit vero, ne tot aliena immiſceret, quot Gaſſendus attulit pro inſtituti ſui ratione. De *Vlrico Hutteno*, Equite celeberrimo, ſimulque de Hiſtoria cum litteraria tum eccleſiaſtica ſaeculi XVI, praeclare meritus fuit IACOB. BVRCKHARDVS. Commentarius eius, Vitam ſummi hominis continens, Partes implet tres, primaque et altera *Guelpherb. anno* 1717. tertia *a.* 1723. *in* 8. prodiit. Analecta ad hanc ipſam Vitam poſtea dedit idem in *Analectis ad Commentarium de Vita ſua, Hal.* 1749. *p.* 37. *ſq.* Plauſu excepta eſt haec Hutteniana Hiſtoria non mediocri: quidam exiſtimarunt ſaltim, melius Auctorem conſulere Lectoribus potuiſſe, ſi in certa Capita diſtribuiſſet Opus, et Capiti cuique praeſcripſiſſet argumenta. Verum reſpondit ad haec in *Vita ſua Cap. III. p.* 126. eaque occaſione meminit obiurgationum et conuiciorum, quae in *Hutteno delaruato* euomuerat IOH. NICOL. WEISLINGERVS. Antiquae Romae Ictus omnium maximus, *Aemil. Papinianus*, eleganti EVER. OTTONIS penicillo adcuratiſſime delineatus fuit in *Papiniano, ſeu de Vita, ſtudiis, ſcriptis, honoribus et morte Papiniani, Diatriba*, primum *L. B. a.* 1718. deinde longe auctius et emendatius *Bremae a.* 1743. *in* 8. cum aliquot Iconibus exhibita. Magni ſemper feci Ottonis in Iurisprudentiam humaniorem merita, ideoque ſolidam eſſe credo MAIANSII ſententiam *Epiſtol. lib. V. p. m.* 278. vbi, *optandum eſt*, ait, *vt ita ſcribantur Ictorum Vitae. Nihil in hoc genere praeſtantius editum eſt. Ea fuit Ottonis in hoc libello diligentia et eruditio.* Neque tamen negare auſim, quae mox ſubiunxit: *Quamquam, vt diligentiae laudem conſequatur, aliquando nimis a propoſito aberrare ſolet.* Eiusdem huc pertinet *de Vita,*

ſtudiis

ſtudiis, ſcriptis et honoribus Seruii Sulpicii liber ſingularis, itemque *P. Alfenus Varus, ab iniuriis veterum et recentiorum liberatus;* quae bina Opuſcula, in *Theſauro Iur. Rom. Tomo V.* obuia, recuſa ſunt *Vltraiecti a.* 1737. *in* 8. *mai.* Ex editis pariter ineditisque monumentis *Dauidis Chytraei*, Theologi pereximii, Vitam ita concinnauit OTTO FRID. SCHVTZIVS, vt ea ſit annalium inſtar et Supplementorum Hiſtoriae eccleſiaſticae ſaeculi XVI. ſpeciatim vero rerum in Lutheranorum coetu et Academia Roſtochienſi geſtarum. Quatuor libros complectitur haec ipſa *Vita*, qui excuſi *Hamburgi* fuerunt *a.* 1720. vsque ad *annum* 1728. *in* 8. et facile poſſunt in Volumina II. redigi. Simili fere modo ERDMANN. RVDOLPH. FISCHERVS elaborauit *Vitam Ioh. Gerhardi, Lipſ. a.* 1723. *in* 8. diuulgatam. Probauit omnia illuſtrauitque certis documentis, magna ex parte anteà anecdotis, quae in inſtructiſſima Bibliotheca Gothana conſeruantur, praetereaque operam dedit, vt Hiſtoria eccleſiaſtica, eius, qua Gerhardus floruit, aetatis noua exinde ornamenta acciperet. *Nicodemum Friſchlinum, vita, fama, ſcriptis ac vitae exitu memorabilem*, CAROL. HENR. LANGIVS *Ienae a.* 1725. produxit, poſteaque libellum, multis obſeruationibus locupletatum, cum Praef. IOH. LAVR. MOSHEMII, *Brunſuigae et Lipſ. a.* 1727. *in* 4. magis reddidit parabilem. Rectiſſime de hoc Opuſculo laudatiſſimus MOSHEMIVS *l. c.* ſcripſit: *Quae ad huncce virum, eiusque virtutes, vitia, mores, labores, fata, ſtudia pertinent, non modo magno labore ex ipſis Friſchlini magnam partem operibus collegit, verum etiam iuſto, apto et concinno ordine diſpoſuit. Scribendi genus planum, apertum, et ad omnium intelligentiam comparatum eſt: rerum autem ac teſtimoniorum is, quod video, delectus eſt habitus, vt amoenitas*

vtili-

vtilitati semper adiuncta sit, nihilque receptum, quod satietatem et fastidium afferre Lectori queat. In tria Capita diuisit Langius Opusculum suum, primo vitam, famam vitaeque exitum: altero mores, ingenii dotes, obtrectatores et amicos: tertio libros, quos edidit, aut edere constituit homo doctus, at, propter imprudentiam, infelicissimus, ex optimis litterarum subsidiis commemorans. Idem Auctor *Lubecae a.* 1741. *in 8.* typis imprimendam curauit *Vitam Laurent. Rhodomanni*, vbi simul merita eius in eruditionem, Graecam cum primis, ex ipsius Rhodomanni scriptis, aliisque monumentis fide dignissimis, recensentur. Ita quidem suis Langius functus est partibus, vt nemo plus ab eo desiderare potuerit. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1741. *p. 665. sq.* Anonymo scriptore, quem esse KNAVTHIVM, Bibliothecae Academicae Wittebergensi quondam praefectum, indicatur in *Catalogo Biblioth. Rinckianae p. 889.* e typographia quadam Lipsiensi, non, vt mentitur titulus, *Delphis Batauorum anno* 1727. *in 8. mai. Partibus II.* nitide prodierunt *Hugonis Grotii, Belgarum Phoenicis, manes, ab iniquis obtrectationibus vindicati.* Accedit scriptorum eius, tum editorum, tum ineditorum, conspectus triplex, et Index rerum, verborum, scriptorumque vberrimus. Non autem Auctor solum potiora vitae Grotianae exponit scitissime, verum caussam quoque summi hominis strenue agit, vbi vel aduersae fortunae vehementia, vel maleuolorum prauitas, tantum non opprimere insontem tentauit. Qua occasione complura interseruntur ex eius aetatis, qua Grotius vixit, Annalibus, digna vtique attento Lectoris animo. Laudem quoque non vulgarem meretur LEVESQVE DE BURIGNY *Vie de H. Grotius, avec l'histoire de ses Ouvrages, et des négociations, aux quelles il fut employé, à Paris a.* 1752. *in 12. Vol. II.* et ex emendatiori

Editio-

editione *Amstael. a.* 1754. ad quam versio Germanica *Lipſ. a.* 1755. *in* 8. adornata est, nouis quibusdam Obseruationibus instructa. Praecipua libri dos est expositio de Grotii negotiis publicis, eiusque de rebus diuinis opinione. *Historiam Mich. Serueti*, ductu MOSHEMII, in formam Dissertationis Academicae redegit, et *Helmst. a.* 1727. *in* 4. exhibuit HENR. AB ALLWÖRDEN. Nouis deinde amplissimisque subsidiis ad Moshemii manus delatis, ipse hominis huius peruersi Vitam longe adcuratius atque vberius descripsit in *dem anderweitigen Versuch einer vollständigen und unpartheyischen Ketzergeschichte, ibid. a.* 1748. *in* 4. *mai.* quem librum egregium sequebantur *a.* 1750. *ead. forma Neue Nachrichten von Mich. Serueto.* Inter optimos porro Biographos referendus PETR. DES MAIZEAVX, maxime propter *Petri Baelii Vitam*, Gallico sermone concinnatam. Praemissa fuit editioni Belgicae Dictionarii Baeliani, annum 1730. prae se ferenti, sequentibus item editionibus, separatimque *Hagae Comit. a.* 1732. *in* 12. *Tomis II.* et a IOH. PETRO KÖHLIO Germanice reddita *Hamb. a.* 1731. *in* 8. prodiit. Selectissimus rerum memorabilium adparatus, summa ab Auctore industria collectus, commendat hosce Commentarios. Postea tamen varia emendauit suppleuitque IAC. GE. DE CHAVFEPIE' in Tomo I. *du nouveau Dictionaire hist. et critique pour servir de Supplement au Dictionaire de Mr. Bayle, p.* 131. *seq.* REIMMANNVS *Catal. Bibl. Tomo II. p.* 639. id vnice Maizaeo vitio vertit, quod Baelium ab ea tantum delinearit parte, qua valet, et quasi celer est pedibus: non autem ab ea, qua claudicat, omniaque eius portenta theologica et philosophica vel sicco pede praeterierit, vel extremis modo digitis contrectarit. De eiusdem *Vie de Mr. Boileau Amstael.* 1712. *in* 12. Collectores *Actor. Erud. Lat.*

anni 1713. *p.* 55. *sq.* copiosissime differunt. Bini libri, quos elegans FRID. OTT. MENCKENII peperit ingenium, et alter quidem *de vita, moribus, scriptis meritisque Hieron. Fracastorii, Veronensis, Lips. a.* 1731. *in* 4. alter, grande implens Volumen, *Historia Vitae inque litteras meritorum Angeli Politiani, ortu Ambrogini*, inscriptum, *ibidem* 1736. *ead. forma* diuulgatus, satis omnino comprobant, quantum valuerit in hoc scribendi genere Vir praestantissimus, cuius gratum erit ac venerabile posteritati nomen. Simili modo comparata est *Memoria vitae ac meritorum Viti Ludov. a Seckendorf, ex documentis editis ineditisque studiose collecta, et publici iuris facta a* DAN. GODOFR. SCHREBERO. Commentatio haec, *Lips. a.* 1734. *in* 4. Auctoris impensa edita, duas continet Partes, quarum prior vitam ac virtutes, posterior merita Seckendorfii in rem litterariam exponit; peractumque id est non puro tantum perspicuoque stilo, verum etiam candore ac prudentia singulari. In eadem classe locum sibi vindicat HERM. SAM. REIMARI *de Vita et scriptis Ioh. Alb. Fabricii Commentarius, Hamb.* 1737. *in* 8. excusus. Dignissimus Fabricio gener *Cap. primo* vitam eius, *Cap. secundo* scripta Viri doctissimi, *tertio* autem argumenta historico-critica ex Epistolis clarorum Virorum ad Fabricium recensuit, atque id tanta egit fide ac doctrina, vt ab homine honesto, floremque litterarum curae habente, exspectari solet. *De Vita, fatis ac meritis Philippi Camerarii* IOH. GE. SCHELHORNIVS librum singularem, *Norimb. a.* 1740. *in* 4. emissum, pulcherrime composuit, adiecitque, praeter Excerpta ex Epistolis Virorum celebrium ad ipsum exaratis, Relationem eius antea non editam de captiuitate sua Romana, ac liberatione fere miraculosa. Ioh. Guil. Hoffmannum, illustrem Ictum et Historicum Wittebergensem, si

noscere

noſcere velis totum, age! legas *Vitam illius*, a GOTTLOB FRID. GVDIO *Lipſ. a.* 1742. *in* 4. cum Viri tanti effigie exhibitam. Enarrantur hic tribus Capitibus natales, educatio, ſtudia, mores et obitus; munera dignitatesque; ſcripta tandem Hoffmanni partim edita, partim inchoata ſaltim, adnexis eruditorum de prioribus iudiciis. Accedunt Orationes quaedam Hoffmannianae, inter quas inauguralis *de ſtudii hiſtorici impedimentis* primum eſt in lucem conſpectumque prolata. Inter exempla Vitarum, optime compoſitarum, locum quoque meretur GROSLEII *Vie de Pierre Pithou, avec quelques memoires ſur ſon Pere, et ſes Freres. Pariſ. a.* 1756. *in* 12. *mai. Tomis II.* Quae *de Vita et ſcriptis Ioh. Petri de Ludewig*, Cancellarii quondam Ducatus Magdeburgici et Academiae Halenſis, dicenda erant, ea polito ſtilo FRID. WIDEBVRGIVS tradidit, et ab hac potiſſimum parte Virum abundantem doctrina contemplatus eſt, vnde litteris ac Germaniae commendatiſſima eſſe debet eiusdem memoria. Vellem tamen, vt Auctor candide notaſſet etiam naeuos *Ludewigii*, paucis ignotos, quo pertinet e. g. nimia arrogantia, ingeniique ac rerum omnium oſtentatio. Prodiit Commentarius Wideburgianus *Halae a.* 1757. *in* 8. Agmen claudat liber, et elegantia dictionis et pertractatione argumenti excellens, quem *de Auguſtino Olomucenſi, et patera eius aurea, in Nummophylacio Sereniſſ. Principis Reg. Elect. Dresdae adſeruata, Lipſ. a.* 1758. *in* 8. edidit Vir celeberrimus, mihique antiqua familiaritate coniunctiſſimus, IOH. GOTTL. BOEHMIVS. Quo pauciora cognita fuerunt antea de homine illo, iam ſeneſcente ſaeculo quinto ac decimo, eruditionis laude celebratiſſimo, cuius ne quidem in *Lexico Ioecheriano* eſt mentio iniecta: eo ſane iucundius legere, quae de patria, genere, ſtudiis, dignitate ac muneribus publicis, patronis, ami-

 cis,

cis, obitu, Bibliotheca item ſcriptisque *Auguſtini Olomucenſis* ex fide digniſſimis monumentis conquiſiuit, apteque digeſſit BOEHMIVS meus. Plures Biographias praeſtantiores non addam, quamquam id nullo fieri negotio poſſet. Vltimo ſaltim loco exempla illorum proferre liceat, qui ſuam ipſi vitam expoſuerunt. Belle de his loquitur TACITVS in *Vita Agricolae cap. I. Plerique*, ait, *ſuam ipſi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit: adeo virtutes iisdem temporibus optime aeſtimantur, quibus facillime gignuntur.* Nolumus iam adſcendere ad Imperatores, Caeſarem, Auguſtum, Tiberium, Claudium, M. Aurelium, Seuerum, Maximilianum I. et Carolum V. quorum vnusquisque vitae ſuae acta litteris conſignauit, vt alios, qui idem fecerunt, Principes taceamus: eruditos tantum Viros, quorum de Vita ſua Commentarii exſtant, ante oculos habeamus, argumenti propoſiti cauſſa neceſſe eſt. Horum vero in numero primum collocandus AVREL. AVGVSTINVS, Hipponenſis in Africa Epiſcopus, qui miram exhibet in *Confeſſionum libris XIII.* Vitae ſuae deſcriptionem, anno Chriſti quadringenteſimo exaratam, plenamque ſaluberrimarum adhortationum. Non eſt tamen integra, quoniam diu poſt floruit adhuc Pater ille antiquae Eccleſiae. Idem in *Retractationum libris II.* Operum ſuorum hiſtoriam reliquit, vbi, qua occaſione ſingula condiderit, notat, argumenta refert, obſcuriora illuſtrat, erroresque corrigit. Apud MASSONVM *Elogior. Tomo II. p.* 82. Confeſſionum lectione a ſacrarum litterarum contemtu reuocatum eſſe legimus FRANC. PETRARCHAM, qui ſtudiorum humaniorum inſtaurator quondam inſignis ſcripſit etiam ad poſteritatem *de origine, vita, conuerſatione, et ſtudiorum ſuorum*

rum

rum succeſſu Epiſtolam, Operibus eius inſertam, editamque ſeparatim, cum Teſtamento ipſius, *Rudolſtadii a.* 1711. *in 8.* cura IOH. HENR. ACKERI. De huius autem, quae acceſſerunt libello, notis REIMMANNVS *Catal. Biblioth. Tomo II. p. 643.* parum honorifice ſentit. Poſtea vitae ſuae rationem, temporumque, in quae eius incidit aetas, conditionem luculenter expoſuit VLRIC. HVTTENVS in *Epiſtola ad Pirckheimerum*, *Aug. Vindel. anno* 1518. *in 4.* excuſa, vti clare patet ex IOH. BVRCH. MENCKENII *Bibliotheca p.* 18. *edit. ſec.* Ignorauit hanc editionem NICERONIVS; alias non dixiſſet *Vitarum ſuarum Parte XI. p. 303. verſionis Germ.* Epiſtolam Hutteni, *Diſcurſibus epiſtolaribus politico-theologicis de ſtatu Reipublicae Chriſtianae degenerantis* inſertam, primum prodiiſſe *Francof. a.* 1610. *in* 4. Eadem exſtat quoque in BVRCKHARDI *Comment. de Vita Hutteni Parte I.* notis ipſius locupletata. GEORGII BVCHANANI *Vita*, manu eius perſcripta biennio ante mortem, *Poematibus* docti huius Scoti praemiſſa eſt, itemque *Operibus* illius omnibus, *Edinburgi a.* 1715. *in f. Tomis II.* productis, quo ſimul loco notae ac ſupplementa conſpiciuntur THOMAE RVDDIMANNI, Editoris. Rarior eſt hodie CASP. PEVCERI *Hiſtoria Carcerum et liberationis diuinae*, a CHRISTOPH. PEZELIO *Tiguri a.* 1605. *in* 8. euulgata, vbi de vita ſua, fatiſque triſtioribus, ipſe Peucerus egit. Communis eſt eruditorum opinio, IAC. AVG. THVANVM notiſſimos confeciſſe *de Vita ſua* Commentarios, qui ab anno 1553. quo natus fuerat, vsque ad a. 1601, ob mortem vxoris ipſi luctuoſum, excurrunt, libroſque ſex complectuntur. Primam viderunt lucem cum Aureliana, vel Geneuenſi, Operis hiſtorici editione *a.* 1620. poſteaque ſaepius vel praefixi, vel ſubiecti eidem fuerunt. Gallice, *Memoires de la Vie de* IACQV. AVG. DE THOV, *traduits du*

 Latin

Latin en François inscripti, prodiere *Roterod. a.* 1711. *in* 4. *mai.* iterumque, Iconibus additis, *Amstael. a.* 1713. *in* 12. auctore DIFSIO. Sed hanc ipsam opinionem, iam inueteratam, infringere studuit NICERONIVS *Parte X. p. m.* 207. *sq. in Vita Thuani*, Commentarios illos a Petro Puteano et Nic. Rigaltio esse profectos existimans. Confirmat id loco quodam, ex libri V. fine depromto: nec ausim ego refragari admodum Barnabitae. At quid obstat, quaeso, quo minus adseratur, Thuanum vtique litteris Vitam suam consignasse, schedas autem has post mortem Auctoris a Puteano, vel a Rigaltio, redactas in ordinem, lacunasque alicubi expletas fuisse? Pleraque sane deberi magno Viro, nemo facile negauerit: primum enim scribendi genus; tum libri prioris exordium id satis, ni fallor, indicat, vbi haec: *Natus Thuanus Lutetiae Parisiorum - - in aedibus auitis, quas nunc habitat;* ad extremum et hoc est perpendendum, quod aliena manus haud dubie subtexuisset, quae desunt ab anno 1602. vsque ad annum 1617, quo diem supremum obierat Thuanus. Mira ingenuitate compositus est HIERON. CARDANI *de Vita propria* liber, ex GABR. NAVDAEI Bibliotheca *Parisiis a.* 1643. *in* 8. diuulgatus, recususque non solum *Amstael. a.* 1654. *in* 12. verum in eiusdem *Operibus* etiam, *Lugduni a.* 1663. *in fol.* Tomos X. implentibus. Non frequenter haecce Vita occurrit, in qua Auctor multa inepta de se atque stulta professus est. Idem NAVDAEVS *Paris. a.* 1642. *in* 8. edidit THOMAE CAMPANELLAE *de libris propriis et recta ratione studendi Syntagma*, fidem faciens Lectoribus, horis subseciuis libellum sibi a Campanella fuisse dictatum. Prodiit iterum, cum HVG. GROTII et aliorum *de studiis instituendis Dissertationibus*, *Amst. a.* 1645. *in* 12. et in CRENII *Tractat. de Philologia*,

L. B.

L. B. 1696. *in* 4. Recenfet eundem copiofe HEVMANN. *Act. Phil. Vol. I. p.* 545. *fq.* quo ex loco cognofcitur, non pauca fingularia de vita fua inferuiffe, hac occafione, Auctorem. Succedat PETRI DAN. HVETII *Comment. de rebus adeum pertinentibus*, *Amft. a.* 1718. *in* 12. et *Lipf. a.* 1719. *in* 4. cum *Quaeftionibus* eius *Alnetanis*. Proximus nonagenario vitae fuae hiftoriam fcripfit celeberrimus Epifcopus, vnde factum, vt non ea vbique diligentia, non is ordo eluceat, quo caeteri eius libri fefe commendant. Interim ftilo polito complura profert lectu digniffima: et quoties eruditorum, quibuscum aliqua ipfi familiaritas intercefferat, fit mentio, indolem illorum viuis depingit coloribus. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1719. *p.* 53. *fq.* et REIMMANNI *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 179. qui et paullo ante, *p.* 177. fcilicet, memorat IOH. GVIL. PETERSEN, Superintendentis quondam Luneburgenfis, *eigene Lebensbefchreibung*, quod fcriptum fcio *anno* 1719. *in* 8. iterum typis impreffum effe. REIMMANNVS *l. c.* his de eodem verbis differit: *Digna Vita, quae adcurate et ftudiofe lectitetur, tum ob arcana hiftorica, quae in ea percenfentur de Viris doctis noftri temporis, eorumque fingularibus hypothefibus, controuerfiis, libris editis, ineditis, laudibusque et maculis; tum ob noua Syftemata theologica, quae Auctor condidit, et quorum primas lineas fimul in hac fua Biographia defcripfit, Chiliafticum puta, Apocatafticum, et Prototocofticum; quibus, dici non poteft, quos motus exeitauerit noftra tempeftate in Ecclefia. Vir doctus fane, et pius et modeftus, fed credulus nimium, et fuperftitiofus, et nouarum rerum cupidus. Adde, et fui ipfius amator nimius. Siquidem hae praecipue in hoc Opufculo funt maculae, quod Auctor in eo fe laudauit nimium, et eos, quos habuit, aduerfarios intemperantius infectatus eft.* Varias quo-

que ob cauſſas peruolutari meretur ADAMI BERNDII, notiſſimi Theologi Lipſienſis, *eigene Lebensbeſchreibung, ſammt einer aufrichtigen Entdeckung und deutlichen Beſchreibung einer der gröſten, obwohl groſſen theils noch unbekannten, Leibes - und Gemüthsplage,* caet. *Lipſ.* 1738. *in 8.* Acceſſerunt deinde eiusdem *Vrſachen, warum derſelbe ſeine Lebensbeſchreibung nicht fort zu ſetzen geſonnen*, in *der Abhandlung vom höchſten Vebel des Menſchen*, *ibid.* 1745. *in 8.* Non omnia placent in hac Vita, eruntque plures, qui paſſim prudentiam deſiderent. Laudandus tamen veritatis amor, quo Auctor incenſus vitia ſua detegere non erubuit. Raro quidem exemplo. Plerorumque enim, qui de ſe ipſi ſcribunt, haec eſſe conſuetudo ſolet, vt immodice immodeſteque glorientur, ſi quid eſt laudandum: et praetereant, ſi quid reprehendendum eſt, quae CICERONIS ſunt verba *ad Famil. lib. V. epiſt. 12.* Non cadit eiusmodi culpa in IAC. FR. REIMMANNVM, cuius *eigene Lebensbeſchreibung, oder hiſtoriſche Nachricht von ſich ſelbſt*, FRID. HENR. THENNII cura *Brunſuigae a.* 1745. *in 8.* diuulgata eſt. Exemplo eſſe queunt litterarum ſtudioſis, iisque preſſis paupertate, quae de ſe candide diſſerit Auctor. Nec reticet idem, de libris ſuis quid ſentiat, aliisque rebus, quae ipſum attingunt. Eodem *anno* 1745. ac *ſequenti Florent. in 4. Vol. II.* lucem adſpexere ANTON. MARIAE GRATIANI *de Scriptis inuita Minerua libri XX.* vbi Auctor, ſaeculo XVI. illuſtris, a libro ſecundo, tertio et quarto, deinde a libro XIV. vsque ad poſtremum de ſe ipſe, ſpeciatimque de gente ſua, educatione, ſtudiis, muneribus, legationibusque agit. Operis autem titulus nihil aliud ſignificat, quam res, de quibus ſcriberet, repugnante natura et aliena voluntate, eſſe a ſe ſcriptas. Supra iam adduxi IAC. BVRCKHARDI *de Vita ſua* Commentarium.

rium. Editus is fuit *Hal. Magd. a.* 1748. *in* 8. praefixusque eiusdem Bibliothecae. Illustrauit Vir beatus maximam libelli sui partem clarissimorum hominum Epistolis, quas per quadraginta amplius annos ad ipsum exarauerant. Subsequuta sunt *ibid. a.* 1749. *Analecta*, et *a.* 1751. *noua Analecta ad Comment. de Vita* IAC. BVRCKHARDI. Multa disci exinde possunt, quae vsum omnino in Historia litteraria praestant. Eodem fere temporis spatio, quo Vita Burckhardiana innotuerat, accepimus *de rebus, ad* ANG. MAR. *S. R. E. Cardinalem* QVIRINVM *pertinentibus*, Commentarium. Pars I. et II. *Brixiae a.* 1749. *in* 8. *mai.* prodiit Volum. III. quae *a.* 1750. aucta fuerunt *Adpendice ad libri I. Partem secundam, qua recitantur Responsa seu Consilia praestantium Medicinae Doctorum de morbo, qui eundem Cardinalem per quinque et amplius menses lectulo affixum detinuit.* Noua, tabulisque aeneis splendidior facta, editio *ibidem ann.* 1754. *in fol.* memoratur a STRODTMANNO *Parte VIII. des Neuen Gelehrt. Europa p.* 1067. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1755. p. 138. Germanica versio libri huius, at in compendium redacti, exhibita fuit *Erfordiae a.* 1752. *in 8. mai.* a IVSTO FRID. VITO BREITHAVPTIO. De inepta ridiculaque Vitae descriptione, quam Rathlesio olim BENIAMIN BIELERVS transmiserat: item de Vita SCHMERSAHLII, ab eo ipso haud dubie composita, quamquam Sacerdos quidam Nordhusanus se professus auctorem est, *§. I. huius Capitis* dixi. Caeterum GODOFR. WAGNERVS *Witteb. a.* 1716. singularem publicauit *de Scriptoribus, qui suam ipsi Vitam exposuerunt*, Dissertationem, quae vero nec exhaurit argumentum, nec optimos huius generis recenset. Cf. REIMMANN. *l. c. Tomo II. p.* 158. et THEOD. CRVSII *Vergnüg. müssig. Stund. P. III. p. 4. sq.* vbi plures, qui Vitae suae historiam reliquerunt, nominantur.

nantur. Add. etiam *Anmerckung von Gelehrten, so sich ihren Lebenslauf selbst aufgesetzt, ibidem Parte XI. p. 1. sq.* Vberiorem *de Idiobiographis* Commentarium pollicitus dudum est IOH. HENR. VON SEELEN, Vir clarissimus. Hactenus quidem de Scriptoribus Vitarum, quorum permultos BAELIVS, in *Dict. hist. et crit. Tomo II. p. m. 8. voce:* Calderinus, recte his verbis reprehendit: *Je me suis souvent étonné de la mauvaise coûtume des faiseurs d' Eloges: ils oublient très souvent l' année de la naissance, celle de la mort, et tels autres points chronologiques. J'en ai cherché la raison; et apres avoir compris, que ce n' est point l'amour de la brièveté qui est cause de ces omissions; (car une feuille de papier peut contenir cinq ou six cens dates de cette nature) j'ai conclu, que la paresse est la cause de tout cela. Ils ne se souviennent point de ces circonstances, et ils ne veulent point prendre la peine de s' en informer.*

§. XLIII.

Restat, vt non nihil, commodissimo hoc loco, de Collectoribus Epitaphiorum et Inscriptionum sepulchralium subiiciatur. Sunt enim inter has, quae non ingenium sapiunt modo, sed variam quoque subministrant de fatis eruditorum notitiam. Pertinet huc, vt a generalibus incipiam, TOBIAS FENDTIVS, Pictor et Ciuis Vratislauiensis, cuius *Monumenta sepulchralia, cum epigraphis ingenio et doctrina excellentium virorum, aliorumque tam prisci, quam sui saeculi memorabilium hominum, Vratislauiae a.* 1574. *in f.* prelo exierunt. Fendtius de Archetypis expressit atque in aes incidit haec monumenta, in diuersis Italiae vrbibus a SIEGFRIDO RYBISCHIO, Consiliario Caesareo, collecta. Recensuit librum, figuras centum et viginti quinque continentem,

STRV-

STRVVIVS in *Bibl. antiqua anni* 1705. *m. Aug. p.* 363. *sq.* Alia editio *Francof. a.* 1589. *ead. forma* est exhibita, quae nescio an noua sit. Rarius enim hodie conspicitur Opus. Possedit olim postremum exemplar, Inscriptionibus plurimis auctum calamo adpositis, praecipue ex Polonicis, Suecicis, aliisque Epitaphiis, IOH. BVRCH. MENCKENIVS, prout indicat *librorum* eiusdem *Catalogus p.m.* 202. Secundum iam prodierunt *Herbornae* apud Chr. Coruinum *a.* 1599. *in 8. ibidem*que *a.* 1606. tertia parte auctiores NATHAN. CHYTRAEI *Variorum in Europa itinerum deliciae, seu ex variis Mstis selectiora tantum Inscriptionum, maxime recentium, Monumenta.* Quamuis autem plurimae in hoc libro exstent Inscriptiones templorum, palatiorum, tribunalium, armamentariorum, pontium; multas tamen sepulchrorum etiam Inscriptiones et Epitaphia, inque iis doctorum Virorum et litteris illustrium, ibidem reperiri, MEIBOMIVS testatur *Additam. ad* VOGLERI *Introd. vniuersalem in Notit. Script. p.m.* 161. PETR. ANDR. CANONHERIVS *Antwerp. a.* 1613. *in 8. Flores illustrium Epitaphiorum* protulit, ex totius Europae ciuitatum, et praestantissimorum Poetarum, monumentis excerptos. MARCI ZVERII BOXHORNII *Monumenta illustrium Virorum et Elogia, Amst. anno* 1638. *in f.* edita, conueniunt cum libro FENDTII. Boxhornius quippe nihil fecit aliud, quam vt Elogia aliqua adiiceret a latere Iconum priorum septem et octoginta: caetera omnia redolent editionem Fendtianam. Typis repetitum Boxhornii Opus, at nomine eius omisso, cum antiquis agri Traiectini monumentis, *Vltrai.* 1671. *in f.* PHIL. LABBEI *Thesaurus Epitaphiorum veterum ac recentium selectorum Paris. a.* 1687. *in 8. mai.* diuulgatus est, quem quum ad manus non habeam, cognoscere non licet, an Epitaphia etiam eruditorum intermiscuerit. Talia vero,

vero, eaque non vbiuis obuia, passim occurrunt in ANT. BALDASSARRI *Ristretto delle Vite di personaggi alcuni illustri* caet. quo de libro supra dictum *sub finem §. III.* Nunc ad eos, age, progrediamur, qui sigillatim vrbis, vel prouinciae, alicuius Epitaphia et Inscriptiones ab obliuione vindicarunt. Factum id a multis in Germania, quos, secundum ordinem locorum alphabeticum, nominare placet. Itaque primum tribuo locum *Epitaphiis Augustanis Vindelicis, ab annis fere sexcentis.* Partes sunt III. primaque et secunda *anno* 1624. tertia *anno* 1626. *in 4. Aug. Vind.* a DANIELE PRASCHIO fuit exhibita. *Inscriptiones vrbis Hamburgensis, Heidelb. a.* 1663. *in 4.* editae, ac deinde LINDENBROGII *Scriptor. rer. Septentrional. Hamb. a.* 1706. *in f.* insertae, Collectorem nactae sunt THEOD. ANCKELMANNVM, tunc studiorum caussa in Academia Palatina habitantem. *Helmstadienses Inscriptiones sepulchrales*, non pauca Professorum celeberrimorum Epitaphia continentes, curae IVSTI CHRISTOPH. BOEHMERI debemus, qui produxit easdem *Helmst.* 1710. *in 8.* cum Praefatione, in qua de aliis eiusmodi libris strictim carptimque disseruit. *Epitaphia et inscriptiones sepulchrales*, quae exstant in Templo Academico *Ienensi*, CASP. SAGITTARII *Histor. Templi Ienensis Academici Ienae a.* 1685. *in 4.* accesserunt. Nouas editiones, *ibid. a.* 1690. et *a.* 1720. paratas, HEVMANN. in *Bibl. Academ. p.* 91. memorat. Sic et *Lipsiensium Templorum Inscriptiones*, quotquot aderant tunc temporis, atque inter has varias clarorum Virorum, SALOMO STEPNERVS *Lips. a.* 1675. *in 4.* Latine Germaniceque cum harum rerum amatoribus communicauit. Prostant etiam exemplaria, *annum* 1686. prae se ferentia, quorum forte mutatus tantum est titulus. Vix enim probabile, intra tam breue temporis spatium tot Opusculum emtores

tores inuenisse. *Norimbergensia Epitaphia* MICH. ROETENBECK *Norimb. a.* 1622. *in* 8. edidit, teste STRVVIO. Plagularum quatuor libellum vocat BOEHMERVS in *Praef. adducta.* Sine dubio igitur hic Prodromus fuit maioris Operis, cuius Roetenbeckius Volumina sex reliquit manu scripta. Anonymo deinde Auctore, quem esse tamen certum est CHRISTOH. FRID. GVGELIVM, *ibid. a.* 1682. *in* 4. successit *Norischer Christen Freydhoefe Gedächtniß, d. i. richtige Vorstellung und Verzeichniß aller Monumenten, Epitaphien und Grabschriften, welche zu Nürnberg auf den Kirchhoefen befindlich*; qui liber a IOH. MARTINO TRECHSELIO locupletatus admodum, inque alium adductus ordinem, ita quidem, vt nouus videatur prope, post mortem eius *ibid. a.* 1736. *in* 4. cum figuris aeneis recusus est. GE. IAC. SCHWINDELIVS amplissimam *de Scriptoribus Epitaphiorum* praemisit Commentationem, qua aegre iam careo; persuasus quippe, multa posse exinde hauriri, quibus hoc exornare argumentum liceat. *Epitaphia aliquot praestantium Virorum, qui Wittebergae obierunt, Witteb. a.* 1557. *in* 4. exhibuit NICOL. SELNECCERVS, quod duarum plagularum scriptum sequutum est BALTH. MENCII *Syntagma Epitaphiorum, quae in inclyta Septemuiratus Saxonici Metropoli, Witteberga, diuersis in locis splendide honorificeque erecta conspiciuntur, Magdeb. a.* 1604. *in* 8. Quatuor in libros hoc Syntagma fuit dispertitum, quorum tertius potissimum, praeter descriptionem Templi parochialis, diuersorum doctorum Virorum Epitaphia complectitur. Post Mencium IOACH. HAGMEIERVS *Witteb. a.* 1637. *in* 4. *Inscriptiones Wittebergenses* euulgauit, quae non ad personas tantum illustres, sed homines quoque litteratos spectant. In ANDR. SENNERTI *Athenis et Inscriptionibus Wittebergensibus, ibidem a.* 1655. et, ex edit. altera, longe emendatiore atque auctio-

auctiore, 1678. *in 4.* liber II. illas producit saltim Inscriptiones, quas Mencius iam dederat, in hoc Sennerto praeferendus omnino, quod addit plerumque, quae ad monumenti sepulchralis faciunt illustrationem. Cf. STRVVII *Biblioth. Saxon p. 21. sq.* Honoratiorum, vtriusque sexus, hominum, qui *Vratislauiae* diem obierunt, memoriam Inscriptione quadam sepulchrali commendare olim posteris solebat MART. HANKIVS. Hasce schedas, post mortem parentis, vnum in Volumen collegit, et *Vratislauiae a.* 1718. *in 4.* edidit filius, GODOFR. HANKIVS. Quasdam istarum Inscriptionum eruditorum etiam Virorum dicatas esse laudibus, patet ex *Actis Erud. Lat. a. 1718. p. 287.* Cf. REIMMANNI *Catal. T. II. p. 127.* vbi haec: *Hankii Monumenta licet voces, phrasesque non probatas interdum admixtas habeant: limitesque lapidis vel marmoris egrediantur vt plurimum, integrasque vitarum historias, et varias multorum annorum circumstantias comprehendant; quod cum inscriptionum antiquarum indole non omnino conspirat; pleraque tamen praeclara sunt.* Pergimus ad Heluetos. *Basileensium Monumentorum antigrapha Lignitii a.* 1602. *in 8.* luci exposuit SIM. GRVNAEVS; cuius exemplo IOH. GROSSIVS *Basil. a.* 1622. *in 8. Vrbis Basileensis Epitaphia et Inscriptiones* publicauit. Continuatus est postea liber ab anno 1619. quo desierat Grossius, vsque ad a. 1661. per IOH. TONIOLAM, qui et sparsim collecta in ordinatam annorum seriem redegit. Opus, *Basilea sepulta, retecta, continuata*, inscriptum, prodiit *ibidem a.* 1661. *in 4.* De Italis habemus LAVR. SCHRADERI *Monumentorum Italiae, quae hoc nostro saeculo,* (i. e. saec. XVI.) *et a Christianis posita sunt, libros IV. Helmstad. a.* 1592. *in f.* itemque IOACH. CHRISTOPH. NEMEITZII *Inscriptionum singularium Italicarum*, maxime nouissimarum, *Fasciculum, Lips.* 1726. *in 8.* Vterque varia

ria etiam eruditorum Elogia atque Epitaphia congessit: Schraderus autem saepius vsus est Monumentis sepulchralibus Fendtianis. Apud Anglos IOH. LE NEVE *Londini a.* 1717. *sq. in 8. mai. Tomis V.* lingua gentis patria excudenda curauit *Monumenta Anglicana*, seu Collectionem Inscriptionum, quae in Monumentis variorum dignitate eminentium Virorum, ab anno 1600. vsque ad annum 1718. mortuorum, exstant. *Ducatus* Brabantiae *Monumenta sepulchralia, et Inscriptiones publicae priuataeque*, FRANC. SWEERTII studio *Antwerp. a.* 1613. *in 8.* librorum numerum auxerunt. Add. BENTHEMII *Holländ. Kirch - und Schulen Staat, P. II. cap. 5. p.* 487. *sq.* vbi complura Epitaphia, in Belgio foederato eruditis consecrata, occurrunt. In Dania PETR. IOH. RESENIVS *Inscriptiones Hafnienses, Latinas, Danicas et Germanicas, vna cum Inscriptionibus Amagriensibus, Vraniburgicis, et Stellaeburgicis, Hafniae a.* 1668. *in 4.* exhibuit. Liber, hodie inter rariores referendus, figuris quoque aeneis ornatus est. Successere postea PETRI TERPAGRI *Inscriptiones Ripenses, ibid.* 1702. *in 4.* quibus *a.* 1714. addidit *Adpendicem Inscriptionum Ripensium.* Forte locum sibi hic vindicant itidem, et ad fata eruditorum quorundam cognoscenda faciunt SIM. STAROVOLSCII *Monumenta, seu Epitaphia illustrium Sarmatarum*, quod Opus, figuris aeneis splendidius redditum, *Cracouiae a.* 1655. *in f.* diuulgatum fuit. Memorari tandem inter singulares rerum eiusmodi Collectores debent IOH. SCHENCKII *Epitaphia et Epicedia illustrium Medicorum*, quae STRVVIVS in *notis, §pho de Vitis Medicorum* subiectis, *Antwerp. ex offic. Plantin a.* 1574. *in f.* prodiisse scribit: et CHR. THEOD. SCHOSSERI *Epitaphia praecipuorum Ictorum Europae, Hamb. a.* 1615. *in 8.* excusa. Clarissimorum quorundam *Philosophorum Epitaphia* legi possunt in HEVMANNI *Actis Philos. Vol. III. p.* 755. *sq.*

CAPVT

CAPVT OCTAVVM
DE
SCRIPTORIBVS IVDICIORVM; HOMONYMIS, ANONYMIS, PSEVDONYMIS; MORIBVS, FATIS, AC SINGVLARIBVS ERVDITORVM; VARIIS LIBRORVM FATIS; LEXICIS HISTORICIS; EPISTOLOGRAPHIS, ET ITINERARIIS LITTERARIIS.

---

§. I. *Scriptores, qui modum iudicandi de libris docuerunt.*
§. II. *Scriptores de iudiciis, ad claros Viros, et eorum Opera, pertinentibus, vniuersales.*
§. III. *Scriptores iudiciorum de libris* theologis.
§. IV. *Scriptores iudiciorum de libris* iuridicis.
§. V. *Scriptores iudiciorum de libris* medicis.
§. VI. *Scriptores iudiciorum de libris* philosophicis *et* mathematicis.
§. VII. *Scriptores, qui de libris* historicis, genealogicis *et* numismaticis *iudicarunt.*
§. VIII. *Scriptores iudiciorum de libris* philologicis, *sigillatim de* Poetis *et* Oratoribus.
§. IX. *De libris in* Ana.
§. X. *Quid sentiendum de iisdem sit.*
§. XI. *De aliis scriptis, quae mutato saltim titulo* similia *tractant.*
§. XII. *De Homonymis.*
§. XIII. *De Anonymis et Pseudonymis.*
§. XIV. *De moribus eruditorum, ac primo de virtutibus eorundem.*
§. XV. *De vitiis eruditorum generatim ac speciatim.*
§. XVI. *Continuatio argumenti specialis de* Plagio *et* Plagiariis;
§. XVII. *Item de* Machiauellismo *et* Charlataneria *eruditorum.*
§. XVIII. *De fatis eruditorum.*
§. XIX. *De Singularibus quibusdam eruditorum.*
§. XX. *De variis librorum fatis.*
§. XXI. *Scriptores Lexicorum historicorum, et ad rem litterariam facientium.*
§. XXII. *Epistolographi litterarii.*
§. XXIII. *Scriptores Itinerariorum litterariorum.*

§. I.

§. I.

Postquam de Biographis egimus, procedendum ad illos, qui elogia Scriptorum, vel de libris iudicia, et alia facta singularia litteris mandarunt. Primum autem paucis sunt memorandi, qui modum de libris iudicandi docere studuerunt. Generatim id factum ab iis, quorum Institutiones Philosophiae rationalis habemus. Sunt tamen alii, hic sigillatim nominandi. Primus, quem noui, est GABR. PVTHERBEVS. Edidit is *Theotimum*, *seu de tollendis et expurgandis malis libris libros III. Paris. a.* 1549. *in 8.* Sed consueto Pontificiorum instituto rem peregit. Plenius tractat hoc argumentum THEOPHIL. RAYNAVDVS, qui inter alios permultos libros *Erotemata* scripsit *de malis ac bonis libris*, *deque iusta aut iniusta eorundem confixione.* Prodierunt *Lugduni a.* 1653. *in 4.* et in *Operum* eius *Tomo X.* recusi fuerunt. Morali tamen ratione differit potissimum Auctor, certasque librorum classes exhibet, vt haereticorum, atheorum, magicorum, superstitiosorum, obscenorum, infamium, suppositorum et furtiuorum. Multae in hoc Opere minoris momenti adferuntur quaestiones, vnde parum fructus pro litteraria notitia, nisi quod obiter non nulla, hic loci non negligenda, inspergat. Pleraque tamen ingenium produnt plane Iesuiticum. Magna scilicet est horum hominum sollicitudo de admittendis, siue tollendis et expurgandis libris. Cf. MORHOFII *Polyh. Tomo I. libr. I. cap.* 16. §. 28. BAILLETI *Jugem. des Sav. Tomo I. Parte 1. p. 102. sq. edit. antiquae*, et REIMMANNI *Catal. Bibl. suae*, *T. II. p. 81. sq.* vbi inter alia rarissimam vocat, quae *a.* 1653. parata est, editionem, ob censuram symboli Apostolici *p.* 294. obuiam, quae sit omissa in editionibus posterioribus, volente sic Pontifice Romano. Magis huc pertinent THOMAE BARTHOLINI *de libris*

legendis Differtat. VII. *Hafniae* primum *a.* 1676. deinde *Francof.* cura MEVSCHENII, *a.* 1711. *8.* editae. Quaedam exemplaria *Hagae Com.* nomen prae fe ferunt. Adiiciendi funt his GVIL. SALDENI *de libris varioque eorum vfu et abufu libri II. Amftael. anno* 1688. *in 8.* Altera haec, et auctior quidem, eft editio. Primum enim prodiit Opufculum *Vltraiecti a.* 1681. *in 12.* hac infcriptione: CHRISTIANI LIBERII, *Germani*, Βιβλιοφιλία, *fiue de fcribendis, legendis, et aeftimandis libris Exercitatio paraenetica* caet. Cf. *Mifcellan. Lipf. noua, Vol. I. p. 90. in not.* vbi tamen pro verbis: *illum, quisquis fit, Chriftianum Liberium aggregarent* fine dubio fcribendum erat: *impudentiffimis plagiariis Guil. Saldenum aggregarent.* Nec effe hunc ipfum eximendum penitus ex eiusmodi hominum choro, fed paffim IAC. THOMASII, cuius *de plagio litterario* ampla exftat Differtatio, vitulo araffe Saldenum, contendit filius, CHRIST. THOMASIVS in *den Monathsgefprächen a.* 1688. *Tomo II. p.* 293. Idem adferitur in *Lexico Eruditorum Ioecheriano, Tomo IV. p.* 49. cuius quidem rei fides penes auctores efto. Ego certe, inftituta lectione curforia, nondum in hoc Saldenum crimine deprehendi: adcuratiore autem ftudio in id inquirere, ob temporis anguftiam, non licuit. Cf. quae ex FABRICII *Scriptor. recentior. Decade* memorat TENTZELIVS in *den monathlich. Vnterredung. a.* 1689. *p.* 195. Secundum STRVVII fententiam elegantiffimus eft liber Saldenianus, quo fcribendi pruritus tangitur, prudentia, foliditas, breuitas et perfpicuitas in componendis libris commendatur, iuftus legendorum ipforum modus proponitur, diuerfa in fcribendo vitia examinantur, ac fingula probe exemplis illuftrantur. Quantum ego autem perfpicio, nimis benignum eft hocce iudicium; methodus enim Auctoris confufa plerumque, ac multis digreffionibus

bus ab instituto permixta, idque THOMASIVS iam, non sine caussa, eidem obiecit. Passim a BAELIO etiam in *Dictionario* reprehenditur, quod ipsa, quae adduxit, veterum Scriptorum loca non legerit, sed ab aliis laudata protulerit, ideoque saepius aliquid passus fuerit humani. Nec optime Iac. Gronouium hoc de labore existimasse olim, ex *Animaduersionibus philologicis et historicis Crenianis* CASP. BVRMANNVS monet in *Traiecto erudito p.* 321. Paucis, at non sine elegantia, vti de Scriptoribus iudicium ferri conueniat, docet ROLAND. MARESIVS *Epistol. philogic. libro I. epist.* 41. *p. m.* 181. Quae a Struuio addita est PAGANINI GAVDENTII *Obstetrix litteraria*, primum *Florent. a.* 1638. in 4. iterumque *Ienae a.* 1704. *in* 12. curante GE. NICOL. KRIEGKIO excusa, ea ostendit saltim, quid sit in componendis euulgandisque libris obseruandum, quod argumentum ad rem praesentem non pertinet. Interim lectu dignum est vtique Opusculum. Caeterum cf. supra iam dicta huius *Bibliothecae Tomo I. p.* 758.

§. II.

Praemissis istis nominandi sunt ii, qui elogia vel iudicia de Scriptoribus congesserunt. Sunt quidem, quorum sententia labor eiusmodi parum praestat vtilitatis. Verum, licet perfecti non sint cauteque omnino adhibendi tales libri, ad id faciunt tamen, vt, examinatis compluribus opinionibus, has potissimum deligamus et sequamur, quae a Viris probis ac fide dignissimis profectae sunt, nec a rationis regula et praescriptione aberrant. Gallis, vbi de de Germanis censoris animum sumunt, non semper est credendum. Aliarum quoque gentium eruditi saepe hac in re fallunt. Multi peruerso incitati ingenio iudicant, multi ex ignorantia, multi priuati compendii caussa; ideoque bene pro-

 spicien-

ſpiciendum eſt, a quibus iudicia proueniant. Certiſſima plerumque ſunt Conringiana, Baeliana, Niceroniana caet. Reliqua non repetam, quae ſupra monui *Tomo I. cap. 5. ſ. 17. p. 722. ſq.* Inter eos autem, qui de Scriptoribus variis quid ſentiant, declararunt, primum occupat locum PHOTIVS, cuius *Capite VI. Sect. priore ſ. 3.* eſt a me mentio iniecta. Is in *Myriobiblo, ſeu Bibliotheca ſua*, librorum compendiis, vel argumentis integris, recitatis, adcuratiſſimum de lectis a ſe Voluminibus examen inſtituit, et quid laude, quid reprehenſione dignum putet, libere profitetur, nullam Critices partem intactam relinquens. Cenſuram non raro a librorum titulo auſpicatur, maxime ſi is Operi haud reſpondeat. Caſtigare deinde ſolet Auctores, ſi vel aliena prorſus et ad rem, quam ſibi pertractandam ſumſerant, parum pertinentia, vel minus neceſſaria commemorant. Nec de ſtili virtutibus vel vitiis tacet, quae omnia paullo fuſius expoſuit CONSTANT. WOLFIVS in *Diſſert de Photio, Ephemeridum eruditorum inuentore, Vitemb. a.* 1689. *Cap. II. p. 17. ſq.* Aliquot plagularum libellus eſt, quem titulo ſatis magnifico protulit CLAVD. VERDERIVS. Intelligo eius *in Auctores pene omnes, antiquos potiſſimum, cenſionem, Lugd. anno* 1586. ac denuo *Pariſ. a.* 1609. *in 4.* editam, rariſſimamque iam pridem inuentu. Obſeruarunt plures, aſperrimas eſſe cenſuras, ac plerumque ineptias redolentes. Ne ipſi quidem parenti, Antonio, pepercit: veteres autem Scriptores, atque adeo Tullium quoque Maronemque et Flaccum, acerrime perſtrinxit, inque hoc ſermonis duritiem, in illis voces barbaras deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Cf. MORHOFII *Polyhiſt. Tomo I. p. m.* 176. MENCKENII *Charlat. erud. p.* 88. *edit. Lipſ. a.* 1727. *in* 8. et BAILLETVS in *Jugemens des Savans, Tomo II. Parte I. p. 18. edit. prioris*, vbi ſic differit:

Il paroit

Il paroit un peu de présomtion dans cet Ouvrage, assés peu de jugement, et trop d'expressions d'un jeune homme, qui affecte le suffisant, et souvent sans occasion. Il semble, qu'il ait pris plaisir à contredire les autres Censeurs, et à juger des Auteurs, et de leurs écrits au hazard. Vossius *et* König *après lui disent, qu'ils n'ont presque rien vû de plus fade, ni de plus impertinent, et qui mérite plus de censure que cette Censure même.* Aduersus libellum illum Verderianum notas quasdam scripsit CASP. SCIOPPIVS, quae accessere CATVLLI *castis Carminibus*, a RAPH. EGLINO ICONIO *Frf. ad M. a.* 1606. *in* 12. editis, ac recusae fuerunt in GROSCHVFFII *Noua libr. rar. collect. Halae* 1709. *in* 8. *Fasc. I. p.* 159. *sq.* Ita finit autem has notas Scioppius: *Valeat nobis bipedum ille inscitissimus atque audacissimus.* Mirum proinde, quod multa ex his Censuris transtulerit LEO ALLATIVS in Differt. suam *de erroribus magnorum Virorum in dicendo, Romae* 1635. *in* 8. quae est itidem perrara. Cf. MORHOFIVS *l. c.* Quae GREGOR. RICHTERVS, Sacerdos Goerlicensis, *Vitemb. a.* 1592. *in* 8. exhibuit *Iudicia florentis Scholae Melanchthonis de lectione bonorum Auctorum in omni genere disciplinarum*, caetera, ea melioris vtique frugis sunt, et sententiam Melanchthonis de Oratoribus, Poetis, Historicis, aliarumque disciplinarum Scriptoribus continent. Solo titulo ab hoc libro, qui est hodie admodum infrequens, *Crises Melanchthonianae* differunt, *Islebiae a.* 1597. *in* 8. typis impressae. Superiori saeculo prodiit TOBIAE MAGIRI *Eponymologium criticum*, quod eiusdem *Polymnemoni*, siue Florilegio locorum communium, primum praemissum, post separatum auctumque *Francof. a.* 1644. *in* 4. editum est. Nouissime id ipsum, duplo quam ante locupletius, *ibidem a.* 1687. *in* 4. recudendum curauit CHRIST. GVIL. EYBENIVS, tandem in aula

Episcopi Osnabrugensis Cancellarius. Hac nostra aetate Opus continuatum, egregiisque ornatum accessionibus, ex Sagittarii scriniis producere voluit IOH. ANDR. SCHMIDIVS; at successu caruit consilium, neque optabit nunc facile Res publica litteraria nouam editionem. Encomiastica enim sunt magis, quam vera, Magiri iudicia. Maximorum etiam hominum nomina desiderantur passim, eorumque loco alia conspiciuntur, quae plane abesse hic debebant. Cf. FABRICII *Scriptor. recent. Decas art. X.* (vbi tamen paullo iniquius de Eybenio iudicasse visus est TENTZELIO in *den monathl. Vnterred. a.* 1689. *p.* 318.) et REIMMANNI *Catalog. Tomo II. p.* 91. *sq.* Specimina duo *noui Eponymologici critici*, in quo collecta partim ex editis, partim ex manu tantum scriptis libris iudicia occurrunt de claris quibusdam saeculi XVI. et XVII. Auctoribus, inseruit IOACH. FRID. FELLERVS *Monum. varior. ineditor. Trimestri VII. p.* 395. ac *Trim. X. p.* 537. *sq.* Post Magirum IAC. GADDIVS Opus composuit *de Scriptoribus non Ecclesiasticis, Graecis, Latinis, Italicis* caet. cuius Tomus I. ad litteram L. vsque *Florent. a.* 1648. Tomus II. autem, vsque ad litteram S. excurrens, *Lugduni a.* 1649. *in f.* fuit publicatus. At rarissime ambo Tomi, diuersis quippe in locis excusi, reperiuntur. Mendose, multisque verborum notis, siue compendiis, excusi Scriptores ordine alphabetico continent, de quibus, praemissa breuiter Vita, diuersa aliorum iudicia, suis quoque intermixtis, proponit Auctor. Haec ipsa tamen temeraria saepe sunt ac futilia. Scriptores idem optimos vel omisit, vel optima de his reticuit. Addit MORHOFIVS *Polyh. Tomo I. p.m* 175. maledicentiam hominis, qua Viros doctissimos impugnare soleat, praecipue Germanos: imo ne quidem Photio parcere eundem, in quo nimiam Plutarchi recensionem taxet, quum tamen studio id fecerit

fecerit Scriptor iste. Magis adhuc seuerus Gaddii iudex est PHIL. LABBEVS in libro *de Scriptor. eccles.* *p.* 878. vbi eum, teste MORHOFIO, vocat sciolum Florentinum, qui de rebus sibi penitus ignotis iudicium, quo fere semper careat, ferre voluerit, qui in quisquiliis vndique corradendis operosus sit, et quot verba, tot propemodum mendacia habeat. CAMVSATVS quoque, in *Iudic. de quibusd. Scriptor. Elogior. p.* 33. apud CIACCONIVM, inter alia suadet eruditis, ne legant Gaddium, et bonas horas perdant. Nihilo tamen minus, quum inter tot ineptias non nulla protulerit anecdota, eaque notatu digna, aequiores censores, quorum a partibus ipse Morhofius stat; haud plane reiiciendum librum existimant, si quidem in manus inciderit periti cautique Lectoris. Singulare fuit institutum CAROLI SORELLI, qui scripsit *Bibliotheque Françoise, avec un Traité particulier, où se trouve l' ordre, le choix et l'examen des Histoires de France.* Editus liber *Paris. a.* 1664. *ibidemque anno* 1667. *in* 12. *mai.* multum auctior, et iam dudum raritatis nactus notam est. Comprehendit Auctores, qui Gallica lingua composuerunt aliquid, aut varios Graecos Latinosue Scriptores Gallice reddiderunt. Eorum enim Gallorum, qui Latino sermone vsi sunt, nullam plane mentionem Sorellus facit, quum sine Graecis Latinisque litteris ad perfectam rerum cognitionem perueniri posse arbitretur. Recenset autem Grammaticos potissimum, Rhetores, Oratores, Poetas, Philosophos et Historicos, vbique suum interponens iudicium. Adcuratum id est plerumque, et a studio partium alienum: hos tamen, qui tunc viuebant, admodum circumspecte habet, eam tantum ob caussam, ne in odium inuidiamque plurimorum incurreret. Copiosissime de hoc labore differitur in *den Nachr. von den in der Thomasischen Biblioth. vorhandenen Büchern Vol. I. p.* 771. et *p.* 989. *sq.*

Ab eodem profectus est Tractatus *de la connoissance des bons livres, ou examen de plusieurs Auteurs*, qui nomine eius non adiecto *Amstael. a.* 1671. *in 12.* prodiit. Deberi autem omnino hunc ingenii foetum Sorello, MORHOFIVS *Polyh. libro I. cap.* 16. *§.* 9. *p. m.* 172. inde reddit verisimile, quia in vtroque scripto par iudicandi solertia deprehenditur, et ipse statim hic liber sub initium Bibliothecae Gallicae meminit. Perperam igitur in *den Hällischen auserlesenen Anmerck. Parte IV. p.* 204. is cuidam DV CROS tribuitur. Exigua sunt autem, quae in hoc ipso scripto adlata fuere. Regulae criticae, de bonis Auctoribus cognoscendis suppeditatae, admodum sunt generales. Prolixior est Sorellus in fabulis Gallorum Romanensibus diiudicandis; de Comoediis etiam, Poesi et eloquentia eorundem multa disserit; quibus totus ille libellus absoluitur, atque ita exit in vrceum, quum amphoram titulus magnificam promiserit. Cf. BAILLETI *Jugem. des Savans, T. II. Parte 1. p.* 169. *edit. primae*, vbi abiecte de eo iudicatur. Huc porro fas est referri *Memoire des gens de Lettres celebres de France, et des pays étrangers par* COSTAR, quo in scripto, Colberti iussu, breuia de suae aetatis eruditis, Operibusque illorum, iudicia tulit Auctor. Insertum est DESMOLETS *Continuation des Memoires de Litterature de Mr.* DE SALLENGRE, *Tomi II. P. 2. p.* 317. Lectu est quoque digna *Lettre de Mr.* DE LA MONNOYE *à Mr. l'Abbé Conti, sur les principaux Auteurs François*, in *Bibliotheque Françoise, Tomo VIII. p.* 230. *sq.* quo ex loco praecipua referuntur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1727. *p.* 285. *sq.* Idem nouissime saxum voluit, ac de scriptis Gallicis, in primis Poetarum, praestantissimorum Criticorum iudicia, suis passim additis, cum Lectoribus communicauit CLAVD. PETR. GOVIETVS in *Biblioth. Françoise, ou Hist. de la Litterat.*

Fran-

Françoise, caet. cuius Tom. I. *Parif. a.* 1741. *in* 12. *mai.* lucem vidit, iamque Opus iucundiſſimum excreuit vsque ad Tomos XVIII. quibus plures adhuc accedent. Apud Hiſpanos DIEGO SAAVEDRA reliquit *Rem publicam litterariam*, qui libellus, poſt mortem Scriptoris acutiſſimi, *Compluti a.* 1677. *in* 12. *Valentiae* 1730. et *Mantuae Carpet. a.* 1735. *in* 8. Hiſpanice; *Londini a.* 1727. *in* 12. Anglice; *ibidem a.* 1744. *in* 8. Hiſpanice; ac tandem *Lipſ. a.* 1748. *ead. forma* Germanice, cum Praef. erudita et Obſeruationibus IOH. ERH. KAPPII typis eſt impreſſus. Solerter, nimis tamen ſeuere, iudicat nonnunquam Saavedra. Add. PAVLI COLOMESII *Bibliotheque choiſie*, *à Rochelle a.* 1682. *in* 12. Recuſus liber *Amſt. a.* 1699. cum Opuſculo, *La Rhetorique d'un honnete homme* inſcripto, et ex hac editione auctiore paullulum, at manca etiam, pluribus locis omiſſis, in *Operibus* eius, quae FABRICIVS *Hamb. a.* 1709. *in* 4. euulgauit. Nouiſſime optimeque prodiit, PETRI BONNETI BOVRDELOTII ac BERN. DE LA MONNOYE aliorumque Anonymorum Obſeruationibus ornatior, *Pariſ. a.* 1731. *in* 12. *mai.* In hacce Bibliotheca centum librorum, antiquorum et recentiorum, breuem exhibet hiſtoriam, nullo ſeruato materiarum ordine, vel delectu, Colomeſius. Adcurate iudicat, ſine partium ſtudio et maledicentia. Neque tamen reticet inſigniores aliorum errores. Ita plerique, quos noui, ſentiunt. At BAELIVS in *lettres choiſies Tomi III. Epiſt.* 252. *p.* 952. *edit. Amſtael.* quae *annum* 1729. prae ſe fert, longe aliter ſcribit. En! eius ipſa verba: - - *Qu'y a-t-il par exemple de moins intéreſſant pour le Public, que la Bibliotheque choiſie du Sieur Colomiés: Ouvrage, qui a été néanmoin regardé comme très bon en ſon eſpece, et du quel les curieux de Particularitez litéraires ſont presque enchantez? Je*

Vous pourrois nommer plusieurs autres livres, qui se font lire, sans contenir rien, qui interesse le Public. Praecipuum hic sibi locum vindicant ADRIANI BAILLET *Jugemens des Savans sur les principaux Ouvrages des Auteurs*, quo de instituto facturi sumus operae pretium, si paullo iam fusius agamus. Meditabatur Auctor primum editionem Catalogi, libros instructissimae, cui praefectus erat, Bibliothecae Lamonianae exhibentis, hac simul occasione notas et criticas, et litterarias, subiuncturus. Verum quum obseruaret quotidie plura, mutauit consilium, et Opus quoddam litterarium vniuersale suscepit, quod, vt in *Praefatione Iudiciorum suorum §. II.* monet, sex constare Partibus debebat, ita quidem, vt *Parte prima*, praeter sermones de iudiciis librorum in genere, ac diuersis in legendo opinionibus praeconceptis, iudicia proferret de praecipuis Typographis, Criticis, Grammaticis et Interpretibus; *Parte altera* de Poetis, fabulis Romanensibus, Oratoribus et Epistolographis; *Parte tertia* de Geographis, Chronologis, Historicis, Antiquariis et heraldicis Scriptoribus; *Parte quarta* de Philosophis, Mathematicis, Physicis ac Medicis; *Parte quinta* de Auctoribus, qui Ius Ciuile et Canonicum, Philosophiam ciuilem ac moralem illustrarunt; *Parte* denique *sexta* de Theologis, nempe Interpretibus sacri Codicis, Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis vsque ad saeculum XII, Scholasticis, Asceticis, Liturgicis et Heterodoxis adcurate disputaret. De singulis autem non sua, sed aliorum, promittebat iudicia, vt quilibet eligere, quid sibi videretur optimum, posset, neque is ad eadem defendenda obligaretur. Se mera etiam euitaturum esse elogia addebat, sermonemque sibi non de singulis Auctorum scriptis futurum, sed de iis tantummodo, quae ad propositum faciant argumentum,

mentum, quum alias non possit non nimium excrescere Opus. Postremo amice inuitabat omnes, vt, quae in promtu haberent, emendanda vel supplenda, ea cum Auctore humaniter communicarent. Ad has igitur regulas elaborauit Opus suum ac diuulgauit *Paris. anno* 1685. *et sequ. in 12. mai. Tomis IX.* cuius editionis primae exemplaria vbi distracta essent omnia, ad nouam sese accinxerunt bibliopolae quidam Parisienses, illamque industriae laudati supra DE LA MONNOYE commiserunt, qui recognouit adcurate, correxit et Obseruationibus, quamuis passim nullius momenti, auxit haec Bailleti Iudicia. Prodierunt ea ipsa *ibidem anno* 1722. *in 4. Tomis VII.* At haec etiam rarior nunc facta editio. Frequentior est *Amstaelodamensis* secundum eam repetita *a.* 1725. *eadem forma, octo* tamen *Tomis.* Adornata simul alia *in 12. mai.* quae Partes XVII. continet, *Tomis* itidem *octo* includendas. Ad manus aliquando fuit eiusmodi exemplar; ideoque nec iniucundum, nec inutile erit, si potiora iam totius Operis, in Germania non vulgaris admodum, capita memorauero. Agitur autem in *Tomi I. Parte 1.* de necessitate atque vtilitate libertatis, litterarios aliorum diiudicandi labores; de vitiis eruditorum variis, quae solent circa iudicia oriri, itemque de praeconceptis opinionibus, in librorum lectione obuenientibus, earumque fontibus, vbi plura legi subinde possunt de libris postumis; de Auctorum vel nimia praecipitantia, vel in edendis libris suis cunctatione; de iis, qui vel multa scripserunt, vel parcius exhibuerunt ingenii monumenta; de epitomis, summariis, excerptis, Operumque collectionibus; de Scriptoribus anonymis et pseudonymis; de librorum titulis, pretio ac raritate, satisque singularibus, nec non de frequentioribus eorundem editionibus, deque librariis.

In

In *Parte altera*, praeter Vitam Bailleti fuccinɕte expofitam, et Operis totius σκιαγραφίαν, *anno* 1694. *in* 12. hoc titulo excufam: *Plan de l' Ouvrage*, *qui a pour titre Jugemens des Savans fur les principaux Ouvrages des Auteurs*, longeque rariffimam antea, iudicia proferuntur de Typographis Italorum, Gallorum, Germanorum, Belgarum, Anglorum, et Polonorum nobilioribus, quibus accedit breuis notitia de praeftantiffimis in toto terrarum orbe officinis typographicis, Vaticana nimirum et Regia Parifienfi. In *Tomi II. Parte* 1. occurrunt Iudicia de librorum Cenforibus, Bibliothecariis, Biographis, et iis, qui librorum confecerunt Catalogos, fiue manufcriptorum, fiue typis impreffiorum, quique methodum ftudendi docuerunt. Reliquum Partis huius cum *altera* ac *tertia* dicatum eft Grammaticis et Lexicographis Latinis, Graecis, Ebraicis, Gallicis Italicisque. Succedunt Iudicia de iis, qui Graecos Latinosque Scriptores in Latinum, Gallicum, Italicum, Hifpanicum et Germanicum fermonem conuerterunt. *Tomus III.* ad Poefin antiquam fpeɕtat totus, inque *Parte prima* ii, qui de arte fcripferunt poetica, pariterque Poetae Graeci: in *Parte fecunda* vero Poetae Latini oculo critico diiudicantur. Tomus IV. ex duabus itidem Partibus conftans, Poetas compleɕtitur recentiores diuerfarum nationum, inde a faeculo XIV. vsque ad faeculum proxime praeterlapfum. Haufit hic Bailletus, quod ad Poetas attinet, fiue veteres, fiue recentioris aeui, multa ex GYRALDO, VOSSIO, CRASSO et BORRICHIO. In *Tomi V. Parte priore* liber de infantibus, eruditione fcriptisque celebribus, cum quibusdam eorum exemplis, qui tarde ad ftudia litterarum fe conuerterunt, eft obuius: in *altera* vero alius liber, antea 1690. excufus, qui ad cognofcendos Scriptores occultos facit. *Vtraque Tomi VI.*

Pars

Pars continet Tractatum, *Parif. a.* 1689. primum editum, de fcriptis, qui titulum *Anti* in fronte gerunt. Sequuntur nunc nouae huius editionis acceffiones. Et *Tomi* quidem *VII. Pars prima*, cum *Partis fecundae* plagulis aliquot, AEGID. MENAGII, quem paffim notauerat Bailletus, in hocce Opus ftricturas exhibet, *Anti Baillet* infcriptas, *Hagae*que *Comitum* (in ipfa enim Gallia editio prohibita fuerat) *anno* 1688. et 1690. euulgatas, in quibus Menagius aduerfario fuo philautiam potiffimum obiicit, plagiumque et carminum lafciuiam, multorum eruditorum, quorum famae Bailletus inimicus fuerat, vindicem agit, erroresque eiusdem oftendit, fed maiori etiam, quam videtur iuftum effe, de fe ipfo fiducia loquitur. Reliqua *Partis fecundae* implent *Reflexions fur les Jugemens des Savans, envoiées à l' Auteur par un Academicien*, pariterque *Reflexions d' un Academicien fur la Vie de Mr.* DESCARTES, *envoiées à un des fes Amis en Hollande.* Vterque libellus, non *Hagae Comitum*, vt mentitur titulus, fed vere apud Gallos *Rothomagi* typis impreffus, et *annis* quidem 1691. ac 1692. *in 12.* a NICERONIO in *Vita Bailleti*, *Parte III. p.m.* 125. tribuitur MICH. TELLIERIO, focio eorum, qui a Iefu feruatore nomen fibi adfciuerunt. Rectius tamen auctor dicitur BOSCHETVS, eidem Societati quondam adfcriptus. Vid. *Lexicon Ioecherianum Tomo IV. p.* 1049. et DES MAIZEAVX *in Lettres de Mr.* BAYLE *T. II. p.* 504. Denique Tomi VIII. Pars prima et altera BALTH. GIBERTI complectitur *Jugemens des Savans fur les Maîtres de l' Eloquence*, quae iudicia prodierant antea *Parif. ann.* 1713. *fq. in 12. Tomis III.* Honorifice de iisdem actum in *Journal littéraire Tomo VIII. Parte 2. p.* 360. *fq.* vbi et *p.* 369. additur: *Ces Volumes de Mr. Gibert font un Ouvrage excellent en fon genre . . . Il feroit fort à fouhaiter,*

pour

pour le bien de la Republique des Lettres, que d' autres habiles Professeurs voulussent faire pour les Sciences, qu' ils enseignent, ce, que ce savant Auteur a fait pour la Rhetorique caet. Omnia ea, quae Tomus septimus octauusque Belgicae editionis suppeditant, desiderari in Parisiensi, adserit NICERONIVS *l. c.* Atque haec hactenus de Bailleti Opere, cuius versionem Latinam in *Litteris ad* OTTON. MENCKENIVM optauit merito GVIL. CAVEVS. Vid. *Miscell. Lips. Noua, Vol. I. p. 344.* Et meditatus est talem, cum emendationibus ac supplementis, sub saeculi prioris exitum MICH. FILITZIVS, Lusatus. At mors interuenit praematura. Cf. KRAVSII *umständlirbe Bücher-Historie, P. I. p. 142.* Caeterum negari omnino nequit, Bailletum, multa licet egregia habeat, de Auctoribus praecipue Gallicis, non pauca tamen falsa tradere, si extra patriae suae terminos egrediatur, iniquius etiam de Germaniae sentire eruditis, qua de re *Tomo I. huius Bibliothecae p. 681. sq.* copiosius dictum. Modeste igitur MONNOIVS complures eius errores in notis emendauit. Post Bailletum THOMAS POPE BLOVNT congessit *Censuram celebriorum Auctorum, siue Tractatum, in quo varia Virorum doctorum de clarissimis cuiusque saeculi Scriptoribus iudicia traduntur.* Tres Operis huius editiones prostant: *Londinensis a.* 1690. *in fol.* ac *Geneuenses* duae, altera *anno* 1694. altera 1700. *in 4. mai.* exhibita. An et ea, quae *annum* 1710. praefert, noua sit, nec ne, dicere non ausim. Discrimen inter primam et sequentes editiones hoc est, quod in Londinensi iudicia a Blountio prolata ea legantur lingua, qua ab Auctoribus vel Gallis, vel Anglis, vel Italis, caet. scripta fuere: in Geneuensibus contra Latine reddita omnia inueniantur. Delectum is ipse instituit eum, vt ex infinito Scriptorum numero, qui, ab Hermete Trismegisto ad saeculi superioris exi-

tum

tum vsque libros composuerunt, non nisi quingentos octoque ac viginti produxerit iuxta temporis, quo quisque floruit, seriem consociatos. De iis autem non tam suo, quam aliorum ore disserit, inter quos recentissimi quoque, CAVEVS, MORHOFIVS, BAILLETVS, item non nulli Diariorum opifices, caet. occurrunt. Idque fecit eo consilio, vt habeat Lector quandam quasi imaginem cuiusque Auctoris, vnde deprehendere possit, quando vixerit, et plerumque etiam, quando obierit; quaenam fuerint ab ipso scripta, vel saltim, quae primum obtinuerint locum; qua valuerit auctoritate in Republica litteraria; num plagiarius fuerit, et cuius expilarit scrinia: num prohibitus sit in Indice quodam expurgatorio; denique quaenam sit optima cuiuslibet libri editio. Vid. *Acta Erud. Lat.* *a.* 1691. *p.* 24. Peritiores interim eruditorum parum honorificam de hisce Censuris Blountianis ferunt sententiam. Sic e. g. REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. Tom. II. p.* 91. inter alia Collectori obiicit vitioque vertit, quod epochas doctorum hominum non satis adcurate tradiderit; nec Homonymos, quo fas est studio, distinxerit; nec Auctorum verba optima semper fide descripserit. Iam pridem etiam GVIL. CAVEVS in *litteris ad* OTTONEM MENCKENIVM, *Miscellan. Lipf. Nouorum Vol. I. p.* 345. dicti Operis non admodum insignem esse dotem professus est. *Apud nos,* ait, *nuper emisit Eques quidam auratus Censuras celebriorum Auctorum* caet. *verum an satis adcurate factum, dispiciant alii.* Quibus verbis FRID. OTTO MENCKENIVS, dignissimus auo clarissimo nepos, subiunxit sequentia: *Iniuriam fecerit Bailleto, qui eius librum comparandum cum labore Pope - Blountiano dixerit; quandoquidem huic Auctori, criticae artis ignaro prorsus, satis fuit, alio-*

rum

rum de Scriptore quoque iudicia, eademque nuda et inornata, colligere; in quo parum mihi praestitisse aut homine docto dignum, aut ipsis vtile litteris, videtur. Aliqua ex parte huc facit etiam IAC. BOILEAV *Colloquium criticum de Sphalmatis Virorum in re litteraria illustrium*, quod, praefixo *Marcelli Ancyrani* nomine, adiectum est eiusdem *Disquisitionibus II. de Residentia Canonicorum, Paris. a.* 1695. *in 8.* Multos ibi errores memorat, quos homines etiam doctrina ornatissimi admiserunt. Anonymo Auctore, qui BIZARDIERIVS vocatur in STOLLII *Histor. der Philos. Gelahrh. p. 14. edit. nouiss.* et in *Catal. Biblioth. Bunav. Tomi I. Vol. 1. p. 481, Paris. a.* 1705. *in 12.* prodierunt, eodemque anno *Amstael.* fuerunt recusi *Characteres des Auteurs anciens et modernes, et les jugemens de leurs Ouvrages.* Salsa est satyra, qua potissimum Philosophi antiquiores atque recentiores, Poetae item et Historici percensentur, idque modo iudicii, ab Apolline facti. Hoc ipso videtur Auctor illudere Gallis, ob religionem reformatam patria expulsis. Maxime vero contra eos compositam esse hanc satyram STRVVIVS coniecit, qui *p.*4. verbis describuntur sequentibus: *La corruption et l' ignorance étant venu jusqu' à ce point, que* B. * * I. * * *et le* V. * *, *avoient trouvé des admirateurs en Angleterre, en Hollande, en Suisse.* Non dubitat Struuius, in Parisiensi exemplari, quod videre ipsi haud licuit, expressa esse nomina; facileque coniici credit posse, per hosce notari *Gilb. Burnetum, Petr. Jurieu, et Mich. le Vassor.* Addit, nec immunem forsitan esse *Ioh. Clericum*, atque Belgarum alios. Idem et libri meminit: *Entretiens sur les Contes de Fees, et sur quelques autres Ouvrages du tems, pour servir de preservatif contre le mauvais gout, à Paris* 1699. *in 12.* Multa hic proponi scribit curiosa et scitu digna de variis Gallorum libris, horum scribendi pruritu,

pruritu, Comoediis euulgatis, fabulis Romanensibus, Gallorum historiis quotidianis, libris in *Ana*, et similibus. Breuia, sed plerumque adcurata, de eruditis, et eorum scriptis, iudicia sunt, quae suppeditantur in COSTARII *Memoire des gens de Lettres celebres de France, et des päis étrangers*. Vid. *Continuation des Memoires de Litterature de Mr. de* SALLENGRE, *par* DESMOLETS, *Tomo II. p. 317. sq.* De PAVLI CORTESII *Dialogo de hominibus doctis* dictum est *Capite VII. §. 41.* Nonnunquam tamen Auctor in iudicando nimis est acerbus, iustoque seuerior. Diariorum modo prodierunt varia de Viris doctis iudicia, ex multorum scriptis collecta, in *dem unpartheyischen Bibliothecario, welcher die Vrtheile der Gelehrten von Gelehrten und ihren Schriften aufrichtig entdecket*. Singulare implent Volumen, Partibus XII. *Lips. a.* 1713. et 1714. *in 8.* auctore IOH. IAC. KLOSIO, qui nomen suum reticuit, editum. Nec spernendus est penitus labor, vtilis praecipue iis, qui multorum librorum destituuntur adparatu. Continuationis loco successit mox IOH. GOTTL. KRAVSII *umständliche Bücher-Historie, Lips. a.* 1714. *in 8. Partibus II.* Ad generales iudiciorum Scriptores porro referri possunt, qui pleni sunt ἐπικρίσεων, IOH. HENR. BOECLERVS in *Bibliographia critica*, Krausiano studio elegantius exhibita, de qua copiosius actum *Tomo I. cap. 1. p. 64. sq.* et MORHOFIVS in *Polyhistore*, cuius tamen censurae complures tantum hodie, vt olim, auctoritatis habere non videntur. Adde, si placet, *die summarischen Nachrichten von auserlesenen, mehrentheils alten, in der Thomasischen Bibliothec vorhandenen Büchern*, Opus supra, *Cap. VI. Sect. 1. §. 18.* data opera descriptum; IOH. FABRICIVM in *Historia Bibliothecae Fabricianae, Guelpherb. a.* 1717. *sq. Partibus VI. in 4.* excusa, vbi singulos Bibliothecae suae libros, eorum-

que contenta, et, si quae exstant, varias eorum editiones, argumenta, epitomas, versiones, scripta aduersa, hisque oppositas Apologias, siue defensiones, Auctorum errores ac Vitas, doctorumque Virorum de illis Auctoribus, eorumque libris, iudicia memorat, et alia, ad rem litterariam facientia, interserit; itemque GOTTLIEB STOLLIVM, cui debemus *kurtze Nachrichten von den Büchern und deren Vrhebern in der Stollischen Bibliothec.* Coeptum est institutum *Ienae a.* 1733. *in 4.* octoque Partes iustae molis Volumen, Indice duplici, altero personarum ac rerum, altero librorum, quos recensuit, instructum, efficiunt. Tertii autem Voluminis non nisi Partes duae sunt subsequutae, ordine septima et octaua supra decimam. Promissas, post obitum Auctoris, reliquas, vt compleri Volumen posset, frustra ad hunc vsque diem exspectauimus. Tandem et hoc tibi reuoces, quaeso, in memoriam, plerosque Diariorum conditores inter vniuersales iudiciorum Scriptores esse omnino connumerandos, de quibus toto hoc §pho paullo longiorem sermonem instituimus.

§. III.

Alii sunt, qui ad certas tantum disciplinas animum intenderunt. In theologicis habemus ANT. POSSEVINI *Apparatum sacrum ad Scriptores veteris et noui Testamenti, eorum interpretes; Synodos et Patres Latinos ac Graecos, horum versiones; Theologos scholasticos, quique contra haereticos egerunt; chronographos et historicos ecclesiasticos; eos, qui casus conscientiae explicarunt; alios, qui Canonicum Ius sunt interpretati; Poetas sacros; libros pios, quocunque idiomate conscriptos.* Prodiit Opus primum *Venet. a.* 1603. *sq. Tomis III.* ac deinde *Colon. Agripp. a.* 1608.

1608. *in fol. Tomis II.*; nec frequenter occurrit nostra aetate. Nonnulla iam dicta sunt de eodem supra *Cap. VII. §. 29.* In eo autem circiter octies mille Auctores partim indicari, partim expendi, additis passim censuris, expurgationibus, emendationibus, correctionibus versionum, aliisque, testatur IOH. ANDR. BOSIVS *Introd. in Notit. Scriptor. ecclesiast. p. 37. edit. Walch.* Neque tamen silentio praetermittendum, saepius partium studium eluceré ex censuris, laudarique et in pretio haberi eos dumtaxat libros, qui omnium maxime probantur a Iesuitis. Conf. MORHOFII *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 16. p. m. 175. edit. nouiss.* Eadem ex EDM. RICHERII *Histor. Concil. generalium* refert CHRIST. EBERH. WEISMANNVS *Introd. in Memorab. eccl. Hist. sacrae Noui Test. P. II. p. 361. edit. pr.* Illud ipsum Weismanni Opus insignem hic loci laudem meretur. Non enim praemissa est solum *Notitia Auctorum ecclesiasticorum, cum characteribus eorum historicis, ex iudicio critico Virorum doctorum, quandoque etiam ipsius Collectoris, delineatis*, verum et in tota pertractatione crebrae Auctoris et aliorum, v. gr. CAVEI, DV PINII, IOH. BONAE, epicrises leguntur. DV PINII praecipue *Nouvelle Biblioth. des Auteurs ecclesiastiques*, et CEILLIERII *Histoire generale des Auteurs sacrés et ecclesiastiques*, quae Opera iam supra indicata fuere, praeclara iudiciorum copia plerisque locis abundant. Ad Patres Ecceliae pertinent speciatim ANDR. RIVETI *Critici sacri libri IV.* in quibus expenduntur, confirmantur, defenduntur, vel reiiciuntur Censurae Doctorum, tam ex Orthodoxis, quam ex Pontificiis, in scripta, quae Patribus plerisque, priscorum et puriorum saeculorum, inconsulta ratio vel error adfinxit, aut dolus malus supposuit. Prima editio *Lugduni* a. 1612: quarta, ab Auctore locupletata et emendata, *Geneuae*

uae a. 1642. *in 8.* nouissima, quantum sciam, *Lips. a.* 1690. *ead. forma*, est exhibita. Prostat quoque in *Tomo II. Operum* RIVETI *Roterod.* 1651. *in fol.* Quibus in libris Centuriatorum Magdeburgensium, Abrah. Sculteti et Andr. Hyperii vestigiis insistentem Riuetum de auctoritate Patrum ac scriptis eorum supposititiis ita disserere, vt et industriam, et Polyhistoriam, et iudicandi dexteritatem planam fecerit omnibus, REIMMANNVS scribit *Catal. Bibl. Tomo I. p.* 122. Idem argumentum, non pari tamen felicitate, paullo post pertractauit ROBERT. COCVS in *Censura quorundam scriptorum, quae sub nominibus Sanctorum et veterum Auctorum a Pontificiis, in quaestionibus potissimum hodie controuersis, citari solent.* Diuulgatus liber primum *Londini a.* 1614. *in 4. ibidem*que recusus est 1623. postea *Helmstadii* etiam plus vice simplici. Vtor ego editione *a.* 1683. *in 8.* cura GEBH. THEODORI MEIERI adornata. Multo eum Riueto inferiorem et verborum concinnitate, et rerum compositione, et iudicandi facultate et doctrina REIMMANNVS vocat *l. c. p.* 124. Locum et hic meretur PETR. DAN. HVETIVS propter Tractat. *de Interpretatione*, in quo lib. I. de optimo genere interpretandi, lib. II. de claris Interpretibus agit. Quoniam enim generatim omnis interpretandi ratio ipsi curae est; per theologicas disciplinas se diffundit etiam, praecipueque de Bibliorum versionibus, addito limatissimo iudicio, disserit. Vnum est dolendum, quod erga Germanos videatur paullo iniquior. Conf. MORHOFII *Polyhist. Tomo III. lib.* 5. *§.* 14. Liber *Paris. a.* 1661. *in 4.* deinde *Stadae a.* 1680. *in 8.* tandem *Hagae Com. a.* 1683. *ead. forma* excusus est. Doctissima sunt Volumina, sed prudenter legenda, quae ingenio RICH. SIMONII debentur. In lucem is conspectumque protulit *Paris. a.* 1678. *in 4.*

Histoire

Histoire critique du Vieux Testament, qui liber quum clandestinis consiliis mox supprimeretur, (qua de re ipse verba facit in *Biblioth. critique Tomo IV. epist. 9. p: 61. sq.*) apud Belgas *a.* 1679. typis Elzeuirianis, at passim vitiose, repetitus fuit. Habemus etiam Latinam versionem, a NATALI ALB. DE VERSE *Amstael. a.* 1681. *in 4.* emissam, quam parum adcuratam SIMONIVS declarauit. Tum Gallice denuo prodiit *Roterod. a.* 1685. *in 4.* quam septimam vocant editionem, accessionibus variis conspicuam, Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1686. *p.* 100. Hocce Volumen exceperunt alia quatuor, scilicet *Histoire critique du Texte du Nouveau Testament ibid.* 1689; *Histoire critique des Versions du N. T. ibid.* 1690; *Histoire critique des principaux Commentateurs du N. T. ibid.* 1693. *in 4.* quod Volumen in Compendium redactum, cura LEONH. CHR. RVHLII, et cum REIMMANNI *Praefat. Goslar. a.* 1713. *in 8.* Germanico sermone publicatum; denique *Nouvelles Observations sur le Texte et les Versions du N. T. Paris.* 1695. *in 4.* Impugnatus est Auctor a multis, quorum Catalogus insertus *Histor. Bibl. Fabricianae, Parte III. p.* 402. Plura hoc loco de Opere insigni memorare non attinet. Adeat Lector BRVZENII LA MARTINIERE *Vitam Simonii*, praefixam eiusdem *Lettres Choisies*, *Amst.* 1730. et REIMMANNI *Catalogum Tom. I. p.* 15. *sq.* AEGID. STRAVCHII *Theologiae morali Gryphisw. a.* 1705. *in 8.* addidit IOH. FR. MAYERVS *Bibliothecam Scriptorum Theologiae moralis et conscientiariae*, vbi saepius de Auctoribus eorumue scriptis iudicium quoddam subiecit. Eadem is ratione construxit *Bibliothecam biblicam*, Dissertationes X. continentem de notitia Auctorum Pontificiorum, Reformatorum, Lutheranorum, imo et Iudaeorum, quorum in Codicem sacrum Commentarii supersunt. Separatim editae primum in Academia

mia Gryphiswaldensi, deinde coniunctim exierunt *a.* 1705. iterumque *Frf. et Lipſ. a.* 1709. ac tertium *Lipſ. a.* 1711. *in 4.* Accessit *Rostoch. anno* 1713. CAROLI ARNDII *Continuatio*, post mortem Mayeri elaborata. Quemadmodum vero is ipse ex suo et aliorum potissimum ingenio de singulis Scriptoribus sententiam dicit; ita Arndius quoque de interpretibus Bibliorum Lutheranis, et commentatoribus in libros illorum quoslibet magno numero doctorum Virorum iudicia interspergit. Neque tamen tanto, quo Mayerus, librorum instructus fuit adparatu, nec tanta doctrina, nec ea iudicandi facultate. Cf. *Acta Erudit. Latin. a.* 1714. *p.* 436. *ſq.* et REIMMANNI *Catal. Tomo I. p.* 107. In IOH. CHRISTOPH. DORNII *Bibliotheca theologico-critica*, cuius Pars I. *a.* 1721. et Pars II. *a.* 1723. *in 8. Ienae* diuulgata est, plerisque libris adscripta inueniuntur de vero eorundem pretio iudicia, partim ipsi tribuenda Auctori, partim ex celeberrimorum hominum Operibus excerpta. Sequutus frequenter Dornium est IOACH. LANGIVS in *Institut. studii theologici litterar. Halae a.* 1724. *in 8.* Rarius vero, quid sentiat de librorum indole, profitetur, viuae voci id reseruans, Institutionibus his quippe Praelectionum Academicarum caussa compositis. De aliis libri naeuis euolui possunt *Acta Erud. Germ. Vol. VIII. Part.* 95. *p.* 801. *ſq.* Longe praestantior est IOH. FRANC. BVDDEI *Iſagoge historico-theologica ad Theologiam vniuerſam, ſingulasque eius partes*, quae *Lipſ. a.* 1727. *in 4.* nitide adcurateque lucem adspexit. Continuatio Operis, ex schedis beati tunc Buddei, studio IOH. GEORG. WALCHII, in ordinem redacta, siue *Adpendix Supplementa noua exhibens, ibidem a.* 1730. successit. Multa in hoc Opere leguntur, non Theologiae tantum, sed et Philosophiae Historiaeque litterariae cultoribus proficua. Ratio prae-

praeterea iudicandi plerumque ſolida eſt. Amplisſima Iſagoges Buddeanae recenſio inſerta *Actis Erud. Lat. a.* 1727. *p.* 433. *ſq.* itemque COLERI *auserleſenen theologiſchen Bibliothec, Vol. III. P.* 25. *art.* 2. et *P.* 26. *art.* 1. Quid REIMMANNO in eadem diſpliceat, *Catal. Bibl. Tom. I. p.* 112. *et p.* 117. inſpiciat ibi expendatque Lector, harum rerum ſatis peritus. Nec praetermittenda hoc loco IOH. GOTTLOB. CARPZOVII *Critica ſacra veteris Teſtamenti*, quae *Lipſ. a.* 1728. *in* 4. prodiit, *ibidem a.* 1748. recuſa. Cum primis in Prooemio, quod naturam et indolem Criticae biblicae explicat, eiusque recenſet Scriptores, de ſingulis iudicium ſuum addit Vir doctiſſimus. Quem deinde *Hildeſiae a.* 1731. *in* 8. accepimus *Catalogum Bibliothecae theologicae, ſyſtematico-criticum*, a IAC. FRID. REIMMANNO compoſitum, ſaepiusque iam adductum, is, vt ipſe teſtatur titulus, ſine fuco et fallaciis, itaque et ſtudio partium, at non intemperanter tamen ac temere, nec ſine ratione et argumentis indicat, quid in vnoquoque libro ſingulare ſit vel vulgare, quae virtutes, quae maculae, quaeque ideo vel aſteriſco vel obelo digna inueniantur. Et negari omnino nequit, multa dicta fuiſſe ab Auctore, quae recta ſunt et plane congruunt cum veritate. At occurrunt etiam paſſim loca, vbi vis iudicandi ac ſubtilitas, animusque neutram ad partem inclinatus, omnino deſideratur. Cautum itaque Lectorem requirit Reimmannus, qui ob nimiam etiam ſentiendi libertatem non nihil turbarum excitauit in Republica litteraria. Sic e. g. *Roſtochii* eo ipſo ſtatim anno *in* 8. Anonymus edidit aliquot plagulas, *aduerſus* REIMMANNI *iniquiſſimam in* IOH. MVLLERI *Atheiſmum deuictum Cenſuram* exaratas. SAMVEL etiam WALTHERVS, Rector Scholae oppidanae Magdeburgenſis, *anno* 1732. *in* 8. *Magdeburgi* libel-

lum emisit, ita inscriptum: *Kurtze und nöthige Remarquen über p. 308. des Catalogi Bibliothecae theologicae, welchen der Herr Superintendens zu Hildesheim, Herr Reimmann, ohnlängst ans Licht treten lassen*, de quo pauca memorantur in *den Leipz. gel. Zeitung. a.* 1732. *p.* 760. Cf. *ibidem p.* 903. vbi de Apologia Reimmanni, paullo post *Hildesiae in 8.* excusa, differitur. Imo fuit nonnemo, qui Auctori huic errores, contra Orthodoxiam in Catalogo commissos, obiiceret in septem plagularum *Schediasmate de* REIMMANNI *Catallogo systematico-critico*, quod sine loci mentione *anno* 1732. *in 8.* diuulgatum est. Plura vid. in MOSERI *Beytrage zu einem Lexico der ietztlebenden Lutherisch- und Reformirten Theologen in und um Deutschland, p.* 837. *sq.* Post mortem REIMMANNI filius, IOH. GVILIELMVS, *Brunsuigae a.* 1747. *in 8.* exhibuit eiusdem *Accessiones vberiores ad Catalogum Bibliothecae theologicae systematico-criticum*, a Sectione prima vsque ad secundae Caput XIII. Reliqua, itidem promissa, frustra sunt ad hunc vsque diem exspectata. Iudicii acumen, et generosa sentiendi censendique libertas de meliori commendat GOTTLIEB STOLLII *Anleitung zur Historie der theologischen Gelahrheit*, quod lectu dignissimum Opus *Ienae a.* 1739. *in* 4. prodiit. Saepissime aliorum iudicia de libris theologicis collegit, neque tamen sua penitus suppressit, MICH. LILIENTHALIVS in *der Biblisch-exegetischen Bibliothec, i. e. richtigem Verzeichniß, zulänglicher Beschreibung, und bescheidener Beurtheilung der dahin gehörigen vornehmsten Schriften, welche in dem Lilienthalischen Büchervorrathe befindlich sind.* Decem Partium Volumen est, *Regiom. a.* 1740. *in 8.* absolutum. Successere ab *anno* 1741. vsque ad *a.* 1744. alia Volumina II, generatim nomine *Bibliothecae theologicae* signata. Plura de labore hoc, non inter vulgares referendo, ad-

adfert ERN. FRID. NEVBAVERVS in *Continuatione Lexici Mosteriani*, modo adducti, *P. II. p. 746. sq.* Nouissime, et *anno* quidem 1757. *et* 1758, *Ienae in 8. mai. Tomis II.* prodiit IOH. GE. WALCHII, Viri celeberrimi, *Bibliotheca theologica selecta*, cui ob iudicia etiam, libris adscripta, summum est pretium statuendum. Addatur supra laudatus IOH. FABRICIVS, qui in *Historia Bibliothecae suae* quid sentiat de variis Theologorum libris, candide docteque profitetur. HEVMANNVS item in litteris ad eum exaratis, *Poeciles Tomo II. p. 15. sq.* vbi leges *iudicia de libris aliquot Theologicis*, quod argumentum breuiter continuauit *l. c. p. 511. sq.*

§. IV.

De scriptis iuridicis multi iudicia sua exprομere studuerunt. Generatim, nulla ratione singularis disciplinae habita, id fecit DIONYS. SIMON in *Nouvelle Bibliotheque des principaux Auteurs et Interpretes du Droit Civil, Canonique* caet. *Paris.* 1692. et 1695. *in 12. Tomis II.* Dicit is sententiam suam de scriptis cuiuslibet Icti potioribus, commendandusque Auctoris conatus in notitia praecipue Ictorum Gallorum. Cf. supra *Cap. VII. §. 33.* Postea HENR. ERN. KESTNERVS *Francof. a.* 1699. *in 4.* edidit *Polybistorem*, qui breuis liber vsum hodie perexiguum praestat. Ipse eius Opifex, qua fuit modestia, in Praefatione laborem hunc inter infelices sterilesque ingenii humani partus refert. Interdum tamen non male iudicat de iis monumentis iuridicis, quae tunc adhuc aestimari solebant. Sub idem fere tempus GEORG. BEYERVS, Ictus Vitembergensis, parare coepit *Notitiam Auctorum iuridicorum et Iuris arti inseruientium*. Tria exstant Specimina, quorum primum *Lipsiae a.* 1698. alterum 1701. tertium 1705. *in 8.* prodiit. Omnia recusa fuere emendatius, et

nonnihil auctius, *ibidem a.* 1726. *ead. forma*, additis Indicibus Auctorum et rerum. De centum libris iuridicis, et qui ad Antiquitates Iuris faciunt, Beyerus agit in hisce Speciminibus, adcurateque iudicat. Plures inter eos sunt etiam magni momenti. *Anno* 1738. *ibid. in 8.* accepimus GOTTLOB AVGVSTI IENICHEN *Continuationem Notitiae Auctorum iuridicorum, et Iuris arti inseruientium, quam olim euulgauit* GE. BEYERVS. Continet libellus viginti librorum recensiones, quas antea *Latinis Eruditorum Actis* inseruerat Vir celeberrimus. Adiecit GRIBNERI et SCHVLTINGII *Elogium*, ibidem pariter obuium. Adeoque nihil noui hic prolatum, si paucas exceperis notulas. Interim Iurisprudentiae cultoribus proficuus esse potest conatus. Ienichenio successit V. C. CAROL. FERDINAND. HOMMELIVS, *anno*que 1749. Continuationem II. *anno* 1750. Contin. III. *sequenti* denique Contin. IV. adiunxit. In altera de libris viginti differit, inter quos tamen multi sunt ita cogniti, vt noua notitia eorum vix opus esse videatur. Miror praeterea, Virum consultissimum Itterianam editionem Brissoniani Operis *de verborum, quae ad Ius pertinent, significatione* protulisse, quum iam tum in tabernis librariis exstaret praestantissima Heinecciana, quae deprimit quouis modo priorem. Sub finem *p.* 294. *sq.* inseruit integrum PETRI COSTALII libellum, *Parerga Iuris scientiae* inscriptum, atque antea obuium rarius. Longe vtiliorem puto Continuationem tertiam quartamque. In vtraque nimirum grande illud Opus, a FRANC. ZILETTO, bibliopola erudito, *Venet. a.* 1584. publicatum, quod vulgari sermone *Tractatus Tractatuum* adpellatur, et in paucissimorum est manibus, diligentissime recensuit Vir clarissimus, idque saltim optandum fuerat, vt vbique suam exposuisset de vnoquoque scripto sententiam,

tentiam, qua quidem ratione propius accessisset ad institutum Beyerianum. Tertiae Continuationi praefixa est etiam de *barbaris Iuris Interpretibus Praefatio*, lectu haud indigna. Nunc, deposita quoque abs Hommelio rei huius gerendae cura, eandem suscepit Vir doctus, satisque in cognitione librorum exercitatus, HENR. GOTTLIEB FRANCKIVS, a quo profecta est *a.* 1758. Continuatio V. pluribus in posterum adaugenda. In *Bibliotheca Iuris selecta Struuiana*, cui illustris BVDERI studio tantum ornamenti adcreuit, paucis verbis, at maximam partem vere solideque, de libris iuridicis iudicari solet. Idem dicendum de *Lipeniana Bibliotheca*, ab amplissimo IENICHENIO perpolita, quae propterea suum retinebit pretium, quoniam in recentissima editione Lipsiensi omnes eius epicrises omissae fuerunt, vtilissimae passim, quamquam interdum minus adcuratae. Subiungendus GOTTLIEB STOLLIVS, qui in *Historia Iurisprudentiae litteraria*, Opere postumo, *Ienae a.* 1745. *in* 4. lingua Germanica edito, frequenter etiam libris memoratis iudicium vel suum, vel aliorum, adscripsit. Interim dubio caret, partum hunc longe pulchriorem futurum fuisse, si aetate parentis adhuc florente lucem adspexisset. *Capitis VII*, quod agit de Processu, auctor est Celeberrimus IENICHEN. teste WEIDLICHIO in *der Geschichte ietztlebend. Rechtsgel. P. I. p.* 427. Commendari tandem meretur summi Viri, HENR. CHRIST. A SENCKENBERG, *Notitia Iuris litteraria breuissima et selecta*, quae Excursus primus est in *Methodo Iurisprudentiae, Frf. ad M. a.* 1756. *in* 4. ab eodem producta. Nunc ad specialia procedendum. In *Iure Ciuili* adhiberi non sine fructu insigni possunt AVGVSTINI A LEYSER *Meditationes ad Pandectas*, vbi Vir acuti ingenii, occasione ita ferente, de variis Ictis, eorumque Operibus, mentem suam aperit,

et,

et, quae laudanda, quae vituperanda ipſi videantur, exacte indicat. Nec legiſſe quempiam poenitebit *Catalogum librorum* in *Bibliotheca* GREG. MAIANSII, inſertum *Epiſtolis eiusdem p.* 243. *ſq. edit. Lipſienſis.* Ad diuerſi generis Commentarios in Inſtitutiones Iuſtinianeas quod attinet, conſulendus omnino IOH. PETR. A LVDEWIG in *Vita Iuſtiniani, Cap. III. p.* 41. *ſq.* Multos alios Iuris Ciuilis libros, methodo ſingulari compoſitos, diiudicat ſolide perilluſtris A SENCKENBERG in *Diſſert. de Iurisprudentia certa methodo tractanda*, quae ſecunda eſt in eiusdem *libro Semeſtrium*, *Giſſae a.* 1743. *in* 4. euulgato. Notitiam praecipuorum Auctorum, qui de *Proceſſu iudiciario* ſunt commentati, SAM. STRYKIVS, Vir magnus olim in hocce ſtudio, Collegio practico praemiſit. Addita deinde *Introductioni* eius *ad Praxin forenſem caute inſtituendam, Vitemb. in* 4. aliquoties editae. Sed breuis eſt opella haec, nimisque generalis cenſura, vt plerique alii facere ſolent. De iis, qui *Criminalia* tractarunt, Carolinamque Conſtitutionem ſiue notis, ſiue Commentariis amplioribus, illuſtrare conati ſunt, quid ſentiendum ſit, data exponunt opera GEORG. BEYERVS in *Delineat. Iuris criminalis*, et IOH. PAVLL. KRESSIVS in *Commentat. ſuccincta in Conſtit. Criminal. Caroli V. Imperatoris*, et vterque quidem in *Praefatione*, libro ſuo praefixa. *Iuris Canonici* Scriptores, a quibus Compendia, aut Syſtemata habemus, magno numero recenſet, et cuius metalli ſint eadem, docte ſignficat Vir illuſtris, IOH. ERN. FLOERCKIVS, *Praenotionum Iurisprud. eccleſiaſt. ſ. XXX. p.* 74. *ſq. edit. primae Ienenſis*, *a.* 1724. *in* 8. paratae. Recuſus liber longe auctior *Halae* 1756. *in* 8. *mai.* quod vero nouum exemplar iam non eſt ad manus. Eo certiora credenda ſunt iudicia Floerckii, quo luculentius doctrinam

doctrinam suam in hoc Iurisprudentiae genere comprobauit. In *Feudorum Iure* exstat ERICI MAVRITII *Nomenclator Scriptorum in Iura Feudalia*, insertus ipsius *Collect. Dissert. et Opusculor. Frf.* 1692. *in 4. p. 659. sq.* Auctor Scriptoribus ordine alphabetico productis plerumque adiicit, quid ab vnoquoque fuerit praestitum. Diu post *Tomo III. Corporis Iuris Feudalis Lunigiani* accessit *Bibliotheca Iuris Feudalis*, ordine litterarum etiam exstructa, et varia bonae frugis continens, quamuis vltima lima desideretur. Ignoro, cuinam sit labor tribuendus: Lunigio certe non vindicauerim eundem, quippe qui colligendo, quam scribendo, maluit innotescere. Forsitan schedae sunt, a GE. ADOLPHO SCHVBERTO, Icto Lipsiensi doctissimo, relictae. Meditatum enim hunc esse Iuris Feudalis Bibliothecam, cum aliunde noui, tum in *Lexico Erud. Ioecheriano, Tomo IV. p.* 366. relatum lego. Pergamus ad *Ius Publicum.* De potioribus Scriptoribus, qui ad Iuris Publici fontes faciunt, SAMVEL RACHELIVS in *Otio Nouiomagensi*, *Amstael.* 1680. *iterum*que *a.* 1685. *in 12.* agit, *Capite XVII. p.* 184. *sq.* Sed paucissima haec sunt, neque nostris temporibus magni momenti. Fusius, et plerumque veritati conuenienter, verum de antiquioribus tantum Scriptoribus, qui Acta Publica, Compendia et Systemata euulgarunt, iudicat IOH. GE. KVLPISIVS in *Dissert. de studio Iuris Publici recte instituendo, et de Scriptoribus eo pertinentibus*, quae ficto SVLPICII nomine *Stutgardiae*, quamquam loci nulla est mentio iniecta, *a.* 1688. deinde *a.* 1700. *in 8.* ac nouissime *Hal. Magd. a.* 1739. *in 4.* cum HEINECCII *Praefatione* luci fuit exposita. Idem adducit editionem, *Vitemb. a.* 1708. *in 4.* exhibitam, quae vero nunquam oculis meis occurrit. In *Biblioth. Iuris Struuio-Buderiana, Cap. XVI. §. 1. p.* 645. edit. nov. laudatur quidem EVCHAR. GOTT-

LIEB

LIEB RINKII *Progr. inaug. Altorf. a.* 1707. *in f.* non, vt ibidem antea legebatur, *a.* 1709. *in* 4. excusum, in eoque adseritur, egregie iudicari de plerisque Scriptoribus, ad Ius Publicum pertinentibus. Sed credas, quaeso, in manibus habenti Opusculum, non nisi perpauca dici ab Auctore, quae huc sint quodammodo referenda. Quam *anno* 1715. *dem Deutschen Reichs-Staat in* 4. praemisit CHRISTOPH. LAVR. BILDERBECKIVS *Bibliothecam Iuris Publici Germanici, oder Nachricht und Raisonnement von denen zum Iure Publico German. gehörigen Scribenten und Büchern*, ea Bibliotheca, ob varia notabilia, et iudicia passim exacta, laudem meretur; ordo tamen confusus est, magnaque librorum pars adlata, quam nemo facile in Bibliotheca Iuris Publici quaesiuerit. Condonanda haec interim Auctori, iam tunc temporis rebus forensibus, aliisque negotiis grauioribus, vehementer obruto. Nunc meliorem vtique formam, et ornamenta insignia, habent schedae istae Bilderbeckianae beneficio ADAMI FRID. GLAFEY, qui *Lips. a.* 1738. *in* 4. *mai.* nouam dicti Operis, *Deutscher Reichs-Staat* inscripti, editionem protulit, atque hac etiam occasione Bibliothecam Iuris Publici haud reliquit intactam. Breuissima est, vnam quippe non excedens plagulam, iudiciis tamen distincta *Consignatio Scriptorum Iur. Publici praecipuorum*, quae in *Tomo IV. Vitriarii illustrati Pfeffingeriani p.* 737. *sq.* locum obtinuit. IOH. HENR. BOECLERO tribuitur opella a IAC. CAR. SPENERO *im Deutschen Iure Publico, Parte I. cap.* 13. *p.* 396. Quod integrum Caput Notitiam quoque suppeditat scriptorum Iuris Publici, methodique, qua fuere composita. Inter omnes autem, qui hoc in argumento moliti sunt aliquid, felicissime partes peregit suas IOH. IAC. MOSERVS. Edidit is primum, occultato nomine, *Frf. et Lips. a.* 1722. *sq. in* 8. *Vnpartbey-*

partheyische Vrtheile von iuridisch. und historischen Büchern. Iustae molis liber est, *Partes VI.* comprehendens, in quibus, praeter historica et alia quaedam, de scriptis Iuris Publici verba facit potissimum, eademque, adductis semper singularibus rationibus, laudat, vbi recta deprehendit, culpat e contrario, si naeuis vitiisque laborare haec ipsa existimet, ita, vt nullus fere Auctorum sine censura seueriore dimittatur. Simili postea methodo vsus est in *Bibliotheca Iuris Publici S. R. Germanici Imperii*, cuius *Partes III. in 8.* prostant, *Stutgardiae a.* 1729. 1730. et 1734. Germanorum itidem lingua diuulgatae. Accesserunt Parti tertiae *p.* 1220. *sq.* Supplementa ad binas priores, Indicesque tres, Auctorum nempe, Anonymorum, ac rerum praecipuarum. Recenset hic Vir doctissimus non maiora tantum Opera, sed libellos quoque ac Dissertationes Academicas; et quamquam non pauca repetiit ex priori libro, complura tamen addidit, antea haud obseruata. Iudicia eius ad veritatis normam vbique adcommodata esse, contendere non ausim. Varia potius occurrent Lectori, in Iuris huius scientia non hospiti, quae ipsi adcuratiori digna examine videantur. Nihilo autem minus pleraque sunt probanda, vellemque ego non solum, vt longius produxisset filum hoc Moserus; sed etiam, vt in caeteris Iurisprudentiae partibus libros eiusmodi haberemus. Idem ille Polygraphus Parti I. *des Deutschen Staats-Rechts*, *Cap. II. p. 7. sq.* inseruit Catalogum Scriptorum Iuris Publici, ordine alphabetico concinnatum, iudiciisque suis distinctum: plurima tamen hausit ex Bibliotheca supra laudata, ad quam saepissime ipse prouocat. Adhiberi porro vtiliter potest clarissimi Viri, HENR. GOTTLIEB FRANCKII, *Notitia vberior variorum Iuris Publici Systematum*, praemissa *scriptorum aliquot Collectioni de fatis, methodo, fine et obiecto Iuris Publici, Lips.*

*Lipſ. a.*1739.*in*4. pariterque eiusdem *Notitia ſubſidiorum Iuris Publici, maxime litteraria*, quae ornat PHIL. REINH. VITRIARII Commentationem de *adminiculis Iur. Publ. Rom. Germ. ibid. a.* 1740. *in* 4. recuſam. Eos ſpeciatim, qui *Commentarios in Auream Bullam* conſcripſerunt, critico perluſtrat oculo, exacteque de ſingulis ſententiam dicit LVDEWIGIVS in *Praefat. Partis II. der vollſtänd. Erläuter. der güldenen Bulle*, a *p. 5.* vsque ad *p. 25.* Quodammodo ad cenſores Scriptorum Iuris Publici pertinet quoque IOH. FRID. GVIL. A NEVMANN, (hunc enim auctorem dicit V. A. GE. HENR. AYRERVS Progr. *de Principe, herede priuati p. 5. in not.*) propter *Bibliothecam Iuris Imperantium*, quae *Norimb. anno* 1727. *in* 4. prodiit. Ibi certe maiorum Gentium Scriptores cum cura laudatos, eorum Vitas repraeſentatas, doctorumque hominum de ipſis iudicia eſſe addita, haud immerito confirmatur in *Actis Erud. Lat. a.* 1727. *p.* 357. Interim facile mecum conſenties, plura vtique dari potuiſſe; quod ſi placuiſſet Auctori, longe amplior foret libri vſus. Nec praetermittendum eſt denique *Ius Germanicum*, quod hodie tam nobili feruore excolitur. De iis, qui Syſtemata et Compendia condiderunt, egregie eleganterque diſſerit, ſolidamque ſubiungit epicriſin, Vir illuſtris, IOH. HENR. CHRIST. DE SELCHOW, Academiae Gottingenſis ornamentum, in *Hiſtoria Syſtemat. et Compendior. Iur. Germanici*, praefixa *Inſtitutionibus Iurispr. German. Hanouerae* 1757. *in* 8.

§. V.

Pergimus ad ſtudium medicum, in quo primum, quantum conſtat, cenſendi laborem ſuſcepit CONR. GESNERVS, prout paſſim conſpicitur ex *Bibliotheca* eius *vniuerſali*. Idem in ſingularibus quoque Praefationibus veterum Graecorum, Romanorum,

rum, Arabum, recentiorumque Medicorum Opera, ad rem botanicam, pharmaceuticam, et chirurgicam spectantia, adcurate, ac sine partium studio, sub examen vocauit. PETR. A CASTRO in *Bibliotheca Medici eruditi*, *Patauii a.* 1654. *in* 12. excusa, Notitiam quidem optimorum librorum medicinalium suppeditare constituit; at parum feliciter in hoc versatus est conatu. Scripta enim maximi momenti aut omisit plane, aut, si recensuit, minus sincere diiudicauit interdum. Melior libello forma data, cura ANDR. PASTA, qui eundem iterum auctiorem exhibuit *Bergomi a.* 1742. *in* 8. Laudant hanc editionem Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1745. *p.* 280. *sq.* a quibus vero, quod mireris, insigniter discrepant, quae leguntur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1743. *p.* 202. Tollant dissensum, qui visu sunt talibus in rebus exercitati. Inter paucos illos, quos habemus, generis huius libros principatum adhuc obtinet HERM. CONRINGII *Introductio in vniuersam artem medicam*, *singulasque eius partes*, optime diuulgata cum Additamentis GÜNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI *Helmst. a.* 1687. *in* 4. Nouissime *Hal. Magd. a.* 1726. *ead. forma* prodiit, FRIDERICI HOFFMANNI Praefatione ornatior *de recta methodo discendae Medicinae*, *deque praestantissimis ac recentissimis Scriptoribus medicis*, quae tamen editio, multis inquinata mendis, neutiquam commendatur a SCHEFFELIO in *Vita* SCHELHAMMERI, *Epistolis* ad eundem *selectioribus* praemissa, *p.* 48. *sq.* vbi etiam copiosius de libro Conringiano, eiusque editionibus, actum fuit. Egregius ille omnino est, quippe non generalis tantum medicae artis idea in eodem deprehenditur, cum historia Medicinae sectisque variis, sed etiam de quauis Medicinae parte potiores Scriptores diiudicantur. Vtilissimus ergo erit omnibus salutaris artis studiosis, qui quidem de pretio ac genio

plurimorum ac praecipuorum librorum medicorum tuto paritersolideque cupiunt informari. Nam quemadmodum Virum hinc summum in multiscientia paucissimi aequarunt; ita profecto pauciores longe inueniantur, qui facultate iudicandi, et sincero veritatis amore, superiores illi fuerint. Vid. KESTNERI *Biblioth. medica, Cap. I. §. 16. p. 54. sq.* cuius me vitulo arasse hic, lubens profiteor. Sperato plausu non excepta est IOH. IAC. MANGETI *Bibliotheca Scriptorum medicorum*, in qua libros simul eorum cum epicrisi recensere voluit Auctor. Repete, si lubet, supra memorata *Cap. VII. §.* 34. In GOTTLIEB STOLLII *Anleitung Zur Historie der medicinischen Gelahrheit, Ienae anno* 1731. *in* 4, quod Opus magna ex parte laudato KESTNERO debetur; nec non in dicta eiusdem *Bibliotheca medica, ibid. a.* 1746. *in 8. mai.* edita, frequentissima etiam de scriptis medicis iudicia occurrunt, quae considerata esse, rariusque fallere, harum rerum periti mihi adfirmarunt. Nunc successit Anonymi *Bibliographie medicinale raisonnée, Paris. a.* 1757. *in 12. mai.* quo tamen de libro vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1758. *p.* 577. Vsurpari commode poterunt etiam, quae FRID. BOERNERVS in *Noctibus Guelphicis Rostoch. a.* 1755. *in 8. p.* 161. *sq.* de variis libris medicis disseruit; quibus addidit *Vitemb. a.* 1756. *ead. forma Relationum de libris physico-medicis, partim antiquis, partim raris, Fascic. I.* Botanicorum speciatim labores euulgatos ex instituto examinauit IOSEPH. PITTON. TOVRNEFORT, ita quidem, vt harum indolem, pro cuiusque valore ac merito, libero et veraci plerumque scribendi genere adumbrauerit. Factum id in elegantissima *Isagoge in rem herbariam*, praemissa eius *Institutionibus rei herbariae, Paris. a.* 1700. *in* 4. *Tomis III.* longe auctius excusis. Antea enim idem liber *a.* 1694. *in* 8. *Vol. III.* Gallice lucem adspexerat. Cf. KESTNERVS *l. c. p.* 21.

§. VI.

§. VI.

De Philosophis antiquis pariter ac recentioribus, eorumque scriptis, passim iudicauit et libere quidem, non autem solide semper, RENAT. RAPINVS in *Reflexions sur la Philosophie.* Hoc scriptum, cum aliis de Eloquentia, Poesi, et Historia coniunctum, ipse Auctor *Paris. a.* 1684. *in* 4. edidit, atque Operum suorum diuersorum (*Oeuvres diverses*) Tomum II. vocauit. Statim haec recusa *Amstael. a.* 1686. *in* 12. iterumque *a.* 1709. *Vol. III.* et nouissime, quantum sciam, *Hagae Comit. a.* 1725. *in* 12. *mai.* Vol. totidem. Exacte, atque sine partium studio, talium quoque hominum doctrinas examinauit IAC. BRVCKERVS V. C. in *Historia critica Philosophiae*, Opere alibi iam laudato. Idem fecerunt HEVMANNVS in *Actis Philosophorum*, STRVVIVSque, et, qui continuarunt eius laborem, ACKERVS, LOTTERVS atque KAHLIVS, in *Bibliotheca Philosophica, Gött. a.* 1740. *in* 8. *mai.* optime edita. Neque STOLLII *Historie der philosophischen Gelahrheit* hac in re sine fructu dimittet Lectores. Optant modo complures, quos inter REIMMANNVS est, vt Auctor in iudicando maiore Παῤῥησίᾳ, et libertate, et animi robore fuisset vsus. Vid. *Catal. Bibl. Reimmann. Tomo II. p.* 117. Age! ad singulas nunc Philosophiae Partes oculos conuertamus. In *Theologia naturali* prostat IOH. ACHAT. FELICIS BIELCKII *Historie der natürlichen Gottesgelahrheit, vom Anfange der Welt, bis auf gegenwärtige Zeiten, abgefasset.* Prodiit Pars I. et II. *Cellis Luneb. anno* 1742. in 4. Partis III. Sectio prior *ibid. a.* 1748. Sectio altera *a.* 1751. successit hoc titulo: *Neuere Geschichte des in göttlichen Dingen, in so fern sie aus dem natürlichen Lichte der Vernunft erkannt werden, zunehmenden menschlichen Verstandes.* Non sine plausu exceptus est liber, in quo doctus Auctor saepenumero de scriptis ad argumentum suum spe-

ctantibus sententiam dixit. De multis eorum, qui *Philosophiam rationalem* illustrare studuerunt, vsque ad annum Christianum 1600. egit, mentemque suam aperuit IAC. FRID. REIMMANNVS in *dem critisirenden Geschichts-Calender von der Logica*, *Frf. a.* 1699. *in* 8. Quosdam item diiudicauit CLAVDIVS BVFFIERIVS in fine libri, *les Principes du raisonnement* inscripti, editique *Paris. a.* 1714. *in* 8. Recusus est postea *ibid. a.* 1732. *in f.* in eiusdem *Cours de Sciences* caet. IOH. GE. WALCHIVS etiam, Vir venerabilis, *Historiae Logices*, quae partem explet *Parergorum Academicorum*, *Lips. a.* 1721. *in* 8. euulgatorum, iudicia non nunquam inseruit. Huic addendus denique ANTONIVS *Genuensis*, a quo *Venetiis a.* 1746. *in* 8. exhibiti fuere *Artis Logico-criticae libri V.* In his enim elegantis ingenii hominem exposuisse, quid ipsi videatur de praecipuis Scriptoribus logicis, Germanicis quoque, testis est KAPPIVS in *Obseruat.* IVVENELII DE CARLENCAS *Versuch einer Geschichte der schönen und anderer Wissenschaften*, *P. I. p.* 199. subiuncta. Quam vero *Logicae Wolfianae*, *in Compendium et luculentas tabulas redactae*, *Helmst. a.* 1746. *in* 4. praemisit *Bibliographiam logicam singularem* IOH. NICOL. FROBESIVS, ea satis quidem diligenter Scriptores recenset, qui Logices doctrinas explicarunt; at rarissime indicauit Auctor, quidnam cuiuis libro, vel commentationi, sit dignitatis tribuendum. Iam ante sexaginta hos annos moliebatur IOH. PETR. A LVDEWIG *Polyhistorem Logicum*, grande Volumen, cuius Schema exstat in *Opuscul. miscell. Tomo. II. p.* 726. Dolendum est, illud nunc librorum promissorum numerum augere. In *Philosophia naturali* habemus HERM. CONRINGII *Introd. in naturalem Philosoph. Helmst. a.* 1638. *in* 4. vbi Virum πολυμαθέστατον adcurate disputasse *Cap. II.* quod potissimum operae pretium

quique

quique Auctorum fecerint, vel minus, adserit VOGLERVS *Introd. vniuersalis in notit. bonorum Script. Cap. X. p. m. 58.* Ni fallor, idem Tractatus, forsitan auctior, prodiit *ibid. a.* 1657. *in* 4. hoc insignitus titulo: *de natura Physices eiusdemque auctoribus.* Hoc saeculo successit IVLII BERNH. A ROHR *physicalische Bibliothec*, quo in libro, *Lips. a.* 1724. *in* 8. publicato, aliqua ex parte diiudicantur ii, qui hoc studiorum genere inclarescere voluerunt. Quum autem varia desiderarentur adhuc, et exemplaria diuendita essent, auctior editio atque emendatior *ibidem a.* 1754. *in* 8. adornata est a Viro his in rebus longe versatissimo, ABRAH. GOTTHELF KAESTNERO. Eiusdem Rohrii huc et referri potest *Compendieuse Haushaltungs-Bibliothec*, *ibid. a.* 1716. et nouissime auctius *a.* 1755. *in* 8. Memorat hic recentiores, qui de Oeconomia, praecipue rurali, scripserunt, Auctores, vtilesque non solum obseruationes hinc inde intermiscet, sed etiam sua de huius argumenti Scriptoribus iudicia expromit. Ad *Philosophiae moralis* Scriptores facit HENR. IVLII SCHEVRLII *Bibliographia moralis*, *Helmst. a.* 1648. ac denuo, cum Indice Auctorum ac rerum memorabilium, *ibid. a.* 1686. *in* 8. excusa. De priscis, qui moralia tractarunt a Pythagora, vsque ad Boethium, atque de scriptis eorundem, haud male iudicat, laudandusque foret conatus, si quis librum hunc, iam parum obuium, emendatiorem et ad nostra tempora continuatum, recudendum susciperet. Postea CASP. GOTTSCHLINGIVS *Lipsiae anno* 1701. *in* 4. *Bibliographiam ethicam* luci exposuit, in quo breui Opusculo *nonnulli Scriptores Ethicae, praecipue Galli, recensiti et iudicati offeruntur.* Nec praetermittenda *de Scriptoribus, quorum virtus singularibus in morum doctrinam meritis illustratur*, SEBAST. KORTHOLTI *Dissertatio.* Typis est *Kilonii a.* 1706. *in* 4. *impressa.* GEORGII PA-

SCIII *Introductio in rem litterariam moralem veterum Sapientiae Antistitum*, quae Adpendix est Tractatus *de variis modis Moralia tradendi*, *ibid. a. 1707. in 4.* editi, quamquam ad Historiam potissimum philosophicam Graecorum spectat, scripta tamen antiquorum Philosophorum de morali doctrina aeque percenset, eademque sub examen vocat. Omnis Gentilium Philosophia moralis quid recti prauique contineat, erudite docuit GOTTLIEB STOLLIVS in *der Historie der Heydnischen Morale, Ienae a. 1714. in 4.* Copiose de hoc libro differitur in HEVMANNI *Actis Philos. Vol. II. P. 7. p. 144. sq.* itemque in *Supplem. Actor. Erud. Lat. Tomo VI. p. 282. sq.* De morali Patrum Ecclesiae Philosophia sigillatim verba fecit IOH. BARBEYRACIVS in *Praefat.* Gallicae Operis Pufendorfiani *de Iure Nat. et Gent.* versioni praefixa. Quo ipso loco quum acerrimum egisset censorem, ei se opposuit REMIG. CEILLIERIVS, *Parisiis*que *a. 1718. in 4.* diuulgauit *Apologie de la Morale des Peres de l' Eglise contre les injustes accusations du Sr.* BARBEYRAC. Diu tacuit Barbeyracius, aliis implicitus negotiis. Tandem vero *Amstael. a. 1728. in 4. mai.* exiit eiusdem *Traité de la Morale des Peres de l' Eglise*, in quo multo doctrinae adparatu respondit aduersario, et quam leuiter studia haec attigerint boni Viri, ope artis criticae demonstrauit. *Iuris naturalis* libros qui nosse haud sine epicrisi voluerit, is adeat IOH. BALTH. WERNHERI Differt. *Lips. a. 1699.* editam, *qua iudicium de praecipuis Iuris Nat. Scriptoribus proposuit*, GROTIO nimirum, SELDENO, HOBBESIO et PVFENDORFIO. Exstat etiam inter ipsius *Dissertationes Iur. Nat. Vitemb. a. 1721. in 8.* Dissertatione XII. Idem argumentum pertractauit CAROL. OTTO RECHENBERGIVS in *Progr. inaugurali*, quum nouam Professionem Iur. N. et G. capesseret, *Lips. a. 1711. in 4.* Plenior autem, et iudicio-

diciorum copia locupletior est IOH. FRANC. BVDDEI *Historia Iuris naturalis*, primum VITRIARII *Instit. Iur. N. et G. Halae M. a.* 1701. *in 8.* adiecta, post non mediocriter adaucta, *Selectis*que *Iuris N. et G. ibidem. a.* 1704. *in* 8. inserta. Eodem *anno* 1701, quo labor Buddei laudatus innotuerat, IAC. FRID. LVDOVICI *Halae in* 4. exhibuit *Delineationem Historiae Iuris diuini naturalis et positiui vniuersalis*, repetitam typis *ibidem a.* 1714. *in 8.* quae altera editio, emendata non solum, sed multis etiam accessionibus amplificata, priori vtique praeferenda est. Maximam partem natum Opusculum ex scholis Thomasianis. Imo BEYERVS, Ictus ille Vitembergensis, alibi memoratus, plagii accusauit Auctorem, quod plurima hauserit ex Praelectionibus eius manu exaratis de Scriptoribus Iuris Naturae, sibique vindicauerit, ne ordine quidem mutato. At casu id accidere potuisse, quum Beyerus et Ludouici discipuli Thomasii fuerint, existimatur in *Bibliotheca Iuris Imperantium p. 3.* Sequuta est *Lips. a.* 1723. *in 8.* GE. ANDR. VINHOLDI *Notitia Scriptorum Iuris Naturae*, in quo plagularum octo libello trecentos fere Auctores, scripta autem longe plura, ordine alphabetico, recenset Vinholdus, ac de plerisque epicrisin aliquam subiungit. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1724. *p.* 326. Eodem tempore ADAM. FRID. GLAFEY sermone vernaculo protulit *Frf. et Lips. in 4. Ius Nat. et Gentium*, cui Historiam eius, et Bibliothecam scriptorum, hanc disciplinam illustrantium, adiecit. Noua editio, eaque praestantior, comparuit *ibid. a.* 1732. in 4. Tum *Lips. a.* 1739. *ead. forma* separatim Auctor publicauit *die vollständige Geschichte des Rechts der Vernunft, worinn die in dieser Wissenschaft ans Licht getretene Schriften nach ihrem Inhalt und wahren Werth beurtheilet werden* caet. *nebst einer Bibliotheca Iuris Nat. et Gentium.* Haec solos

los librorum ac minorum ſcriptorum titulos, ordine alphabetico; continet, negarique haud poteſt, non vno loco parum adcuratum perfectumque eſſe laborem. In ipſa e contrario Iuris naturalis Hiſtoria maiorem adhibuit diligentiam Glafeius, et quam plurimi, quos in hac diſciplina habemus, libri cuius ſint farinae, modo non vulgari aperuit. Ad Glafeii Bibliothecam Iur. Nat. et Gentium emendationes et ſupplementa parauit V. C. CHRIST. FRID. GE. MEISTERVS, eorundemque *Specimina duo Gottingae a.* 1740. *et* 1741. *in* 4. Germanice curauit excudenda. Deterruit eum inſtitutum, difficultatis moleſtiaeque pleniſſimum, a continuatione. Ipſe potius *Bibliothecam Iuris Nat. et Gentium* componere maluit, quam exornandis aliorum ſchedis operam impendere. Nec euentu caruiſſe conſilium, inter omnes conſtat. Pars enim prima *anno* 1749. altera ac tertia, cum Auctorum Indice, *a.* 1757. *in 8. Gottingae* prodiit. Ordine itidem alphabetico vſus eſt Vir doctus, et varia de ſcriptis memoratu digna, maxime in Parte altera et vltima, congeſſit, ſaepeque eorum argumenta concinna perſpicuaque oratione complexus eſt. Parcus tamen eſt in iudiciis ferendis, quod ſi non feciſſet, iucundior foret atque vtilior labor eius Lectoribus. Praeter haec, quod pace illius dictum ſit, quaedam paſſim occurrunt, quae, mea quidem ſententia, non collocanda fuerant in Bibliotheca Iuris naturalis. Tollentur haec forſitan curis ſecundis, ſi otium aliquando contigerit Auctori occupatiſſimo. Hic denuo commendanda etiam, de qua iam ſupra actum, *Bibliotheca Iuris Imperantium*, cuius quippe conditor de praecipuis Iuris naturalis libris quid ſentiat, crebro declarauit. Pergendum ad *Philoſophiam ciuilem*, in qua primum eſt producenda GABR. NAVDAEI *Bibliographia politica.* Aliquoties, poſt editionem *Venetam a. 1633. in 12.* abſolu-

solutam, recusus est libellus; etiam in CRENII *Consiliis et methodo aurea Studior. optime instituend. Roterod. a. 1692. in 4:* nouissime autem, cum animaduersionibus selectis FRID. GLADOVII, *Hal. M. a. 1712. in 8.* Non de omnibus, sed de Scriptorum politicorum delectu potius, differit Naudaeus, et, quid sit in singulis praecipui, indicat, adeo, vt nec hodie plane inutilis haberi debeat opella. Immiscuit tamen ad rem non pertinentia, passimque in eos exarsit, quos credidit haereticos, ac exteros multos, eosque egregios, vel praetermisit, vel non satis aeque de iisdem iudicauit. Ordo etiam, quo vsus est, paucis placuit. Cf. *Biblioth. Philosoph. Struuio-Kahliana, Tomo II. p.* 135. et IOH. ANDR. BOSII *Diatr. isagog. de prudentia et eloquent. ciuili comparanda, §.* 84. *p.* 37. Idem NAVDAEVS in *Bibliographia militari*, quam ex Syntagmate *de studio militari, Romae a.* 1637. *in 4.* edito, desumsit, ac *Ienae a.* 1683. *in 12.* publicauit GE. SCHVBARTVS, multos excussit huius argumenti Scriptores, eorundemque virtutes ac vitia saepius ante oculos posuit. Postea HERM. CONRINGIVS in examinandis politicorum Scriptorum meritis laudabiliter versatus est. Debetur enim industriae eius *Differt. de natura et optimis Auctoribus ciuilis prudentiae; Differt. de Auctoribus politicis;* itemque alia *Diss. de ciuili prudentia, eiusque optimis ac praecipuis Scriptoribus, Helmstadii a.* 1673. *in 4.* primum exhibita. Tres hasce Dissertationes *Tomo III. Operum Conringianorum in fol.* inseruit IOH. GVIL. GOEBELIVS, Ictus olim Helmstadiensis magnae famae, ibidemque statim initio occurrunt. Alteram *de Auctoribus politicis* tunc manu scriptam adhuc, et a REIMMANNO suppeditatam, primum euulgauit Editor, adeoque optatis respondit STOLLII in *der Historie der Philosophischen Gelahrheit P. III. cap. 5.*

ſ. 6. p. 724. edit. nov. Eodem in Tomo Conringianorum Operum exſtat quoque NAVDAEI *Bibliograph. politica.* BOSIVS porro in Opuſculo adducto huc ſpectat. De Scriptoribus enim, qui ad cognoſcendam Politicam faciunt, iudicat egregie. Denique mentio iniicienda *Bibliothecae politico-heraldicae ſelectae*, quam CAROL. ARNDIVS *Roſtoch. a.* 1705. *in 8.* edidit. Acceſſit ſtatim *a.* 1706. *ead. forma* eiusdem *Bibliotheca aulico-politica.* Vtroque in libro, non ſane contemnendo, aliorum potius, quam ſuam, de ſcriptis memoratis ſententiam propoſuit Auctor. Aeſtimanda tamen induſtria eius propterea eſt, quod plurium iudicia de Pragmaticis praecipuis, iisdemque recentioribus etiam, in vnum congeſſerit. Multa ſimul de Machiauello profert et Monarchomachis haud vulgaria, vt illis ergo, qui librorum non ſunt inſtructi adparatu, vtilis eſſe queat. Hoc interim videtur deſiderandum, quod iuſtum ſatis ordinem non vbique obſeruauerit. In Bibliotheca aulico-politica Scriptores de Miniſtris Principum et vita aulica eadem, quae in priori libro ipſi placuit, methodo recenſet. De *Politicis Lipſianis* egit ſigillatim, virtutesque ac naeuos eorum candide detexit IOH. HENR. BOECLERVS Diſſertatione quadam, *Argent. a.* 1642. *in 12.* publicata, quae in ipſius *Diſſertationum Academicarum Tomo III, ibid. a.* 1712. *in 4.* excuſo, *p.* 352. *ſq.* legi nunc poteſt. Idem argumentum eleganter docteque pertractauit, nomine ſuo non adiecto, IOH. PHIL. SLEVOGTIVS in Diſſ. de IVSTO LIPSIO, *deque libris eiusdem politicis.* Edita eſt *Ienae a.* 1689. *in 4.* Recudendam eam curauit, ſed per errorem CASP. SAGITTARIO attribuit, IOH. GERH. MEVSCHENIVS in *Vitis ſummorum dignit. et erudit. Virorum, Tomo IV. p.* 191. *ſq.* Prodierant aliquando *Iudicia de nouiſſimis prudentiae ciuilis Scri-*

ptoribus

ptoribus ex Parnasso, *cum* EVBVLO THEOSDATO SARCKMASIO *in secessu Albipolitano ingenue communicata*, *Martismonte a.* 1669. *4.* Ob insignem raritatem inserta hoc saeculo fuere GROSCHVFFII *Nouae libr. rarior. Collect. Fascic. II. p. 218. sq.* Ibidem *Fasc. III. p. 444. sq.* exstat *Continuatio*, ex MSto depromta, sed imperfecto admodum ac deprauato. Auctorem verum esse CONR. SAM. SCHVRTZFLEISCHIVM, qui Graeco nomine se occultare voluit, iam nemini est ignotum, pertinentque haec iudicia ad Viros celeberrimos, tunc temporis adhuc viuos, Conringium, Boeclerum, de Monzambano, Burgoldensem, seu Oldenburgerum, Lentulum, Rachelium, Martinum, Sprengerum, Ioh. Frider. et Gorg. Hornios, le Bleu, Phil. Iac. Spenerum, Relfendso, Loccenium, Textorem, aliosque, quorum laudauit nonnullos, plures censura sua, nimio sale permixta, irritauit. Multa vero nata exinde sunt Auctori incommoda. Non enim publice damnata tantum fuere istae pagellae a Senatu Academico Vitembergensi, sed ipse Schurtzfleischius quoque, proscriptus ex hac Academia, alibi commorari per quoddam temporis interuallum coactus est. Praeterea plures contra eundem ad arma descenderunt. Statim dicto *anno* 1669. *Argentor. in 4.* adparuit PETRI NASTVRTII (i. e. *I. H. Boecleri*) *Iudicium de Iudiciis*, *quae in nouissimos ciuilis prudentiae Scriptores exercere voluit* SARCKMASIVS. In Epistolis, quae adhaerent, aperte declaratur, Schurtzfleischium esse Iudiciorum architectum, qui proinde censuram expertus eandem est, qua vsus in alios fuerat, quantumuis Boeclerus non tam acute, vt ille scripserat, responderit. LENTVLVS caussam ipse suam egit, sed anonymus, in *ὑπερασπισμῷ pro scriptis Cyriaci Lentuli: aduersus nouum Criticum, iudicia de Politicis cerebroso e Parnasso proferentem*, *Marb. Cattor.* 1669.

1669. 4. Eodem succeſſit anno eademque forma *Satyra in* EVBVLVM THEOSDATVM SARCKMASIVM, *totius Europae famigeratiſſimum Magiſtellulum et Satyricum, nugas iam in Parnaſſo vendentem, conſcripta per Theophilum, Franciſcum, Conradum, Andream, Victorinum, Fridericum* DE FRANCIMONT. Conſtat inter omnes, foetus huius illiberalis, paſſimque inepti, parentem eſſe PHIL. ANDR. OLDENBVRGERVM, cuius etiam *Itinerario Germaniae politico* deinceps adiunctus fuit. Contra hos libellos defendit ſeſe ipſe SCHVRTZFLEISCHIVS in *Initiis Vindiciarum, quas pro Sarckmaſio ſuſcepit, et ad diluendas quorundam iniquas, iuxtaque confictas inſectationes comparauit* XAVIERIVS PARANVS. *Leouardiae,* ſeu potius *Lipſ.* 1669. *in 4.* Multa hic duriora, quae ſaeculum noſtrum deteſtatur, legenti occurrunt. Sub idem tempus lucem adſpexit *Canis ſub fuſtem miſſus, ſiue correptio Sycophantae maximi,* EVBVLI THEOSD. SARCKMASII. Auctor ſcripti habetur VLRIC. OBRECHT, Boecleri gener. Porro huc pertinet *Colloquium occaſione tumultuantis Veraſii in Parnaſſo, inter Apollinem, Mercurium, Labronem a Veraſio et Sarckmaſium habitum, de Iudiciis Sarckmaſianis, non ita pridem ex Parnaſſo editis, calamo exceptum, et eruditis bona mente communicatum ab* AVG. FLORIDO DE MONTALBANO. Excuſum *Lipſiae* hoc itidem eſt Colloquium, ab aliena quidem manu; ſcilicet CHRIST. HENELII, profectum, in quo is a partibus Schurtzfleiſchii ſtat. Haec, et alia quaedam, coniuncta atque vnum in Volumen redacta, prodierunt *anno* 1711. *in 8.* ſtudio THEODORI CRVSII, qui et non nunquam addidit notarum non nihil. Inſcriptio libelli haec eſt: *Acta Sarckmaſiana, ad vſum Reipublicae litterariae in vnum corpus collecta.* VOGLERVS *Introd. vniuerſ. in notit. honor. Scriptor. Cap. X. p. m. 60.* parum honorifice ſentit de Iudiciis Sarck-

Sarckmasianis; idemque fecit IACOB. THOMASIVS in LEIBNITII *Epist. ad diuersos, Tomo III. p. 48.* En! quaedam exinde: *De Sarckmasio quid alii sentiant, ipsi viderint. Apud nos quidem neminem scio, cui se insania hominis, cum flagitiosa rabie coniuncta, probet. Nec dubitare possumus, quin illi viri, quibus blanditur, malint eum de se siluisse in libello famoso*, caet. At nimis haec rigida videntur. Multa profecto vera scripsit Sarckmasius; perpendere tamen debebat Comici illud: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Cf. STOLLII *Nachrichten von den Büchern seiner Bibliothec Vol. I. Parte VII. p. 664. sq.* et *Catal. Biblioth. Reimmannianae, Tomo II. p.* 358.

Pauca dicenda restant hoc loco de Mathematicis. Iam ante centum, et quod excedit, annos IOH. BAPT. RICCIOLVS in *Almagesto nouo*, (de quo vid. *Capitis VII. §. 37.*) et Parte quidem posteriori quid quisque praestiterit in Astronomicis, astrologicis et cosmographicis studiis, explicat, neque vero bona semper fide agit. Atro enim notare carbone solet eos, qui Curiae Romanae ingenium laboresque suos non probarunt. Vid. VOGLERVS *l. c. p. m. 61.* Meliora hauriri possunt ex CHRIST. WOLFII *Tomo IV. der Anfangsgründe aller mathematischen Wissenschaften*, quod Opus est saepius *in* 8. excusum. Ibidem in *Adpendice Notitia* occurrit *Scriptorum mathematicorum praecipuorum* cum iudicio de iisdem. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1710. *p.* 489. Idem summus Germanorum Mathematicus *Tomo II. Elementorum Matheseos vniuersae* adiecerat olim Commentationem *de scriptis mathematicis*, vnde intelligi facile potest, cuinam potissimum vsui singula inseruiant. Nunc ea ipsa Commentatio praemissa, in editione noua, *Tomo V. Halae Magd. a.* 1741. diuulgato, *p. 5. sq.* Add. IOH. CHRISTOPH. HEILBRONNERI *Ver-*

such

ſuch einer mathematiſchen Hiſtorie, Lipſ. anno 1739. *in* 8. Primam partem non ſequutae ſunt reliquae. In hac autem, quae Arithmeticae fata exponit, cenſuras librorum plerumque ſolidas interlucere accepi. De Latino Auctoris Opere alio loco diſſerui. Commode pariter adhibenda, quae *Vitemb. a.* 1741. *in* 4. lucem adſpexit, IOH. FRID. WEIDLERI *Hiſtoria Aſtronomiae*, quo in libro paſſim iudicatur eorum de ſcriptis, qui in hac diſciplina illuſtranda fuere occupati. Eiusdem proſtat *Bibliographia Aſtronomica, ibidem a.* 1755. *in 8.* Sed hic non niſi librorum tituli, ordine chronologico, recenſentur, omni plane neglecta epicriſi, quae merito exſpectanda fuerat ab homine, Mathematum peritiſſimo. Non nunquam remittit tamen ad Hiſtoriam Aſtronomiae, ſi de libro vno alteroue ibi eſt actum. Melius hac in re partes peregit ſuas MONTVCLA in *Hiſtoire des Mathematiques*, de quo Opere, nuper *Pariſiis* edito, vid. ſupra *Cap. VII. ſ ſphum* 37.

§. VII.

Inter Hiſtoricos plures reperimus, qui vel ipſi iudicarunt, vel aliorum collegerunt de libris Hiſtoricis ſententiam. FRIDER. quidem TILEMANNVS Diſcurſum philologicum, eumque elegantem, at hodie parum obuium, *de Hiſtoricorum delectu Vitemberg. a.* 1597. *in 8.* publicauit, in quo maxime certas praeſcribit regulas de quouis iudicandi, ſingula, quae adfert, exemplis probe illuſtrans. Locum hic tribuit etiam KAPPIVS ad IVVENELIVM *P. I. p.* 173. LAVR. DVCCII *Arti hiſtoricae, in qua non modo laudabiliter Hiſtoriae conſcribendae praecepta traduntur, verum etiam nobiliores Hiſtorici antiqui recentioresque examinantur, Ferrarae a.* 1604. *in* 4. Addit, ex opinione NIC. LANGLETI DV FRESNOY, Maſcar-

Mascardo, de quo paullo post, deberi, quicquid in hoc Duccii libro bonae frugis reperiatur: Sed manifesto crediderim errore, si annus quidem recte se habet in notis Kappianis, quo editum est Opusculum longe rarissimum. Tunc enim, quum prodiret id ipsum, tredecim vix annorum puer erat Mascardus. In SEBAST. MACCII *de Historicis libris III. Venet. a.* 1613. *in 4.* excusis, absurda sunt et inania iudicia, quod eo est magis mirandum, quo certius ingenium hominis et eruditionem haud vulgarem constat fuisse. Meliores fructus adferet MARINI LE ROI DE GOMBERVILLE *Discours des vertus et des vices de l'Histoire, et de la maniere de la bien écrire, Paris.* 1620. *in 4.* quo lecto libro, qui rarissimus est itidem plenusque epicriseos, facile quis et solide iudicare de Historicis potest, teste DV FRESNOY apud KAPPIVM *l. c. p. 175.* Commendari porro debent AVGVSTINI MASCARDI *dell' Arte istorica Trattati V. Rom. a.*1636.*Venet.*1655. *in 4.* et 1674.*in 12.* Admodum fuse scribit, ideoque lectio libri molesta est; eleganter tamen ac erudite suam de Historicis exponit sententiam. Suppleuit eundem atque continuauit PAVL. PIRANVS in *Dodeci Capi pertinenti all' Arte istorica del* MASCARDI, *Venet. a.* 1646. *in 4.* Vtrumque Opus ad rariora nunc referendum. Praeclarae sunt etiam DEGOREI WHEAR *Relectiones hiemales de ratione et methodo legendi vtrasque Historias, ciuiles et ecclesiasticas, cum Mantissa de Historicis Gentium particularium.* Varias accepimus editiones. Prima *Oxoniensis* est *a.* 1625. *in 8.* prolata titulo *Dissertationis de ratione et methodo legendi Historias.* Post idem libellus, *Relectiones hiemales* inscriptus, *ibid. a.* 1637. nec non *a.* 1662. *in 8.* recusus est. Posteriori huic editioni *Mantissa* modo adducta primum accessit, cuius Actor NICOL. HORSMANNVS. Noua *Cantabrigiae a.* 1684. *in 8.* fuit adornata. Sed quum

quum Anglici libri rarius in Germaniam, nec modico ſemper pretio, peruenire ſoleant, laude dignus eſt conatus IOH. CHRISTIANI NEV, quippe qui *Relectiones Whearianas Tubingae a.* 1700. *in 8.* typis imprimendas curauit. Subſequutae ſunt ipſius *Acceſſiones ad easdem anno* 1704, quibus dicta a Whearo plenius adhuc expoſuit, adiectis ſimul, quae ab eo fuerant praetermiſſa. *Anno* 1706. prodiit *eiusdem Mantiſſa ad Wheari Relectiones*, vbi rerum Germanicarum Hiſtorici praecipui, ſecundum ſaeculorum Imperatorumque ſeriem, recenſentur; ac tandem *a.* 1708. *Acceſſionum Pars II.* qua Hiſtoriae Germanicae particularis Scriptores potiores exhibentur vna cum *Mantiſſa de Hiſtoricis Gentium particularium.* Patet exinde, hanc Tubingenſem editionem reliquis omnibus longe eſſe praeferendam. Habemus etiam *Norimbergenſem anno* 1660. *in 12.* abſolutam, quae nunc tamen nullius eſt momenti. Cf. NICERONII *Vitae Eruditor. P. XV. p.* 136. *edit. Germ.* Quae ſubiuncta eſt IOH. ANDR. BOSII *Diatribis iſagogicis de prudentia et eloquentia ciuili comparanda* Notitia Scriptorum Hiſtoriae vniuerſalis, cura GEORG. SCHVBARTI *Ienae a.* 1698. *in 4.* primum diuulgata, ea ſane digna eſt Boſii ingenio atque doctrina. In Sectione priore *p.* 115. de iis, qui apud Graecos: in altera vero *p.* 159. de iis ipſi ſermo eſt, qui apud Romanos Hiſtoriam vniuerſalem condidere. De plurimis quid ſit ſtatuendum, apte docet ac rationibus ſubinde confirmat. Pertinet huc porro ſaepius iam laudata *Bibliotheca hiſtorica Struuio-Buderiana*, quae optime *Ienae ann.* 1740. *Tomis II. in* 8. *mai.* recuſa fuit. Breuia ſunt quidem iudicia, ſed ita comparata tamen, vt non parum iis fidei haberi queat. Nec deneganda haec laus NIC. LANGLETO DV FRESNOY, cuius proſtat *Methode pour etudier l'Hiſtoire, avec un Catalogue des*

prin-

principaux Historiens. Liber primum *Paris. a.* 1713. nec ita multo post *Bruxellis*, praefixo tum Auctoris nomine, tertium vero *Lips. a.* 1714. *in 8. Tomis II.* excusus est, studio IOH. BVRCH. MENCKENII longe auctior. Germanicam in linguam translatus, nouisque MENCKENII curis ornatus, prodiit *ibidem eadem forma anno* 1718. Italice pariter, editione Menckeniana fundamenti loco posita, exiit *Venet. a.* 1716. iterumque *a.* 1726. *Tomis II. in* 8. a SEB. COLETO insigniScriptorum Italicorum Supplemento amplificatus. Vid. I. B. MENCKENII *Bibliotheca p. 242. edit. sec.* Nouissime ipse Auctor librum suum mirifice correctum locupletatumque *Paris. a.* 1729. *Tomis IV. in 4. mai.* exhibuit, qui *ibidem a.* 1734. *et* 1735. charta minoris formae, itemque *Tomis IX. in 12.* reuocatus fuit sub prelum. Sed nihil hic additum est mutatumue, ne prioris editionis possessores exinde damnum facerent. Successere tamen *a.* 1740. *et sequenti Supplementa Tomis II. in 4.* ac *Tomis III. in 12.* ad editiones *in 4.* et ad eam, quae est *in 12.* adcommodata. Nouam postea Germanicam, quod ad Catalogum Historicorum attinet, vbique copiosiorem IOECHERVM esse meditatum, indicant *die Leipzig. gel. Zeitung. ann.* 1733. *p.* 239. Et praestare omnino poterat Vir litteratissimus destinata, nisi alii labores, ac varia impedimenta, repugnassent. Interim *Gothae a.* 1752. *sq.* P. E. BERTRAM. adornauit editionem Germanicam, post FRESNOII industriam, ad altiorem perfectionis gradum perductam, cuius mihi *Partes IV. in* 8. innotuere. Plurima primi Auctoris, et eorum, qui Opus illius continuarunt, iudicia eruditorum comprobantur adsensu. De exemplaribus mutilatis editionis Gallicae, quae *annum* 1729. praefert, inspici merentur BEYERI *Memoriae histor. criticae libror. rarior.*

p. 166. sq. Commendanda quoque, ob solidam, quae plerisque libris et opusculis adscripta est, epicrisin, *Bibliotheca historica Hamburgensis*, cuius iam *Capitis VII. §.* 38. a me est mentio iniecta. *De Scriptoribus* vero, *Historiam saeculi XVII. illustrantibus*, egregia, et plena iudiciorum, nota est *Dissertatio isagogica* CHRISTIANI GRYPHII, post obitum hominis, in hoc studiorum genere non leuiter eruditi, *Lips. a.* 1710. *in* 8. typis impressa, et quadraginta plagulas implens. Honorifice recensetur eadem in *Actis Erud. Latin. a.* 1710. *p.* 250. *sq.* Atque haec de Scriptoribus iudiciorum vniuersalibus: nunc et singulares in medium producendi. Inter eos primum iure locum occupant, qui virtutes et vitia *Historicorum veterum* ob oculos ponere studuerunt. Fecit hoc de praecipuis quibusdam Graecis et Latinis IVSTVS LIPSIVS *Politicorum lib. I. cap. 9.* ad quem locum conferendus IOH. FRID. REINHARDVS in *Theatro prudent. elegant. ex Iusti Lipsii libris Politicor. erecto*, *Vitemberg. a.* 1702. *in* 4. *p.* 341. *sq.* Paucos tantum recentiores adnectit Lipsius, veluti Cominaeum, Paul. Aemilium, Iouium, Bembum, caet. VOSSII libros cum *de Graecis*, tum *de Latinis Historicis*, quorum ille *anno* 1624. hic *anno* 1627. *in* 4. *Lugd. Bat.* lucem primam adspexit, alibi iam, quum de Vitis Historicorum agendum esset, memoraui. Hic igitur notasse sufficiet, Auctorem vel suam, vel aliorum, diligenter expressisse sententiam, quantum fidei mereantur nobiliores, et quo modo dictio eorundem sit comparata. Egregius est ipsius etiam *de Arte historica* Commentarius, *ibid. a.* 1653. optime recusus, in quo Historiae naturam, Historiaeque scribendae praecepta suppeditat, et naeuos simul ac decora antiquissimorum Historicorum, vtinam et recentiorum, exquirit atque contemplatur. Contra eundem PETRVS

TRVS

TRVS LE MOYNE Opusculum *de l' Histoire Paris. a.* 1670. *in 12.* diuulgauit, Anglice postea *Londini a.* 1695. *ead. forma* redditum, de quo BIGOTIVS *ad* GVDIVM *Epist. XXXV.* ita: *Le Pere* le Moyne, *Jesuite, a publié une Dissertation de l'Art de l'Histoire; il y reprend en quelques endroits feu Mr. Vossius, et ce sous le bon plaisir de Mr. Vossius, qu'il dit estimer infiniment.* Eodem anno, quo Vossius Opus suum *de Historicis Latinis* produxerat, BALTH. BONIFACIVS *Venetiis in 4.* dedit *de quadraginta Romanae Historiae Scriptoribus excerpta*, adiecto CAROLI SIGONII *de eiusdem Scriptoribus iudicio;* quem libellum IOH. EBERH. BVSMANNVS *Helmstad. a.* 1674. *in 4.* exhibuit iterum, ac postea *Parmae a.* 1691. *Miscellaneorum Italicor. eruditor. Tom. III. p.* 483. *sq.* inseruit GAVDENT. ROBERTVS. Sigoniana iudicia recusa sunt quoque *Mediolani a.* 1737. in *Tomo VI. Operum*, a Viro docto relictorum. Profecit quidem Bonifacius ex BODINI passim *methodo ad Historiar. cognit.* VOSSIIque scriptis; at praeterquam, quod non occultauit hos fontes, multa etiam de suo contulit, vt recte iam in *Praefatione* editionis Helmstadiensis BVSMANNVS obseruauit. Apud Gallos FRANC. DE LA MOTHE LE VAYER *Jugement sur les anciens et principaux Historiens Grecs et Latins Paris. a.* 1646. *in 4.* publicauit, qui deinde Tractatus *Operibus eius*, aliquoties excusis, accessit. Optima habetur, at iam rarescere coepit, editio *Parisiensis, anno* 1669. *Tomis XV. in 12.* prelo liberata, nouoque saltim titulo repetita typis *ibid. a.* 1684. Nunc recentissima *Dresdensis* prostat, *a.* 1759. *in 8. mai.* absoluta *Tomis VII.* singulis Partes duas continentibus. Anglicam quoque laudati Tractatus super Historicis habemus versionem, *Oxonii a.* 1678. *in 8.* curante GVIL. DODWELLO adornatam. De Historicis antiquis vel suum, vel aliorum, interpo-

nit iudicium; neque tamen omnem et exactiſſimam adhibuit induſtriam; ideoque multos admiſit errores. BAELIVS in *Diction. hiſtor. et critique T. IV. v. Vayer litt. k*) ita ſcribit: *Son Traité des Hiſtoriens eſt bon; mais comme Mr.* Baillet *le remarque finement, il ne lui a pas coûté beaucoup de peine. J'y ai remarqué bien d'autres fautes, que celles, dont j'ai fait mention dans les Articles de Suetone et de Tacite.* Perſonne n'ignore, que ſes derniers Oeuvres ne ſoient bien moins raiſonnables, que celles, qu'il avoit compoſées dans la fleur et la vigueur de ſon âge. *Ce ſont les paroles de Mr.* Baillet, *Jugem. des Savans, T. I. P. 2. cap. 9.* Hactenus Baelius. Subiungi omnino debet RENAT. RAPINVS in *Reflexions ſur l'Hiſtoire Tomo II. Opp.* itemque MART. HANKII *de Romanar. rerum Scriptoribus* Tractatus, libros duos comprehendens, in quo complura congeſſit aliorum de ſingulis iudicia. Inſtituti rationem omnem intelligimus ex *Praefat. libri I.* vbi *p.* 8. *iudicia*, inquit, *ne quicquam continerent, in quo iudicium deſideres, quantum licuit, adhibuimus. Primum memores, de Scriptoribus ſcriptisque iudicia proferenda eſſe, ab iis Autorum locis, in quibus aut nudum Scriptoris nomen, aut ſolum ſcripti argumentum expoſitum legas, prorſus abſtinuimus. Deinde, animo pariter ad metam directo, non qualiacunque de Scriptoribus iudicia, ſed quae ad librorum, ab iisdem poſteritati relictorum, aeſtimationem facerent, adducenda iudicauimus. Quo nomine omnia teſtimonia de iis Scriptorum virtutibus, vitiis, et aliis rebus, quas habere cognitas de ſcriptis faciendi iudicii nihil intereſt, ſilentio tranſmiſimus.* Eadem ab ipſo ſeruata eſt methodus in libro *de Byzantinarum rerum Scriptoribus Graecis.* Plura dicere non attinet: vterque enim iam ſupra *Cap. VII. ſ.* 38. fuit in ſcenam productus.

Ibidem

Ibidem LVDOV. ELLIES DV PIN *Bibliotheque universelle des Historiens*, in quo tamen Opere vltra Alexandri M. aetatem non est progressus Auctor, abs me laudata fuit, omni instituto breuiter simul memorato. Graecos Romanosque Historicos ad Critices tribunal itidem vocauit IVVENELIVS in *Principes de l' Histoire, Paris.* 1733. *in* 12. et quidem Differt. tertia, quae inscribitur: *Abregé de la Vie des meilleurs Historiens, avec un Jugement sur leurs Ouvrages.* Consuli tandem hoc loco meretur, qui in Opere *de varia Latinae linguae aetate* Romanos Historicos non sine censura dimisit, FVNCCIVS, celeberrimus Rinteliensium Professor. *Historiae Lusitanicae*, tam ecclesiasticae, quam ciuilis, Scriptores fuse recenset, ac de singulis epicrisin addit EMANVEL TELLES DE SYLVA in Prologo *Tomo I. Historiae Acad. Regiae Histor. Lusitanicae* praefixo. Sed quum Tomus hic, *Lisbonae a.* 1727. *in* 4. *mai.* excusus, et rarissime apud nos inueniatur, et sermone sit scriptus Lusitanorum patrio, ab vsu eorum, quae disseruit Vir doctus, plerique excluduntur. Cf. interim *Acta Erud. Lat. a.* 1730. *p.* 433. Iam ante illum IOH. IAC. SCHMAVSIVS, de multis huius gentis Historicis quid sentiendum sit, exposuit in *Parte II. des Staats von Portugall, Cap.* 19. *p.* 596. *sq.* Pauca in promtu sunt, quod ad *Italiae Historicos* attinet. De Venetis tantum, cum vetustioribus, Latinis praecipue, tum de illis, qui auctoritate publica postremis his saeculis historiam Venetam scripserunt, diserte agere ac iudicare noui APOSTOLVM ZENVM in *Praefat. Tomi I. degl' Istorici delle cose Veneziane, Venet. a.* 1718. *in* 4. Plures exstant, qui data opera *Gallorum Historicos* examinarunt, quaeque laudanda in iis aut vituperanda sint, indicarunt litterarum studiosis. Ea quidem mente HERM. DIETER. MEIBOMIVS *de Gallicae Historiae periodis ac*

 prae-

praecipuis Scriptoribus Dissertationem Helmstad. ann. 1703. *in* 4. emisit, quae, vt exteris innotesceret quoque, in IOH. ALB. FABRICII *Isagoge in Notit. Scriptor. Histor. Gallicae, Hamb. a.* 1708. *in* 8. locum est vltimum nacta. Antecedit eam ibidem GRYPHII *Diatribe de Scriptoribus rerum Galliae saeculi XVII.* tunc nondum edita, paullo post vero inserta *Dissertationi* eius *isagogicae*, supra memoratae. Primus in Collectione Fabriciana Tractatus, ANDREAE nimirum DV CHESNE *Bibliotheca chronologica Scriptorum ab originibus regni Francici ad sua vsque tempora*, non nisi librorum recenset titulos, atque ideo hic nullius est vtilitatis. Inter ipsos Gallos nominandus honorifice LVDOV. LE GENDRE, quippe qui in *Nouvelle Histoire de France*, *Paris. a.* 1718. *in fol. Tomis III.* diuulgata, et initio quidem Tomi primi, per centum, et quod excedit, paginas, Historicorum Francicorum Catalogum alphabetico suppeditauit ordine, ex quo patet, quae aetas cuiuslibet, quod ingenium, quae in historiam patriam sint merita. Quo de conatu sic in *Actis Erud. Lat. a.* 1720. *p.* 50. scribitur: *Neminem sane poenitebit, illum Indicem fugitiuo perlustrasse oculo, quum inserta passim iudicia, illaque a partium studio, vt videtur, aliena, exteros in primis dimissura sint doctiores.* Vix anno interiecto IACOBI LE LONG *Bibliotheque historique de la France ibidem in f.* lucem adspexit, vbi Auctor in notis criticis et historicis probatissimorum Virorum de scriptis adlatis iudicia frequenter subiungit. Idem studiose actum esse obseruabis in IOH. BVRCH. MENCKENII Dissertatione singulari, quae nunc in *Decade Dissertationum Menckeniinarum*, a filio *Lipsiae a.* 1734. *in* 8. collectarum, *p.* 401. *sq.* occurrit recusa. Argumentum pertractat eadem *de Commentariis historicis*, *quos Galli* Memoires *vocant*, vbi potissimum tales exhibentur

ac

ac diiudicantur, qui ab huius gentis Scriptoribus compositi fuere. Optimum est Opus, ex quo plenior de iis notitia hauritur, qui in *Historia Anglorum* inclarescere voluerunt, GVIL. NICOLSONI *English historical Library.* Prodiit *Londini a.* 1696. 1697. et 1699. *Partibus III. in* 8. iterumque vno Volumine *ibidem a.* 1714. *in f.* auctius atque emendatius. Successit postea *ibid. a.* 1702. *in 8.* docti huius Viri *Scottish historical Library*, tandemque *Dublini ann.* 1724. *ead. forma Irish historical Library.* Omnes hi libri coniuncti et hoc titulo *Londini a.* 1736. *in f.* excusi fuere: *English, Scotsh and Irish historical Libraries. The third Edition, corrected and augmented.* Sed et haec editio, vti priores, non frequenter apud nos est obuia. Recensentur ab Auctore Scriptores et ciuilis et ecclesiasticae Historiae, in plerorumque aetatem inquiritur, et quibus instructi subsidiis ad conficiendos Commentarios suos descenderint, item rectene, an secus, rem gesserint, breuiter quidem, exacte tamen, indicatur. Egregie pariter laudatus supra MEIBOMIVS de Scriptoribus huius argumenti sententiam dixit in *Progr. de Anglicanae Historiae periodis et praecipuis Scriptoribus, Helmstad. ann.* 1702. *in* 4. De nostrae gentis Historicis, siue generatim, siue speciatim, complures cum epicrisi quadam egerunt, quorum principes non sunt praetermittendi silentio. Ita CASP. SAGITTARII Dissertationem breuem habemus *de praecipuis Scriptoribus Historiae Germanicae, Ienae a.* 1675. editam, deinde adiectam a IOH. DAV. KOELERO *Directorio Freberiano in Chronologos, Annalium Scriptores et Historicos, Norimberg. et Altorfii a.* 1720. ac denuo melius *a.* 1734. *in* 4. Inserta eadem est *Introductioni in Historiam rerum Germanicarum litterariam*, caet. *Lipf. a.* 1727. in 4. de quo Opusculo, huc etiam referendo, vid. *die*

Leipz. gel. Zeit. a. 1727. *p.* 256. In classe singularium Censorum, quod ad Historicos Germaniae spectat, collocandus GE. GODOFR. KÜSTERVS, conditor *Bibliothecae historicae Brandenburgicae*, quae lucem adspexit *Vratislav. a.* 1743. *in* 8. Operae me facturum credo pretium, si haec ipsius verba ex fine *Praefationis* descripsero: *Non nunquam*, ait, *iudicia de vno alteroque Scriptore adiunxi, tum, ne nudum titulum adponerem, tum, quod Bibliothecam me pandere memineram, in qua non raro colloquia litteraria institui, sermonesque ita misceri solent, vt identidem aliquid notatu dignum siue de auctore, siue de scriptis eiusdem adferatur.* De Lusaticis Historicis legendi SAM. GROSSERVS et IOH. BENED. CARPZOVIVS: ille in *Praefatione*, praefixa eiusdem *Lausitzischen Merckwürdigkeiten, Lips.* 1714. *in folio;* hic in *dem Ehrentempel der OberLausitz, ibid.* 1719. *in fol. Parte I. p.* 350. *sq.* De Palatinis agit GE. CHRIST. IOANNIS in *Praefatione* doctissima, qua DAN. PARLI *Historiam Bauarico-Palatinam Frf. ad M. a.* 1717. *in* 4. exornauit. Subsequutae sunt in eiusdem *Miscellan. Histor. Palatinae ibid.* 1725. 4. *p.* 197. *sq.* emendationes et additiones, occasione praecedentis Praefationis collectae. Saxonicae Historiae Scriptores generatim recenset, ac de nobilioribus adcurate iudicat B. G. STRVVIVS in *Biblioth. Saxonica, Halae* 1736. *in* 8. Addatur HENR. MEIBOMII *Introd. in Historiam Saxoniae, inferioris inprimis, Helmst. ann.* 1687. *in* 4. Ipse, quid hic praestiterit, declarat in *Additamentis ad* VOGLERI *Introduct. in notit. Scriptor. p. m.* 183. his verbis: *Ego quoque in Introduct. in Histor. infer. Saxon. de Scriptoribus rerum Saxonicarum, tam editis, quam ineditis, prolixe egi, addito de iis iudicio, cum id ad vtilitatem studiosae iuuentutis pertinere, semper arbitratus sum.* Praeclaris Obseruatio-

uationibus, solidisque iudiciis, abundat *Catalogus Scriptorum, Würtembergicas res omnes illustrantium*, manuscriptorum pariter et excusorum, quem congessit IOH. IAC. MOSERVS. Primum is in *Miscellaneis* eius *iuridico-historicis Frf. a.* 1729. *in* 8. *P. I. p.* 59. *sq.* locum occupauit: tum vero locupletior recusus est in Germanica editione et quidem *Tom. II. p.* 1. *sq. Annalium Sueuiae Crusianorum*, quae ab laudato Mosero *Frf. a.* 1733. *in f.* est exhibita. De *Scriptoribus Historiae Polonicae* SAM. IOACH. HOPPIVS, Praeside GABR. GRODDECKIO, *Gedani a.* 1707. Dissertationem singularem edidit, quae deinde cum Praesidis, tum VALENT. SCHLEIFFII, adnotationibus auctior praefixa est *Tomo I. Historiae Polonicae Dlugossianae*, *Lips. a.* 1711. *in f.* euulgatae. Schlieffii tamen correctiones et Supplementa demum *Praefationi Tomi II. p.* 13. *sq.* illata fuere. Ea ipsa Praefatio auctorem habet IOH. GOTTLIEB KRAVSIVM, itidemque ob varia iudicia de quibusdam gentis huius Historicis lectu dignissima est. Pertinet huc porro DAVID. BRAVNII *Catalogus de Scriptoribus Poloniae et Prussiae*, in quo quippe, vt *Capite VII.* §. 22. iam dictum est, de virtutibus ac vitiis Historicorum Polonorum solide plerumque ac magna libertate iudicatur. *De Scriptoribus Historiae Prussicae* CHRISTOPH. HARTKNOCHII Dissertatio exstat, prima inter *Selectas* eius *Dissertationes historicas de variis rebus Prussicis*, *Lipsiae a.* 1679. *in* 4. editas, et PETRI DE DVISBVRG *Chronico Prussiae* adiunctas. Ex vtroque hoc libro natum est ipsius Opus Germanicum, *altes und neues Preussen* inscriptum, *Frf. et Lips. a.* 1684. *in f.* vbi Praefatio agit *de Historicis Prussiae*, nouis passim locupletata Obseruationibus. Nescio autem, an Auctor singulis, quos percensuit, adiecerit epicrisin quandam. Fecisse id postea, plurima ex parte, certum est MICH. LILIENTHALI-

VM, in *Obseruat. de rerum Prussicarum Scriptoribus, manuscriptis pariter et impressis*, cui locus secundus *p. 85. sq.* datus in eiusdem *Selectis historicis et litterariis continuatis*, *Regiom. a.* 1719. *in 8.* Complures rerum Hungaricarum Scriptores cuius sint farinae, docte indicauit MATTHIAS BELIVS in *Praefationibus*, quas IOH. GEORGII SCHWANDTNERI *Scriptoribus rerum Hungaricarum*, *Vindob. a.* 1746. et 1747. *in f. Tomis II.* euulgatis, praemisit. Pleniorem vero *Bibliothecam Scriptorum historicorum Hungariae* summo studio composuisse, adcurate digessisse, et sententiam de singulis solide dixisse MARTIN. SCHMEIZELIVM, Professorem olim Halensem, patriaque Transyluanum, eam quoque manu exaratam se vidisse, testatur illustris BVDERVS *Bibliothecae histor. selectae Tomo II. p.* 1475. *§. I.* Dolendum est certe, librum hunc post Auctoris obitum nondum prodiisse; plane ab eo nimirum differt *Catalogus Scriptorum*, *qui res Hungariae* caet. *illustrant*, *et in Bibliotheca* MART. SCHMEIZELII *adseruantur, Halae a.* 1744. *in 8.* possessore adhuc viuo excusus. De Russiae Historicis consulenda breuis Diatriba litteraria RVD. AVG. NOLTENII *de genuinis Historiae Russicae fontibus*, *Lips. a.* 1739. *in* 4. Recensetur eadem in *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo V. p.* 235. *sq.* Scriptores denique Genealogicos diiudicat saepius IOH. HÜBNERVS, filius, in *Bibliotheca Genealogica*, *Hamb. a.* 1739. *in 8.* Rei numismaticae amatores non sine voluptate legent ANSELMI BANDVRII *Bibliothecam numariam, siue Auctorum*, *qui de re numaria scripserunt*, quae reperitur in eiusdem *Numismatibus Imperator. Roman. Tomo I. Lutet. Paris. a.* 1718. *in f.* Recusa est *Hamb. a.* 1719. *in 4.* cum notis IOH. ALB. FABRICII, ampliorem et adcuratiorem Scriptorum librorumque enarrationem continentibus, triplici etiam Indice subiuncto. Sequitur Bandurius temporis, quo quisque scripsit, ordi-

ordinem, quidque in singulis libris, et qua dexteritate quodlibet praestitum fuerit, diligenter docet. Praeterea de Auctorum industria, iudicio, eruditione, et caelaturae, si talis occurrat in eorum scriptis, artificio suam exponit sententiam, quaeque ex iis vtilitas ad illustrandam Historiam veterum, cum Graecam, tum Romanam, ad restituendas et formandas temporum rationes, atque eruendos ritus antiquos, percipi queat, sine partium studio, a quo maxime se dicit alienum esse, ingenue ac libere pronunciat. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1718. *p.* 386.

§. VIII.

Nec desunt, qui de Poetarum, Oratorum, ac generatim Philologorum Operibus iudicia litteris consignarunt. Ad Poetas quidem quod attinet, primum occurrunt bini Dialogi, *Actius* et *Antonius*, a IOH. IOVIANO PONTANO exarati, eiusque inserti *Operibus, Tomo II. edit. Basil. a.* 1538. *in 4.* Iudicia tamen de Poetis antiquis alieno, potius ingenio debet, quam suo, notante BOECLERO in *Bibliographia critica*, cura KRAVSII optime recusa, *p.* 93. Ibidem ille adducit IVLII CAESARIS SCALIGERI *Poetices libros VII. anno* 1551. iam euulgatos, MORHOFIO teste. Primam e contrario editionem, quam deinde plures aliae exceperunt, *Lugdunensem anni* 1561. *in f.* eamque optimam, splendidam, raram dicit FREYTAGIVS in *Anal. litter. de libr. rarior. p.* 824. Hos vero Poetices libros, ob sublime iudicium, et incomparabilem crisin diuinos adpellat Boeclerus. Consentit cum ipso MORHOFIVS *Polyh. Tomo I. lib.* 7. *c.* 1. *p. m.* 1007. *neque enim*, ait, *omnia solum carminum genera percensentur inibi et explicantur, sed et ipsimet veteres ac recentiores Poetae sub examen vocantur.* Praecipue de

de Latinis Poetis id egit *libro VI*, in aetates aliquot iisdem distributis. Addit posthaec Morhofius multa de plagio Auctori, vt putat, inique obiecto, tandemque sic pergit: *Caeterum, quod κρίσιν Scaligeri concernit, non semper illa probanda est, quippe audacior haud raro et tantum non temeraria: id quod ex eius iudicio de Statio manifeste patet, quem nimiis laudibus extollit: vt de iis nil dicam, quae in contemtum Homeri et Horatii adfert, et quae ab aliis confutata alibi indicauimus.* Quae de PETRO CRINITO, LILIO GREGOR. GYRALDO, aliisque, hic etiam loci memorandis, *Capitis VII.* §. 39. adlata fuere, ea facili negotio repeti a Lectore beneuolo possunt. Iam addendi sunt alii, quorum in hoc argumento labores quendam sibi locum vindicant. Hos inter aurem vellit RENAT. RAPINVS, auctor Opusculi, *Reflexions sur la Poetique, et sur les Ouvrages des Poetes anciens et modernes* inscripti, quod obuium est in *Tomo II. Operum Gallicorum*, saepius, vt alibi ostendi, editorum. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1686. *p.* 265. *sq.* In BAILLETI *Jugemens des Savans* caet. de quo Opere copiose actum supra, *§. II. huius Capitis*, integri duo Tomi, *tertius* nimirum *quartus*que, Poetarum recensioni consecrati sunt. Lectores harum rerum satis peritos poscit THOMAS POPE BLOVNT, qui ex optimorum Criticorum scriptis iudicia congessit in libro iam rarissimo *de re poetica: or Remarks upon Poetry; with Characters and Censures of the most considerable Poëts, wether ancient or modern. Londini* 1694. *in 4.* Incipit ab AESCHYLO, finemque dicendi facit cum EDMVNDO WALLERO, Poeta Anglico. Vtilissimo deinde consilio IANVS BERKELIVS collegit et *Lugd. Bat. a.* 1704. *in 8.* edidit *Dissertationes selectas criticas de Poetis Graecis et Latinis:* nempe IAC. PALMERII κριτικὸν ἐπιχείρημα pro

Luca-

Lucano contra Virgilium; REN. RAPINI *Comparationem Homeri et Virgilii*, a docto quodam Viro Latine redditam; DAVIDIS BLONDELLI *Comparationem Pindari et Horatii*, ab ipso Berkelio de Gallico conuersam; nec non IAC. TOLLII *variorum Graecorum Poetarum cum Latinis Comparationes*. Exstant exemplaria, quae *annum* 1707. praeferunt: at bibliopolae titulum saltim mutarunt, artificio ipsis familiari. Pleni sunt etiam bonae frugis IANI VINC. GRAVINAE *de ratione poetica libri II. Romae a.* 1708. *in 4.* Italico sermone diuulgati, vbi antiquos aeque Graeciae Latiique Poetas, ac recentiores patriae suae, ad artis criticae tribunal vocat, aequa lance cuiuslibet Veneres naeuosque ponderans. Non vulgari modo de hoc ipso libro differitur in *Act. Er. Lat. a.* 1709. *p.* 504. *sq.* Gallice reddidit eundem IOH. BAPT. REQVIER *Paris. a.* 1755. *in 12. Vol. II.* Vid. FRERON *Année littéraire* 1755. *Tomo V. p.* 26. *sq.* Adcurati Critici laudem reportauit IOH. BAPT. DV BOS ex *Reflexions critiques sur la Poesie, et sur la Peinture.* Primum liber iucundus lectu prodiit *Paris. a.* 1719. *Vol. II. in 12.* post autem correctior *Vltrai. a.* 1732. *in 8.* totidem Voluminibus, item *Paris. a.* 1740. ac nouissime 1755. *in 12. mai.* et *in 4. Vol. III.* De postrema editione in *Année littéraire* 1755. *Tomo VIII. p.* 189. sic scribit FRERONIVS: *papier, caractére, vignettes, tout est d'une élégance et d'une propreté, qui charment les yeux.* In ipso autem libro varia reprehendit. Nec praetermittendum FRANC. XAVERII QVADRIO Opus *della Storia et della ragion d'ogni Poesia*, quod magni momenti laborem vocat KAPPIVS in notis ad IVVENELII *Versuch einer Geschichte der schönen Wissenschaften, P. I. p.* 55. Volum. I. *Bononiae a.* 1739. Vol. II. liber prior *Mediol. a.* 1741. alter *a.* 1742. Vol. III. Pars 1. *a.* 1743. Pars 2. *a.* 1744. *ibidem in 4.* lucem adspexit. Vol. IV, idque vltimum,

successit

fucceffit *anno* 1749. Praemiffis his generalibus addere inuabit fingularia quaedam, ad certa Poefeos genera fpectantia. *De fatyrica Graecorum Poefi et Romanorum fatyra libros II. in quibus etiam Poetae recenfentur, qui in vtraque Poefi floruerunt*, fcripfit ISAAC. CASAVBONVS. Editi primum *Parif. a.* 1605. *in 8.* ob raritatem et praeftantiam inferti fuere THOMAE CRENII *Mufeo philolog. et hiftorico, L. B. a.* 1699. *in 8.* notis Editoris illuftrati. Sed et haec Sylloge Creniana noftris temporibus non eft facile obuia. Idem inter noftros pertractauit argumentum IOH. DAN. HEYDIVS in *der Abhandlung von der Satyrifchen Poefie der Griechen, und der Satyre der Römer*; quod Opufculum commendabile antecedit PERSII *Satyras*, ab eo ipfo Germanicam in linguam translatas, excufasque *Lipf. a.* 1738. *in 8.* Ni memoria plane fallit, ad manus enim iam non funt *Memoires de l' Academie des Infcriptions, ibid. Tomo X. p.* 532. *fq. edit. Belgicae* IOH. BAPT. SOVCHAY *in Difcours fur l'Elegie et fur les Poetes elegiaques* de praecipuis huius generis Poetis fententiam dixit. In Poefi dramatica habemus PETRI BRVMOY *Theatre des Grecs*, quod elegantiffimum Opus *Parif. a.* 1730. *Tomis III. in 4. mai.* prodiit. Recufum eft *Vol. VI. Amftael. a.* 1732. *in 12. mai.* Auctor intelligens, inter vetuftos Scriptores neglectos potiffimum hodie iacere Tragicos Comicosque, hos in lucem et iudicium producere conftituit, vt praeuia cauffae cognitione aut laudari poffent, aut damnari. Plura videas in *Act. Erud. Lat. a.* 1734. *p.* 390. *fq.* Eorum autem, qui Theatrum Gallorum illuftrarunt, Opera critice expenduntur in CLAVD. PARFAICT *Hiftoire du Theatre François, depuis fon origine, jusqu'à prefent.* XV. complectitur *Tomos in 8.* vt alibi iam dictum. Admodum venufta eft et iudiciorum praeftantia infignis *Differt. de Poefi Apologorum, eorum-*

que

que Scriptoribus, quam CHRIST. FÜRCHTEGOTT GELLERTVS, clarissimus ipse Fabularum artifex, *Lipsiae a.* 1744. *in 4.* proposuit. Idem et meminit ANTON. HOVDARTI DE LA MOTTE, cuius *Discours sur la Fable* accessit *Fabulis* eius *Gallicis*, saepius editis, et quartum quidem *Amst. a.* 1727. *in 8. c. fig. aen.* In hac vero Dissertatione Mottium eruditum agere Criticum exploratum est. De HOMERO, carminis epici parente, LVDOLPH. KÜSTERVS *Historiam criticam* scripsit, *Frf. ad Viadr. a.* 1696. *in 8.* excusam, iamque rariorem, in qua, praeter alia, de fatis quoque, iudiciis et studiis hominum, quae hicce Poeta per omnia saecula expertus est, praeclare disseritur. Iliados sigillatim, quam complures pretiosissimum humani animi opus crediderunt, seuerum nouimus censorem laudatum MOTTIVM in *Discours sur Homere*, quae Dissertatio praemissa HOMERI *Iliadi*, ab eodem Gallice *Paris. a.* 1714. *in 8.* exhibitae. Multas iudicium hoc peperit controuersias inter Gallos, de quibus euolui meretur *Catalogus Biblioth. Bunav. Tomi I. Vol. 2. p.* 1330. *sq.* Critice, neque enim hoc esse tacendum existimo, primas describit HOMERI editiones IOH. AVG. ERNESTI in *Praefat.* praefixa *Tomo I. Homeri* sui, qui *Lipsiae* 1759. *in 8. mai.* exiit. Germaniae Poetas ab Opitii aetate ordine alphabetico persequitur, et quae in carminibus eorum probanda sint, vel minus, graui quibusdam epicrisi significat; at concise alicubi et acumen ingenii adfectans, quandoque obscurius scribit ERDMANN. NEVMEISTERVS. Prodiit eius Differt. historico-critica *de Poetis Germanicis huius* (XVII) *saeculi praecipuis Lips.* 1695. *in 4.* typisque est repetita *a.* 1706. et *Vitemb. a* 1708. Cf. REIMMANNI *Catalogus T. II. p.* 274. De Anglorum Poetis, et eorum carminibus, iudicat, sed parum aeque non nunquam, YARTVS in *Idée de la Poesie*

Angloise,

Angloise, ou Traduction des meilleurs Poetes Anglois, Paris. a. 1754. *sq. in 12. Tomis VIII.* Abrumpo filum, et ad Rhetores ac Oratores me conuerto. Inter antiquos primum nominandus est CICERO, propter binos praecipue libellos, alterum *de Claris Oratoribus*, qui *Brutus* inscriptus est; alterum ad Marc. Brutum, quem *Oratoris* titulo insigniuit. In hoc vti quorundam de Lysia, Thucydide, aliisque iudicia improbat, passimque de variis Oratoribus quae sit eius sententia exponit; ita etiam in illo data opera eos percenset, qui cum apud Graecos, inde a Solonis aetate, tum in patria Tullii, a temporibus L. Bruti, dicendo valuerunt, et, quid dignum ipsi laude atque imitatione, quid vitiosum e contrario et reiiciendum videatur, in singulis declarat magna cum venustate. Ciceroni adiungendus merito DIONYS. HALICARNASSENSIS, Graecorum Criticorum praestantissimus, qui *de Atticis Oratoribus*, Lysia, Isocrate, Isaco, commentatus est. Sed Pars prima saltim ad nos peruenit: altera *de recentioribus Oratoribus Atticis*, Demosthene, Hyperide, Aeschine, periit praeter librum, et hunc quidem mutilum, *de Demosthenis in dicendo vi admiranda*. Inueniuntur istae reliquiae, egregiae profecto, in *Operibus* DIONYSII, *Tomo II.* Inter eos etiam, qui vetustatem pertulerunt, hic loci aequum est memorari M. FAB. QVINTILIANVM. Varia enim *Instit. Orat. lib. X. Cap. 1.* iucunde disserit de ingenio ac dictione Oratorum, apud Graecos Romanosque illustrium. Quodammodo idem obseruatur in Dialogo notissimo *de Oratoribus*, siue *de caussis corruptae eloquentiae*, qui modo TACITO, modo QVINTILIANO, modo aliis tribui ab eruditis solet. Cf. KAPPIVS ad IVVENELIVM, *P. I. p.* 133. *sq.* Recentiori aetate LVDOV. CRESOLLIVS aperuit *Theatrum veterum Rhetorum, Oratorum, Declamatorum, quos in Graecia nominabant* Σοφιστάς. Prodiit *Paris. a.* 1620.

a. 1626. *in 8.* recusumque est in *Thesauro Antiqu. Graec. Gronouiano*, *Tomo X.* Quinque sunt libri, in quibus omnis eorum disciplina, ratio dicendi, moresque explicantur, damnatis simul vitiis; quamquam labor omnis, si dicendum quod res est, ad ipsius magis eloquentiae, potissimum Graecae, quam ad Oratorum adcuratiorem spectat notitiam. Certa interim ratione Historia dici potest priscorum Rhetorum litteraria. Paullo post Cresollium GER. IOH. VOSSIVS Tractatui *de natura et constitut. Rhetorices* adiunxit librum *de antiquis Rhetoribus*, *Sophistis et Oratoribus*. Prima editio *Lugduni Bat. a.* 1622. *in* 8. est absoluta: altera, longe melior, *Hagae Comit. a.* 1658. *in 4.* Exstat quoque, vt alibi iam dictum, *Operum Vossianorum Tomo III.* Saepe tamen, quod solemne est Auctori, digreditur a proposito. Nec sine fructu consuli possunt RENATI RAPINI *Reflexions sur l' Eloquence*, in *Tomo II. Operum Gallicorum.* Sophistarum eloquentiam Differt. singulari, eaque doctissima, examinauit GE. NICOL. KRIEGK. Edita fuit *Ienae a.* 1702. in *4.* atque a reuerendo Theologo, IOH. GE. WALCHIO, in *Praefat. de fatis Oratoriae inter Graecos*, *Romanos*, *et Germanos*, CELLARII *Orationibus Academicis* praefixa, *ſſ. V. p.* 36. his verbis commendatur: *De Sophistarum eloquentia*, *eiusque natura*, *Kriegkius disquisiuit adeo feliciter*, *vt nihil ingenio meo relictum fuisse videatur. Horum elocutionem*, *inuentionem*, *finem orationis*, *alias scientias*, *quas eloquentiae iunxerunt*, *luculenter exsequutus est*, *vt legentium animos non parum delectet*, *nec minus suauitate trahat adficiatque.* Quid boni maliue complectatur ANDR. GOEPELII *Censura de Auctoribus eloquentiae Romanae*, *qui vixerunt in adulta*, *seu aurea*, *aetate*, *Isenaci a.* 1710. *in 8.* euulgata, dispiciant ii, qui scriptum breuissimum

ante oculos habent. Tres tantum id plagulas implere scio. Meliora sine controuersia praestitit BALTH GIBERTVS in *Jugemens des Savans sur les Auteurs, qui ont traité de la Rhetorique.* Tres Tomi sunt *in 12. Paris.* ab *anno* 1713. vsque *ad a.* 1719. excusi, subiectique postea, vt iam *§. II. huius Capitis* me scribere memini, nouissimae editioni Belgicae BAILLETI Operis, quod *Jugemens des Savans* adpellauit. Ipse nimirum Auctor id esse voluit continuationem et supplementum instituti Bailletani. Orditur autem a Platone, non Philosopho tantum, sed etiam artis dicendi egregie perito, proceditque ad suam vsque aetatem. Vltimum enim, quod recenset, scriptum FENELONII sunt Dialogi *sur l' Eloquence, Paris. a.* 1718. *in 12.* editi, et hoc eodem anno *Amstael.* recusi. Gibertus frequenter a MORHOFIO in *Polyhist.* recedit, et liberrima profert de libris Rhetoricis iudicia, quae tamen, vt Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1721. *p.* 302. exstimant, non vbique carent malignitate. Promisit Auctor *Tomo III. p.* 518. *sq.* nouum Opus, nimirum *Jugemens des Savans sur les Orateurs*, in quo se ait expositurum esse iudicia de Oratoribus Graecis, Latinis et Gallicis. Sed non liberauit fidem. IVLII CAESAR. BECELLI *Esame della Retorica antica et uso della moderna*, ex libris VII. constans, *Veronae a.* 1735. *in 4.* lucem adspexit *Voluminibus II*, in quibus multa etiam de Rhetoribus antiquis et recentioribus inueniuntur iudicia, harum rerum studiosis omnino commendanda. Tironibus proficua erit Celeb. GOTTSCHEDII Commentatio, praemissa eiusdem *Ausführlichen Redekunst*, atque sic inscripta: *Historische Einleitung vom Vrsprunge und Wachsthume der Beredsamkeit bey den Alten, ingleichen von ihren itzigen Zustande in Deutschland.* Plurima quidem, vt ipse fatetur *§. XV*, ex Cicerone hausit: varia tamen de Germanorum conatibus in eloquentia edisseruit,

ruit, quae facile docent, quo quisque sit numero habendus. De sacris Gallorum Oratoribus peritorum sententias collegit quidam, quem ALBERTVM dici coniicitur, in *Dictionaire Portatif des Predicateurs François, Lugduni a.* 1756. *in 8.* Vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1757. *p.* 657. *sq.* Restant alia Philologorum scripta, de quibus et hoc loco non nihil dicendum. Eos, qui Auctores veteres complures, Graecos atque Romanos, non sine iudiciis percensuerunt generatim, iam supra protuli. Atque inter hos quosdam reperiri etiam Philologos Criticosque, neminem fugit. Ad linguas quod attinet, notissima est IOH. GE. WALCHII *Historia critica Latinae linguae Lipsiae a.* 1716. *ibidem*que, multis accessionibus auctior, *a.* 1729. *in 8.* edita, vbi v. g. integras Commentationes *de Grammaticis Latinis; de Lexicis Latinis; de editionibus veterum Auctorum Latinorum*, caet. obseruabunt Lectores, variis iudiciis aliorum, non nunquam et ipsius Walchii, veluti floribus, conspersas. Plaudentibus Musis *Narrationem criticam de editionibus Operum Ciceronis*, itemque *de editionibus Orationum Ciceronis*, binis Programmatibus *Lips. anno* 1756. et 1759. *in 4.* exhibuit IOH. AVG. ERNESTI, plura sine dubio additurus. Perquam erudita dicitur PHIL. IAC. MAVSSACI Dissertatio critica, HARPOCRATIONIS *Lexico decem Oratorum Graecorum Paris. a.* 1614. subiecta, et cum Scriptore hoc *L. B. a.* 1683. *in 4.* NICOL. BLANCARDI studio recusa, qua in Dissertatione, praeter alia, *Etymologicum magnum*, HESYCHII item, SVIDAE, et VARINI PHAVORINI *Lexica* ponderari, Collectores *Actor. Erud. a.* 1683. *p.* 466. referunt. Post Maussacum aetatem tunc suam ingenio superantem, *de Lexicis veterum Graecorum* ex Photio potissimum Schediasma elaborauit IOH. HENR. BOECLERVS, quod nunc exstat in *Dissertat.* eius *Academicis Tomo I.*

 p. 645.

p. 645. *sq.* OLAI BORRICHII *Censura de Lexicis Graecis et Latinis* partem facit *Analectorum ad Cogitationes de lingua Latina*, quae *Hafniae a.* 1682. *in 4.* prodierunt. IOH. ALB. FABRICII autem Exercitatio *de Lexicis Graecis* accessit eiusdem *Decadi Decadum, siue Plagiariorum ac Pseudonymorum Centuriae*, inserta deinde auctior longe atque politior *Bibliothecae Graecae Vol. IV*, quod est libri IV. Pars altera, *Cap.* 35. ac 36. et *Volum. X.* in principio. Elegantia rerum stilique excellit, quae *Glossariorum Graecorum veram indolem et rectum vsum in interpretatione* commonstrat, IOH. AVG. ERNESTI V. C. Dissertatio. Excusa *Lipsiae a.* 1742. *in 4.* mox anno sequenti in *Tempe Heluetica*, *Tomo VI. Sect. 4. art. 3. p.* 543. *sq.* itemque haud ita multo post in *Tomo I.* nouissimae praestantissimaeque editionis, qua *Lexicon Hesychianum* apud Belgas resurrexit, locum suum nacta est. Ampla porro et erudita Dissertatio *de praecipuis Lexicis Latinis, eorumque Auctoribus*, ROB. STEPHANI *Thesauro linguae Latinae* edit. Londinensis praemissa fuit, quam deinde in Lipsiensi noluit desiderari amplissimus GESNERVS. Nuperrime laudatus etiam ERNESTI in Praefatione, *Lexico Weissmanniano Latino et Germanico* adiuncta, criticam Lexicorum Latinorum, inde a repurgatorum Sacrorum temporibus, breuiter notitiam suppeditauit. De gentis nostrae lingua habemus IOH. GE. ECCARDI *Historiam studii etymologici, linguae Germanicae hactenus impensi*, *Hanouerae a.* 1711. *in 8.* Recenset Vir doctus ac diiudicat Scriptores plerosque, qui in origines atque antiquitates linguae Teutonicae, Saxonicae, Belgicae, Danicae, Suecicae, veteris Celticae, Gothicae, Francicae et Anglo-Saxonicae inquisiuerunt, caet. Versiones Germanicae Graecorum Latinorumque Scriptorum, quos prisca tulit aetas, copiose exhibentur ac saepe cum epi-

crisi

crisi quadam in *den Leipziger Beyträgen zur critischen Historie der deutschen Sprache*, praecipue autem *Vol. I. p. 8.* et *p. 447. sq.* item *Vol. III. p. 195.* et *p. 563. sq.* Ad linguam Italorum pertinent IVSTI FONTANINI *della Eloquenza Italiana libri III. Venetiis anno 1737. in 4. mai.* nouissime recusi. Iudicia sua de quamplurimis Scriptoribus Auctor non suppressit, at multa eorundem, vt alia improbata taceam, displicuerunt popularibus eius, inter quos princeps est SCIPIO MAFFEI. Examinauit is laborem hunc sermone admodum acerbo in *Osseruazioni letterarie Tomo II. artic. 7.* quae deinde recensio in collectione singulari producta est iterum hac inscriptione: *Esami di varii Autori sopra il Libro*, *intitolato l'* Eloquenza Italiana *di* GIIVSTO FONTANINI, *Roveredo 1739. 4. mai.* Vid. *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. 1. p. 643. in fine*, nec non *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1738. *p. 653.* et *p. 659.* De Scriptorum Graecorum Latinorumque interpretationibus Italicis idem MAFFEI sententiam dixit in libello *Venetiis a. 1720. in 8.* diuulgato, cuius en titulum: *Traduttori Italiani, o sia notizia de' volgarizzamenti d'antichi Scrittori Latini e Greci, che sono in luce.* Hos vero, qui apud Gallos eundem suscepere laborem, critico perlustrauit oculo recensuitque CAROL. STEPH. IORDANVS in *Memoire des Traducteurs François des anciens Auteurs.* Vid. *Biblioth. Germanique*, *Tom. XLVI. art. 9. p. 163.* ac *T. XLVII. art. 7. p. 86. sq.* Priori loco de Graecorum, altero de Latinorum Scriptorum interpretibus Gallis erudite agit Auctor. Non exiguum etiam hic vsum adferet GOVIETI *Bibliotheque Françoise*, Opus iam laudatum supra *§. II.* sub finem. Eius tamen iudicia haud esse vbique adcurata, contendit FRERONIVS in *Lettres sur les Ecrits modernes*, *Tomo I. p. 217. sq.* Critici Graeci Latinique quid praestiterint, fusius docetur ab HENR. STEPHANO

in Differt. rarius obuia *de Criticis veteribus Graecis et Latinis*, *eorumque variis*, *apud Poetas potissimum*, *reprehensionibus*, *Paris. a. 1587. 4*; ab HENR. VALESIO *libro I. de Critica*, qui exstat in eiusdem *Emendationum libris V*, *Amstael. a. 1740. in 4.* cura PETRI BVRMANNI, secundi, editis; nec non a V. C. IOH. ERN. IMMAN. WALCHIO in Differtationibus III. *de ortu et progressu artis criticae apud veter. Romanos*, quae auctiores et emendatiores libri singularis formam induerunt *Ienae anno 1757. in 8.* Nec denegandum in hoc §pho locum aliquem esse puto THOMAE CRENII *Animaduersionibus philologicis et historicis*, quarum Pars I. *Roterod. a. 1695. in 8.* prodiit. Excreuit postea Opus vsque ad Partem XIX. *a.* 1720. excusam, et singulis quidem, praeter priorem, *Lugd. Batauorum*. In his complura continentur Philologica, quae vel ad editionum faciunt diuersitatem, vel ad iudicia de scriptis doctorum hominum, et similia alia spectant. Intermiscet hisce Editor multas clarissimorum Virorum Epistolas nondum publicatas. Rara est hodie isthaec Sylloge, vt omnia fere Creniana, non semper solidae pertractationis laude decoranda. Interim iniquius de Animaduersionibus iudicat SEVERIN. A CLAMORIBVS, i. e. ERN. MART. PLARRIVS, in *Epist. ad Amicum de vita, studiis et moribus* THOMAE CRENII, *excellentissimi viri*, *atque incomparabile Polyhistoris nomen ambitiose adfectantis*, *Amstael.* 1706. *in 4.* cuius haec verba GROSCHVFFIVS in Praef. *Collectioni libr. rar.* praefixa *p.* 11. descripsit: *Ecquod doctrinae suae* (Crenius) *edidit specimen? certe si quid sibi laudis noua schedularum quarundam editione peperit; (quod certe exiguum est,) id omne futilibus notis ab eo adsutis obfuscatur. De Animaduersionibus dices? sed proh! quam illae aridae, quam ieiunae, quam tetrico stilo scriptae! Si suum*

Si suum cuique reddas auctori, praeter connectendi particulas nihil in iis Crenianum, et nisi hinc inde docti cuiusdam viri inserta esset epistola, forent profecto alio loco, quam librariorum vel eruditorum scriniis, digniores. Recusus nunc exstat libellus Plarrianus in KVSTERI *Collect. Opuscul. Historiam Marchicam illustrant. Parte XVI. et XVII.* Philologos praecipue sui temporis diiudicauit IOH. ALB. FABRICIVS in *Scriptorum recentiorum Decade*, *Hamburgi*, seu, quod propius forsitan vero est, *Lipsiae a.* 1688. *in 4.* vna plagula, suppresso nomine, producta. Auctor, tunc viginti annorum adolescens, ob quaedam liberius dicta, turbarum non nihil mouit. Statim sine loci temporisue nota *in 4.* prodierat, exacto semestri spatio, *Epistola Amici ad Amicum, qua de Scriptorum recentiorum Decade iudicium fertur.* Quam virulentam et per se futilem schedulam sequuta est *Defensio Decadis aduersus hominis maleuoli maledicum iudicium, iustis de caussis ab Auctore suscepta.* Tum *Lubecae a.* 1689. *in 4.* vnica quoque plagula exiit *Epistola Sinceri Veridici ad Candidum Philalethem super Decade recentiorum Scriptorum.* Vid. REIMARI *Vita Fabricii p. 99. sq.* Adduntur his in IOH. HENR. BVRCKHARDI *Bibliotheca, Parte I. p.* 141. duae adhuc aliae Epistolae, altera *amicatoria ad insignem vnum Criticellum, Ioh. Alb. Fabricium de Lipsia, a M.* Sefrido Fabro Mellensi *ablegata:* altera T. Peuceri *ad Christoph. Cellarium.* Nihil tamen Fabricium constat respondisse. Caeterum rarissime iam pridem obuia fuere omnia haec scripta eristica. Nuper Viri doctissimi, DAV. CLEMENTIS, beneficio *Hanouerae a.* 1753. *in 4.* accepimus GREGOR. MAIANSII *Specimen Bibliothecae,* siue ideam noui Catalogi critici Operum Scriptorum Hispanorum, vbi libros varios philologicos iusta

lance ponderat Majansius, scriptisque eorundem aequum pretium statuit. Hoc tandem loco iuuabit etiam iniecisse mentionem iudiciorum *de Germanis quibusdam*, *Historiae litterariae conditoribus*, *ac de Scriptoribus elogiorum et vitarum Virorum illustrium*, quae CAMVSATVS adiunxit CIACCONII *Bibliothecae*.

§. IX.

Faciunt aeque ad iudicia de scriptis eruditorum dicta quorundam et breuia cogitata, ex eorum ore vel schedis collecta, ac deinde in lucem emissa publicam. Vulgo dici solent libri in ANA, de quibus agitur data opera ab IOH. CHRISTOPH. WOLFIO in Praef. *Casaubonianis* praemissa; itemque a MICH. LILIENTHALIO in *Selectis histor. et litterar. P. I. Obs. 6. p.* 141. *sq.* vbi etiam Analecta dedit ad Praefationem Wolfianam. Non heri vero, aut nudius tertius, curiositati eruditae placuit acute dicta clarorum Virorum, iocosa aeque ac seria, singularibus complecti libellis. Vt enim taceam, fuisse, qui conuiuales Lutheri sermones exciperent, et iudicio destituti, nullo habito delectu, intempestiue diuulgarent: vt transeam *Locorum communium Collectanea*, quorum partem maximam ex ore PHIL. MELANCHTHONIS, magistri sui, in schedas retulit IOH. MANLIVS, vbi multi sales innocui, multa vero et frigida, vulgaria, parumque decora inueniuntur: vt omittam Apophthegmata Philosophorum, aliorumque magnae famae hominum, ab ERASMO in vnumVolumen congesta: longe antiquiore aeuo C. IVL. CAESAR, teste TVLLIO, *libro. IX. ad Famil. Epist.* 16. Volumina Apophthegmatum confecerat, Caesare antiquior LYNCEVS, Samius, Theophrasti discipulus, aliique idem egere. Vid. ATHENAEVS *libro VI. cap.* 5. et *Acta Erud. Lat. a.* 1716. *p.* 151. *sq.*

Sed

Sed nihil horum ad noſtram peruenit aetatem. Hodie ad nauſeam vsque huius generis ſcripta proſtant, dubioque caret, initium inſtituti ad Gallos eſſe referendum. Ante ſaeculi enim ſpatium frequentior apud eos vſus inualuit, vt illuſtrium ac doctorum Virorum acute dicta curatius colligerent, et nullo ſeruato ordine publicarent. Quum autem animaduerterent, multiplices hosce ſermones in vnum quidem cogi Volumen, vno tamen titulo comprehendi non facile poſſe, nominibus eorum, a quibus profecti fuerant, inſignire hos ipſos placuit, adeoque nomini Auctoris terminationem ANA adiicere. Iam a. 1659. GVIDO PATINVS in *Epiſt. CLVI.* ad amicum ſcripſit: *Vous ſerés bien aiſe d' apprendre, que Mr. Votre fils a beaucoup profité de Vos lettres; car il ſe leve matin et employe bien ſon tems: celui même, qu' il pourroit donner à ſon divertiſſement, eſt ſouvent employé à lire mes* Borboniana, Grotiana *et* Naudaeana. *Il rit ſous cape, quand il y trouve quelque choſe à ſon gré, et cela lui arrive ſouvent. Auſſi ces Manuſcrits prennent les gens par le nez; et les empêchent de devenir de grands ſots; cela me réjouit.* Omnes eiusmodi libros aetate praecurrunt *Scaligerana.* Cf. LILIENTHAL *l. c. p.* 147. et *p.* 151. vbi haec ex *Epiſtola* HVETII quadam digna ſunt memoratu: *Les* Scaligeriana *ont mis en uſage dans ce Siècle* (ſaec. XVI.) *cette ſorte de Titres, et je vois beaucoup d' apparence, que Meſſieurs* du Vassan *ſont Auteurs du nom, comme de la compilation. Je trouve dans leur Famille l' exemple d'un Titre ſemblable, qui leur a ſervi de modelle, ou qui a été formé ſur le leur. Ils étoient Neveux des celebres Meſſieurs Pithou, Pierre et François. Monſieur Pithou, Conſeiller au Parlement de Paris, avoit fait un Recueil des dits notables*

 de

de François Pithou, et l'avoit intitulé Pithoeana. *Le seul hazard auroit-il fait, que les Scaligeriana et les Pithoeana se rencontrassent dans la même Maison?* In tanta vero talium librorum copia seligere praecipuos, et ordine quidem alphabetico, constitui. Primam itaque dicendi materiam praebent *Carpentariana, ou Remarques d'Histoire, de Morale, de Critique, d'Erudition, et de bons Mots de Mr.* CHARPENTIER, *Paris.* 1724. *in 12. mai.* Idem, quod de plerisque huius generis aliis ferendum est iudicium, iis quippe!, ignorari quae sine Reipublicae litterariae detrimento possunt, immixta esse lectu scituque dignissima. Historia potissimum litteraria plurimis in locis egregie illustratur, vt fusius docent Collect. *Actor. Erud. Lat. a.* 1725. *p.* 90. *sq.* quo, breuitatis caussa, remitto Lectorem. *Casauboniana*, siue ISAACI CASAVBONI *varia de Scriptoribus librisque iudicia*, caet. IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS *Hamb. a.* 1710. *in 8.* produxit in lucem, et Praefatione supra laudata, notisque eruditis exornauit. Nulli hic ioci salesue liberiores, nedum obscoeni et modestiam laedentes, nulla iudicia iniqua et acerbiora, nisi haec iustus aliquando dolor vel inuito expresserit, quod rarius factum tamen; nec quidquam occurret, quod ex ipsius Casauboni non quidem ore, sed, quod magis aestimandum, ab eius manu non fuerit scriptum. Pleraque nimirum WOLFIVS, cuius maxime verbis vsus sum, ex autographis eius desumsit, caetera vero summa cura ex docti huius Viri schedis ab alio fuere in chartam coniecta. Praeter iudicia, quae in Ephemerides suas conferre consueuerat, vbi a lectione libri cuiusdam recessisset, illustrationes Codicis diuini, Obseruationes philologicae et ecclesiasticae, animaduersiones in BARONII *Annales*, consilia de flore litterarum promouendo, et alia leguntur.

guntur. Interim REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. T. II. p. 601.* praeferenda existimat excusa ab initio libri vsque ad *p. 35.* iis omnibus, quae postea succedunt. *Chevraeana, ou diverses pensées d' Histoire, de Critique, d' Erudition et de Morale, Amst. a. 1700. in 12. mai. Partibus II.* prodierunt, eoque maiorem habent fidem, quod ab ipso VRBANO CHEVREAV cum litterarum studiosis fuere communicata. Aliqua reperimus hic quidem de Scriptoribus iudicia; vtramque tamen paginam facere videntur historiolae litterariae, lepidae facetaeque, et ad Lectores delectandos adcommodatae, sed non omnes ita comparatae, vt extra dubitationis positae sint aleam, teste REIMMANNO *l. c. p. 603.* Quae libris olim suis adscripserat, vel separatim notauerat, IAC. LE DVCHAT, ea ne perirent, operam dedit clarissimus FORMEY. Ipsi quippe debemus *Ducatiana, ou Remarques de* LE DVCHAT *sur divers sujets d' Histoire et de Litterature, recueillies dans ses MSS. et mises en ordre, Amstaelod. 1738. in 8. Tomis II.* Post Auctoris Vitam in *Tomo I.* Obseruationes variae, tales etiam, quae Dictionarium Baelianum illustrant: in *altero* additiones ad Menagiana, Perroniana, Thuana, Scaligerana, Valesiana, Chevraeana, caet. occurrunt. Collecta fuerunt ex schedis ANTON. FVRETERII, multis tamen adiectis, quae ipsi plane non tribuenda, *Furetieriana, ou les bons Mots et les Remarques d' Histoire de Morale, de Critique, de Plaisanterie et d' Erudition de Mr.* FVRETIERE, *Bruxellis a. 1695. in 12.* Hoc saeculo PETR. DAN. HVETIVS, summa confectus senectute, ideoque facultate ad libros porro scribendos destitutus, non nunquam, otii consumendi gratia, litteris mandauerat cogitata mentis suae, quae post ipsius obitum, Auctoris iussu, edita sunt *Paris. a. 1722, in 12.*

et

et anno ſtatim ſequenti *Amſtaelod.* recuſa, hoc titulo: *Huetiana, ou Penſées diverſes de Mr.* HVET, *Evêque d'Auranges.* Collector harum ſchedarum fuit OLIVETVS, Abbas, cui Huetius easdem reliquerat adſeruandas. Complectuntur autem illae iudicia de Variis Auctoribus tam antiquis, quam recentioribus, ſcriptisque eorum; emendationes locorum obſcurorum, apud hos obuiorum, problemata aſtronomica et geometrica, imo alia plura, bonae frugis. Neque tamen notae deſunt et veſtigia aetatis decrepitae, quae praeſtantiſſimorum etiam ingeniorum vires frangit. Cf. *Mercure de France m. Maio* 1744. *p.* 939. *ſq.* vbi exſtant YARTI *Obſervations ſur le Huetiana.* Ex parte huc faciunt quoque Miſcellanea, ex ore et ſchedis GODOFR. GVIL. LEIBNITII quondam notata et deſcripta, quae *Otium Hanoueranum* vocauit, lucique expoſuit *Lipſiae ann.* 1718. *in* 8. IOACH. FRID. FELLERVS, in ipſius receptus familiaritatem. Prima quidem Opuſculi Pars mira exhibet Excerpta ex litteris Leibnitii variis, tunc temporis, quum in Hiſtoria Brunſuicenſi componenda totus eſſet, ad eruditos homines exaratis: altera e contrario Pars vere poterat *Leibnitianorum* nomine ſignari, quum congeſtae hic ſint Obſeruationes criſesque ſummi Polyhiſtoris, Gallico et Latino ſermone expreſſae, et argumenti quidem diuerſi. REIMMANNVS *l. c. p.* 603. pleraque in his Leibnitianis eius eſſe metalli contendit, vt reliqua ſchediaſmata omnia, vocabulum ὁμοιοτέλευτον habentia, ipſa etiam *Huetiana*, quae eminere prae caeteris putentur, iisdem adſurgant et loco cedant, vixque vllam eſſe lineolam, quae non minio ſubduci mereatur. In *Actis* autem *Erud. Latin. anni* 1718. *p.* 116. ita de iisdem pronunciatur: *De libris in* Ana *deſinentibus iudicat Leibnitius, quod ſaepe abſurda contineant, propterea, quod Editores Au-*

ctorum

ctorum mentem non fuerint assequuti, saepeque ipsis falso attribuerint nonnulla. *An* Leibnitiana, *de quibus hactenus diximus, in eundem censum veniant, iudicent illi, qui Virum summum ex iis norunt, quae ipsemet publicauit.* Miram ingenii ac dictionis elegantiam, ac, praeter notitiam de Poetis et horum inter se controuersiis, varia ad Poesin pertinentia, cuius cum primis studiosus erat MENAGIVS, aliasque res non contemnendas inesse *Menagianis*, nemo facile dubitauerit. En! titulum eorum: *Menagiana, ou bons Mots, rencontres agreables, pensées judicieuses, et observations curieuses de Mr.* MENAGE. Edita sunt primum *Paris. a.* 1693. *in12.* Tomo vnico, statim *Amstaelodami* recuso. Tum successit *Paris. a.* 1695. Tomus alter, cui addidit BERN. DE LA MONNOYE Tomum III. et IV. excusos cum prioribus *ibid. a.* 1715. typisque repetitos *Amstael. a.* 1716. *ead. forma*, Tomis II. prioribus iam *anno* 1713. ibidem productis. Sed optimam esse Parisiensem editionem, ex iis patet, quae memorantur in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1715. *p.* 489. Duos priores Tomos adnotationibus illustrare, et errores subinde corrigere constituerat primum Monnoius: Postea vero, quum rem ipsam esset adgressus, his adiicere placuit non nulla ex suis scriniis, vt adeo non tam *Menagiana*, quam *Monnoiana*, Lectoribus exhibeantur. Ex omnibus huius generis scriptis nullum vel maiorem animi iucunditatem, et ampliores doctrinae accessiones, vel Auctori atque Collectoribus maiorem laudem existimationemque parasse, WOLFIVS contendit *Praef. cit. §. XIII.* Cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1716. *p.* 152. Neque tamen contradicere REIMMANNO ausim, qui sic *l. c. p.* 612. *Pleraque, ait, ex iis, quae in Menagianis sunt edita, haberi possunt pro non editis, quia maior pars nominum propriorum vel*

omissa

omissa plane, vel sigslis ita inuoluta, vt coniectura eadem assequi vix liceat. Sexcentae etiam immixtae sunt rebus seriis et grauibus res leuidenses: historiae friuolae: ioci liberiores: dicta procacia: verba S. S. in alienum sensum detorta: et quaedam cum veritate tam male conspirantia, vt eodem anno, quo Tomus I. in lucem prodiit, Parisiis etiam edita sint Anti-Menagiana, *quae an ab* ADR. BAILLETO *confecta sint, equidem indubitanter asseuerare non possumus*, caet. (In PERARDI *Catalogo Bibl. suae p. 326.* auctor dicitur IOH. BERNIER, Medicus.) Loquitur Reimmannus de Tomis II. prioribus tantum, in quibus obscuriora passim explicuit Monnoius; interim tamen, si totum spectes Opus, ipsi Menagio tribuendum, nulla credo iniuria vsurpari posse illud Martialis: *Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura, quae legis hic.* Multa vtique irrepserunt nomine Menagiano indigna, facileque perspicitur, perperam aliqua ipsius ex ore excepta esse, atque post mortem eidem adficta. Suppressam fuisse, Clericorum potissimum instinctu, Monnoii editionem, eundemque folia illa, vbi liberius dicta incurrebant in oculos, bene purgata subiicere denuo prelo debuisse, docent *die Leipz. gel. Zeit. a. 1715. p. 201.* Cf. DE SALLENGRE *Memoires de Litterature, Tomi I. Parte 2. p. 228. sq.* quo loco Index legitur expurgatorius eorum omnium, quae damnata et euulsa fuere. *Naudaeana et Patiniana, ou Singularitez remarquables, prises des Conversations de Mess.* NAVDE' *et* PATIN, *Parisiis a. 1701. in 12*, sed admodum mendose, in nominibus praesertim propriis, prodierunt. Noua est adornata editio *Amstael. anno* 1702. eaque non tantum correctior, verum etiam, ordine simul in melius immutato, variis animaduersionibus ad Naudaeana, Indice item et imagi-

nibus

nibus Naudaei ac Patini, locupletior. Bina haec excerpta sunt egregia profecto. Quamquam enim non nulla intermixta fuere vulgaria, non nulla et falsa, quae in Additionibus emendantur; pleraque tamen non parum adferent vtilitatis, quoniam ad iudicia de scriptis, et fata quaedam singularia Auctorum, pertinent, quae nusquam alibi reperiuntur. *Naudaeana* maxime in scriptis, et Scriptoribus, et rebus Italicis notandis occupata sunt, ac de his omnibus tot occurrunt singularia, vt, iudice REIMMANNO *l. c. p. 610*, Historia litteraria arcana Italorum vocari mereantur. Idem *Patiniana* Naudaeanorum esse scribit Paralipomena: expedire autem PATINI *Epistolas* et *l' Esprit de* GVY PATIN cum hac lance satura coniunxisse, vt et ingenium Auctoris magis pateat, et, quae oblique dicta videntur obscureque, facilius intelligantur. Subiungit, multos hic indicari Anonymos, et Pseudonymorum glaucomata dispelli, longe tamen nobiliora fore isthaec Stromata, si eundem cum Naudaeanis Scholiasten habuissent. Add. *Acta Erud. Lat. a.* 1702. *p.* 225. *sq.* Potiora ex Naudaeanis et Patinianis Germanicam in linguam transtulit, et *Brunsuigae a.* 1734. *in 8.* edidit IOH. CHRISTOPH. RÜHLIVS. Nomen cum caeteris eiusmodi libris commune est, methodi contra ratio discriminis nonnihil peperit *Parrhasianis*, seu, vt plena eorum inscriptio, *Pensées diverses sur des matieres de Critique, d' Histoire, de Morale et de Politique avec la defense de divers Ouvrages de Mr. L. C. par* THEODORE PARRHASE. Lucem adspexerunt *Amstael. a.* 1699. iterumque *a.* 1701. *in 8. Tomis II.* Sub nomine Parrhasii latere IOH. CLERICVM, qui et librorum suorum quorundam defensionem hic suscepit, hodie nemo vocat in dubium. Prior potissimum Tomus eruditis sese commendat. De Poesi, Eloquentia, Historiaque studio et ordine adcu-

adcuratiore differit, quam in reliquis factum Opufculis, quorum titulum seruauit auctor. Indicat erudite, quid sequi, quid fugere debeat litterarum cultor in lectione Poetarum, Oratorum et Historicorum, ac iudicium subinde suum de praecipuis exponit. Singulares tamen, quas passim fouet, opiniones non omnium probatae calculo sunt: nec libertas et licentia, qua in spargendis iis ac defendendis vsus est, aduersarios nullos prouocauit. Vid. plura apud REIMMANN. *l. c. p. 598. sq.* vbi testatur quoque, Parrhasiana isthaec translata esse in linguam Belgicam atque Anglicam. Alter Tomus nil nisi moralia et politica Capitibus quinque pertractat. *Perroniana, siue excerpta ex ore Cardinalis* PERRONII, per F. F. P. P. i. e. fratres PVTEANOS collecta, et a CL. SARRAVIO descripta, prodierunt *Geneuae a.* 1669. *in 8.* Notat hic errorem BAILLETI MENAGIVS in *Anti-Baillet, Tomo I. p. 188. seq. edit. prioris*, vbi haec: *Monsieur Baillet dit, que Mess. du Puy ont fait imprimer le Perroniana, qu' il apelle les Perroniennes. Cela n' est pas veritable, ç' a été Mr. Daille, le fils, qui l' a fait imprimer: et il le fit en 1669. qu' il le fit imprimer: et il le fit imprimer à Rouen. Pierre du Puy, qui étoit l' ainé des deux freres mourut en 1651. le 17. Decembre, et Jaque du Puy, Prieur de St. Sauveur le Cadet, mourut en 1656. le 17. Nov. Ce, qui a troublé Mr. Baillet c' est, que ces mots du Cardinal du Perron, intitulez Perroniana, ont été recueillis par Christophle du Puy, Procureur de la Chartreuse de Rome: le frere de ces Messieurs du Puy: le quel étoit en ce tems l' Aumônier du Roi, et domestique chez le Cardinal du Perron. Mr. Baillet est peu versé dans l' Histoire des gens de Lettres.* Quum parum correcta esset editio prior, noua successit adcuratior *Amstael. a.* 1694. *in 12.* cum *Thuanis*, primum

mum per fratres Puteanos itidem congestis, et *Genev.* 1669. *in 8.* plagulis quatuor excusis, quae vero sunt minoris momenti, nullaque de Auctoribus iudicia, sed quaedam saltim historica complectuntur. Exemplaria, quae *Coloniam Agripp.* praeferunt, nescio an differant. Forte titulus est saltim mutatus. Is ipse ita confectus fuit: *Perroniana et Thuana, ou Pensées judicieuses, bons Mots, rencontres agreables, et observations curieuses du Cardinal* PERRON, *et Mr. le President* DE THOV. Nunc optime prostant eadem, cura PETRI DES MAIZEAVX, cum *Scaligeranis* aliisque *Amstael. a.* 1740. *in 12. Tomis II.* diuulgata. Pretium huic editioni addunt notae cum SARRAVII, DALLAEI, filii, DVCHATIIque, tum Editoris ipsius. Sunt autem in Perronianis, ex quibus aeque, ac ex Thuanis Menagianisque, potiora decerpsit et Germanice *Brunsuigae a.* 1735. *in* 8. protulit RÜHLIVS, supra memoratus, sunt, inquam, in his multa falsa atque inepta, de quibus vel nunquam cogitauit Pater ille purpuratus, vel is ipse talis fuit, qualis describitur in *Sorberianis p.* 167. scilicet admodum fuisse mediocre, imo infra mediocritatem, eius ingenium. Cf. REIMMANN. *l. c. p.* 613. Non inutilis quoque labor fuit IACOBI LENFANT, quum notatu digniora ex Operibus POGGII, Florentini, colligeret. Emissa nimirum eius auspiciis *Amstaelod. a.* 1720. *in 12. mai. Tomis II. Poggiana, ou la Vie, le Caractere, les Sentences et les bons Mots de* POGGE, *Florentin, avec son Histoire de la Republique de Florence, et un Supplement de diverses pieçes importantes.* Eo quidem consilio rem suscepisse videtur Editor, Ioh. Bapt. Recanato vt responderet, qui varia in Historia Concilii Constantiensis de Poggio dicta culpauerat. Interim grata fuit eruditis isthaec occasio, quae librum protraxit, vbi, praeter Vitam Poggia-

 nam,

nam; maioris momenti capita ex Operibus Aucto-ris, breuiarium Historiae Florentinae, ab eodem perscriptae, adiectis ad eam illustrandam Aretini, Machiauelli et Recanati notulis, item selectiora e facetiis Poggianis, ab eo ipso collectis, editisque saepenumero, conspicere licet. Quod autem ad facetias attinet, eae parum quandoque salis habent, quaedam etiam, quamquam proinde in iis recensendis versatus est Lenfantius, facile castos modestosque animos laedere possunt. Accesserunt notae ipsius historicae ac morales, atque Apophthegmata ab AENEA SYLVIO congesta, quae Poggianis facetiis longe praeferenda existimantur in *Actis Erud. Lat. a.* 1720. *p.* 169. Contra haec Poggiana RECANATVS *Venet. a.* 1721. *in* 8. diuulgauit *Osservazioni critiche ed apologetiche sopra il libro del Sign.* IACOPO LENFANT, *intitolato* Poggiana; id agens vtique, vt ab obiectionibus Lenfantii vindicet a se alio loco de Poggio tradita, simulque amplius ducentos ostendat et emendet errores geographicos, chronologicos, historicos atque philologicos, quibus abundare contendit Poggiana. Anno sequenti 1722. *Parisiis in* 12. MONNOIVS stilo epistolari scripsit lucique exposuit *Remarques sur le Poggiana de Mr.* LENFANT. Postea in *Bibliotheque Germanique, Tomo IV. art.* 2. comparuit *Réponse de l'Auteur du Poggiana à une Brochure venuë de Paris sous le Titre de Remarques sur le Poggiana*, quo in responso pleraeque Monnoii Obseruationes criticae leuioris esse momenti dicuntur. Iam *anno* 1701. *in* 8. *Amstaelod.* impressa typis fuere *Saint-Euremoniana, ou Recueil de diverses Pièces curieuses; avec des Pensées judicieuses, de beaux traits d'Histoire et des Remarques très utiles de Mr.* SAINT-EVREMONT. Singulare est, quod de hoc libro refert IAC. BERNARDVS in *Nouvell. de la Republ. des Lettres m. Febr.* 1706. *p.* 208.

On

On nous apprend, ait, *que l' Auteur de la Dissertation sur les Oeuvres melées de Mr. Saint-Euremont est un certain* Cotolandi, *Auteur de l' Arlequiniana, le plus fade et le plus impertinent de tous les livres, qui ayent paru depuis plus d' un siécle. Ce fut le même, qui publia le St. Euremoniana, livre un peu moins méchant, que le précedent.* Cf. *Lettres de Mr.* BAYLE *Tomo III. p.* 1016. *edit. a.* 1729. adornatae. Ipse San-Euremonius, tunc superstes adhuc, negauit hanc farraginem ex suo prouenisse ingenio. Mirifice tamen laudat eandem WOLFIVS in Praefat. *Casaubonianis* praefixa, *§. XXII.* his quidem verbis: *Non exiguum illis* (San-Euremonianis) *pretium statui merito oportet, quum varia, de moralibus in primis et historicis argumentis cogitata complectantur, quae vel cum scriptis eius aliis ex asse conueniunt, vt inde desumta videri possint, vel saltim ita ad exemplum Euremonianae dictionis sunt expressa, vt ingenii eius elegantiam ac iudicii acumen non vno in loco ostentent.* Quod Wolfii iudicium iusto forte benignius est: non nulla tamen bonae frugis inueniri, lectio comprobabit harum schedarum, idque exemplis etiam planum redditur in *Actis Erud. Lat. a.* 1702. *p.* 320. Cf. ECCARDI *monathliche Auszüge a.* 1701. *m. Ianuario p.* 57. *sq.* Omnium eius modi librorum primum esse eum, qui *Scaligerana* exhibet, memini me supra pronunciare. Iam de his agendum est paullo fusius. Excusa sunt *Hagae Com. a. 1666. in* 8. Mox autem ex editione secunda auctiore atque emendatiore prodierunt *ibidem a.* 1668. *in* 8. ita inscripta: *Scaligerana, siue Excerpta ex ore* IOSEPHI SCALIGERI *per F. F. P. P.* (*i. e. per fratres* PVTEANOS) HVETIVS tamen loco supra memorato, atque GVIDO PATINVS *Epist. CLIV.* aliter rem se habere adserunt, et ille quidem Valsanos, fratres; hic IOH.

VASSANVM ſpeciatim ex Scaligeri ore excepiſſe quae dixerat, ſcribit. Cf. MORHOFII *Polybiſt. Tomo I. lib. 1. cap. 16. p. m.* 182. et *Sorberiana p.* 189. Vaſſanum deinde aiunt, inſtituta vita monaſtica, collecta ab ſe Puteanis reliquiſſe. Succeſſere ſtatim *Groningae a.* 1669. *in 8. Prima Scaligerana, nunquam antehac edita, cum Praef.* TANAQV. FABRI, cuius et notae adiectae, itemque *Scaligeranis alteris*, quae *Hagae Comitum* antea diuulgata erant, iam Obſeruationibus PAVLI COLOMESII locupletatis. Repetita haec eſt editio *Vltrai. a.* 1670. Cur prima vocauerit Faber Scaligerana, facile, credit, intelligi poſſe, ſi quis haec legerit. Altera quippe, duobus tribusue annis antiquiora, recentioris eſſe originis, ſi fontem ſpectes, ex quo manarint. Differunt quoque inter ſe lingua, quum in *alteris* modo Latine, modo Gallice; in *primis* autem Latine tantum expreſſae ſententiae ſint. Vtraque Collectio *Coloniae*, ſeu potius *Amſtaelodami, a.* 1695. *in 12.* denuo eſt luci expoſita hoc titulo: *Scaligerana, ou bons Mots, Recontres agreables, et Remarques judicieuſes et ſavantes de* IOS. SCALIGER, *avec des notes de Mr.* LE FEVRE, *et Mr.* DE COLOMIE's. Qua in editione diſpoſita ſunt omnia ordine alphabetico. Nouiſſima eſt et praeſtantiſſima, quam PETR. DES MAIZEAVX *Amſtael. a.* 1740. *in 12. mai. Tomis II.* adornauit. Praemiſſa docti huius Viri *Scaligeranorum Hiſtoria*, quam et ſingulari *Diſſertatione*, parum iam obuia, *Vitemb. a.* 1695. *in 4.* condiderat IOH. THEOD. LEVBSCHERVS. Subiunxit *primis* Scaligeranis VERTVNIANI, FRANC. SIGONII, FABRI, CLERICI et IAC. DVCHATII: *alteris* CLAVD. SARRAVII, DALLAEI, filii, COLOMESII, CLERICI, et DVCHATII notas, quibus ipſe Editor ſuas immiſcuit, vtrumque librum illuſtrantes. Acceſſerunt deinde *Thuana*, *Perroniana*, *Pithoe-*

Pithoeana et *Colomesiana.* Pithoeana sunt admodum breuia, neque rerum delectu admodum eminent. Notata sunt ex ore FRANCISCI PITHOEI, quae ex manuscripto quodam Parisiensi desumsit, atque *Tomo III. Elogiorum suorum Thuanorum* adiecit ANTON. TEISSERIVS. *Colomesiana* nihil aliud sunt, quam PAVLI COLOMESII *Melanges historiques*, qui libellus primum *Arausione a.* 1675. *in 12.* postea in *Melange curieux des meilleures pieçes attribuées à* Mr. *de* SAINT-EVREMONT cum notis DES MAIZEAVX, itemque in COLOMESII *Operibus theolog. crit. et historicis*, *a* FABRICIO singulare in Volumen redactis, diuulgatus erat. Praeter historica, varia ibi occurrunt argumenti litterarii. Reuertamur paullulum ad Scaligerana. Sunt in iisdem iudicia complura, saepe tamen plena ruris, plena iniquitatis. Auctor e. g. Basilium vocat superbum, Iustinum, Martyrem, hominem ieiunum, Epiphanium rudem, Capellum stultum et ridiculum, Clauium asinum et bestiam, Villalpandum spiritum miserum; Franc. Iunium ignorantiae summae, Robortellum vero ac Meursium Pedantismi arguit. Imo in nationes etiam integras, maxime Germanos, virus acerbitatis euomuit, vti iam *Tomo I. cap. 5. p.* 681. luculento quodam exemplo probatum. Multa alia dubia, falsa, paradoxa, studio partium contaminata, imperiosam iactantiam spirantia, Analogiae fidei aduersa, ibidem inueniri REIMMANNVS notat *Catal. Biblioth. Tom. II. p. 597.* quae omnia deteriora facta sint digestione alphabetica. *Eo enim ordine*, inquit, *proponi debuissent*, *quo prolata sunt*, *i. e. nullo; sed quia ad litterarum seriem reuocare placuit illis*, *qui editionis curam susceperunt*, *factum est*, *vt vna eademque res saepius interdum sit repetita*, *et contraria de vno Auctore*, *libro*, *argumento*, *in eadem pagina tradita*, *et eum in locum reposita*, *vbi*, *qui nasum*

 habet,

habet, *vix vnquam quaesiuisset*. Add. VIGNEVL-MARVILLE *Melanges d' Hist. et de Litt. Tomo III. p.* 148. *edit. Roterod. a.* 1702. exhibitae, vbi haec inter alia: *L'orgueil, l'arrogance, et le venin d'un Pedant outré y regnent depuis la premiere feuille, jusqu' à la derniere.* IOACH. CHR. NEMEITZIVS quoque in *den vernünftigen Gedancken* caet. *Parte IV. p.* 39. *sq.* fuse de Scaligeranis egit, qui legatur, dignissimus. Nitent vero in hac Sylloge stellae etiam, ex quibus doctrina Scaligeri satis perspici potest. Quae perperam dicta sibique contraria occurrunt, ea magna forsitan ex parte eorum sunt negligentiae tribuenda, qui excipiendis iisdem fuere occupati. Nominis admiratio ac doctrinae, qua olim abundabat Conr. Sam. Schurzfleischius, peperit *Schurzfleischiana, ex scholis celeberrimi illius Polyhistoris collecta, quorum Specimina IV. anno* 1729. *in* 8. *Vitemberg. dedit* IRENAEVS SINCERVS, i. e. GODOFR. WAGNERVS. Idem, vero nomine suo subiuncto, *Schurzfleischiana, siue varia de Scriptoribus librisque iudicia* C. S. SCHVRZFLEISCHII, *cum indice necessario, ibid. eademque forma a.* 1744. adiecit. Multa etiam hic, vt in aliis eiusmodi libris, vulgaria, falsa, confusa: praedae non nihil obtinget tamen in hoc saltu peritis venatoribus. Conf. *Acta Erud. Lat. a.* 1729. *p.* 408. *sq. Seldenianorum* nomine merito poterat insigniri libellus Anglicus, *Table-Talk, being the Discourses of* JOHN SELDEN inscriptus. Excusus primum *Londini a.* 1689. *in* 4. iterumque *a.* 1696. *in* 8. et *Amstael. a.* 1716. *ead. forma.* (*Londinum* tamen expressum in titulo) locum tandem nactus est in SELDENI *Operibus*, *Londini a.* 1726. *in fol.* publicatis, *Tomo III.* sub finem. Apophthemagta sunt tanti Viri, quae RICHARD. MILWARDVS, Commensalis eius per quatuor lustra, litteris mandauit, quaeque, in locos communes disposita, alius quidam

dam edidit. Pleraque ad rem ſacram et ciuilem regni Anglici pertinent, mirificamque ſentiendi libertatem produnt. Admiſcentur tamen non nulla minoris momenti, non nulla item, quae vel ſunt obſcura, vel plane falſa, ſine dubio culpa colligentis, qui Auctoris mentem non adcurate ſatis intellexit. Litteraria hic nemo quaerat. Frequentiora haec talia ſunt in *Sorberianis, ou bons Mots, Rencontres agreables* caet. *de Mr. Sorbiere, à Paris* 1694. *in 12.* iterumque *a.* 1732. Samuelis Sorbierii dicta proponuntur cum Gallico, tum Latino ſermone. In his et iudicia, de Viris eruditis ſubinde lata, interſpergi ſolent. Editor, G. L. COLOMIEZ, praemiſit Auctoris Vitam, a FR. GRAVEROLO exaratam. *Valeſiana, ou les Penſées critiques, hiſtoriques et morales, et les Poeſies Latines de Mr.* DE VALOIS, Pariſ. *anno* pariter 1694. *in 12.* prodierunt cura filii, quem vnicum reliquerat HADRIAN. VALESIVS. Scenam aperit Vita ipſius: tum vero ſequuntur varia ex Hiſtoria ciuili et eccleſiaſtica, multa de ſcriptoribus ſingularia, Gallis praeſertim, loca plurima deprauata in Suetonio, Caeſare, Catullo, aliis, ope Critices priſtino reſtituta decori, notae porro et emendationes in DV CANGII Gloſſarium mediae Latinitatis, Valeſii ex ſententia erroribus copioſiſſimis maculatum. Neque tamen reticendum, cum herbis melioribus infelix paſſim lolium adoleuiſſe, communi vitio eiusmodi ſcriptorum. Inter edenda ſua VAL. ERN. LOESCHERVS promiſerat quondam *Lexicon elegantioris litteraturae*, quod contineret nucleum librorum in ANA, certos in ordines redactum. Addere conſtituerat Loeſcherus *Melanchthoniana* et *Dauiana.* Diu poſt IOH. BVRCH. MENCKENIVS ad hunc STRVVII locum notauerat ſequentia: *Loeſcheri Opus fere abſolutum typographi manum exſpectat. Prodibit Latino idiomate. Ipſe tamen Loeſcherus non potuit abſolue-*

 ſolue-

soluere integrum, *sed tantum suscepit directionem*. At penitus conatus hicce, vt alii plures, speratum ad exitum non peruenit, nihilque huius rei inter schedas beati Soceri, anno 1749. sollicite abs me perquisitas, inuenire contigit.

§. X.

De litterariis eiusmodi Excerptis quid sentiendum sit, iam professus est MORHOFIVS *Polyhist. Tomo I. lib. 1. cap. 16. p. m. 183.* male nimirum de Virorum illustrium fama mereri, qui omnia eorum dicta factaque sine vllo delectu in publicum protrudunt. Meminit hac occasione QVINTILIANI eos reprehendentis, qui de iocis Ciceronis tres libros collegerant, inque hos frigida etiam retulerant et inepta, quae tantum certe hominem non decebant. Ipsa verba *Inst. Orat. lib. VI. cap. 3.* haec sunt: *Vtinam Quintus, et libertus eius Tyro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re* (de iocis Ciceronianis) *libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent, et plus iudicii in eligendis, quam in congerendis studii, adhibuissent: minus obiectus calumniantibus foret.* Quid PATINVS ac LEIBNITIVS de libris in ANA existimarint, *§pho superiori* est memoratum. His adiicienda omnino Obseruatio, qua disquiritur: *worinnen die Schriften in* ANA *zu loben und zu tadeln?* in *den auserlesenen Hällischen Anmerckungen, P. II. art. 8. p.* 156.*sq.* itemque Abbatis D'ARTIGNY *Reflexions sur les* ANA, *avec un Catalogue raisonné de ces sortes d' Ouvrages;* quod scriptum lectu dignum exstat in eiusdem *Nouveaux Memoires d' Histoire, de Crit. et de Litterat. à Paris* 1749. *in 12. mai. Tomo I. art. 24. p. 287. sq.* Certum est, per talia Excerpta, saepissime imprudenter excepta, calumniarum suppeditari materiam, inprimis si quae-

dam

dam detegantur secretiora, quae priuatos intra parietes, familiari more, fuerant proposita. Praeterea, quum in iisdem reperiantur multa vulgaria, multa falsa, multa etiam obscoena, parum inseruiunt bonae menti ad comparanda noua doctrinae subsidia. Interim et illud PLINII *lib. III. Epist. 5.* hic locum habet, nullum scilicet esse librum tam malum, vt non aliqua parte prosit; possuntque in istis sterquiliniis margaritae quaedam conspici. Quas si quis indigno iacentes loco erueret, atque sic Loescherianum institutum exsequeretur, facile homo eruditus, vno coemto Volumine, carere tot aliis posset, quae hac aetate magis in dies vilescere incipiunt. Habemus quidem *Elite des bons Mots et des Pensées choisies, recuillies avec soin des plus celebres Auteurs, et principalement des livres en* ANA, Tomis II, *Amstael. a.* 1706. *in* 12. editis, *ibidem*que *a.* 1731. et 1747. auctius, nisi titulus mentitur, recusis; sed, praeter historiolas ludicras, facetias modo quasdam, easque non admodum elegantes, exhibent haec Miscellanea, quae homines, inani deditos otio, forsitan oblectabunt, non eos, qui aetatem inter Musas agere consueuerunt. Iusta proinde censura damnatus est hic liber a WOLFIO in *Praefat. ad Casauboniana §. XXXII.*

§. XI.

Praeter libros in ANA sunt adhuc alii, qui pertractant similia, et non nisi titulo delectuque maiori ab illis discrepant. Huc pertinet (licebit etiam in his recensendis ordine vti alphabetico) *Melange critique de Litterature, recueilli des Conversations de feu Mr.* ANCILLON, *avec un Discours sur sa Vie et ses dernieres heures, Basileae a.* 1698. *in 12. mai. Tomis II.* Promissa tamen in titulo Vita separatim exstat. Noua editio, vno parata Volumine *a.* 1702. *in* 12. et

Amstaelodami notata loco, reiecta fuit a filio, Carolo Ancillonio, quoniam in eam varia transierant, parum ipsius parentisque nomini honorifica. Vide, quae hac de re ipse significauerit in *Nouvelles de la Republ. des Lettres*, *m. Martio* 1703. *p.* 156. Excusauit se autem bibliopola Belga, Brunelius, et sub finem dicti mensis haec adiicienda curauit: *Mr. Ancillon n'a pas été bien informé, quand on lui a dit, que j' avois imprimé le Melange critique de Litterature, recueilli par Mr. son Pere. Ce livre a été imprimé à Rouen, et ceux, qui l'ont imprimé, y ont mis mon nom sans me le communiquer, et m'en ont envoyé 150. exemplaires, sans les avoir demandé.* Dicenda omnino erant haec Miscellanea *Ancilloniana*, nisi contemtus, in quem iam tum Opuscula, eiusmodi titulo insignita, adducta fuerant, deterruisset Editorem. Agitur in iisdem de argumentis ad Historiam cum ciuilem, tum ecclesiasticam spectantibus; potissimum tamen litterariis, quae dos est libri praecipua. Multi anonymi pseudonymique Scriptores passim, occasione oblata, deteguntur: multa de vita, moribus ac scriptis Virorum doctorum, qui ordine alphabetico sunt memorati, occurrunt oppido iucunda, iudiciisque subinde haud contemnendis condita. Naeui quidam indicantur in *Actis Erudit. Lat. a.* 1698. *m. Junio p.* 288. Cf. STOLLII *Nachr. von den Büch. seiner Biblioth. Vol. I. p.* 687. *sq.* nec non REIMMANN. in *Catal. Bibliothecae suae, Tomo II. p.* 605. vbi haec digna, quae adiiciantur: *Nos eam ob caussam vocabulum in* ana *reformidasse putamus Ancillonium, quia non ex Colloquiis Ancillonii congesta sunt haec, quae prodit; sed ex schedis Mstis, et spisso Conlectaneorum Opere, quod condidisse patrem scribit filius* dans le Discours sur la vie de feu Mr. Ancillon *p.* 114. *Si quidem fieri non potest, locos Scriptorum*

rum tam ſpatioſos ex memoria proferre, qui in Miſcellaneis hisce quaſi ex tempore ab Ancillonio recitati proferuntur. Idem Auctor ſubiungit ſtatim *l. c. Melanges d'Hiſtoire et de Litterature, recueillis par Mr.* DE VIGNEVL-MARVILLE. Sub ficto hoc nomine non latet Garanceus, vel Garentius, vt quidam ſuſpicati ſunt olim, ſed NATALIS D' ARGONNE, Cauſſarum apud Pariſienſes patronus, qui poſtea Ordini Cartuſianorum ſeſe addixit, nomenque accepit BONAVENTVRAE. Vid. IOECHERI *Gelehrten-Lexicon, Tomo III. v.* Natalis Argonenſis, *p.* 820. Quae quum ita ſint, conciliari cum his facile poſſunt illa BAELII *Tomo III. Epiſtolar. p.* 1016. *edit. anno* 1729. adornatae. Ibi enim *Je ſuis ſûr*, ait, *quae celui, qui s' eſt déguiſé ſous le nom de Vigneul-Marville, eſt un Chartreux, nommé Dom* Banaventure d' Argogne, *fils d'un Orfévre de Paris.* Idem poſt Baelium adſerit IAC. DVCHAT. in *notis ad Oeuvres* DE FRANC. RABELAIS, *Amſtael. a.* 1711. *in 8. Tomo III. p.* 223. vt alios plures taceam. Conſtant autem haec Maruilliana ex *Voluminibus III. in 8.* Primum alterumque *Rothomagi a.* 1699. et 1700. prodiit, vtroque *Roterod. a.* 1700. recuſo, et BAELII quidem inſtinctu, quod ipſe *l. c. p.* 807. teſtatur his verbis: *Je ſuis cauſe, que cet Ouvrage a été réimprimé dans notre ville de Rotterdam.* Acceſſit Volumen tertium *ibidem a.* 1702. iam diuulgatum antea ſine dubio etiam *Rothomagi.* Id vero ab alio eſſe profectum, obſeruatur in *Memoires de Trevoux m. Iunio* ſub finem, *anni* 1701. Quartam, eamque nouiſſimam, editionem accepimus *Lut. Pariſ. a.* 1725. *Tomis III. in 8.* ab Anonymo, quem PERARDVS in *Catal. Bibliotb. ſuae p.* 328. ANTON. BANIERIVM, Abbatem, dicit. Multa tamen in ea ſunt mutata. Quaedam enim deleta penitus, quaedam ex Tomo III, quae cum prioribus cohaerere debebant, iuſto loco inſerta,

ferta, quaedam noua quoque adiuncta, ne Tomus ille postremus nimia breuitate laboraret. Vid. *Journal des Savans m. Dec.* 1725. *art.* 3. vbi plura de hac editione legi queunt. In *Praefatione* bibliopolae, olim Tomo I. praefixa, haec ad Operis historiam pertinent: *La plûpart des Pieces, qui composent ce Recueil, n'ont jamais été imprimées, et celles, qui ont dejà paru, reviennent ici avec un nouvel éclat. Si pour les rendre encore plus recommendables, il faloit nommer Mr. le Duc de Montausier, Mr. le Commandeur de Grimmonville, Mr. le Chevalier de Bressey, Mr. de St. Evremont, Messieurs Dupuy, Gardes de la Bibliotheque du Roi, Mr. du Til, ancien Conseiller d'Etat, et plusieurs autres illustres dans la Republique des Lettres, qui en sont originairement les Auteurs, ce seroit un grand surcroît de gloire pour l'Ouvrage.* Pleraque forte huius generis Opuscula ei, de quo verba iam facio, concedere principatum debent. Thesaurum enim recludit variae iucundissimaeque eruditionis. Prae caeteris autem litteraria eminent, de scriptis et Scriptoribus maxime Gallicis, adeo vt Historia eruditorum arcana dici mereatur isthaec Sylloge, multis quoque iudiciis distincta. Non nulla parum adcurate prolata, emendauit partim quisquis Tomi III. est architectus, in Dissertatione, ei quondam subiuncta: partim recentissimus Editor, BANIERIVS. Ex Ioh. Capellani Epistolis, quarum tria maioris molis Volumina in manus peruenerant CAMVSATI, is idem Vir doctus optima quaeque selegit, notisque suis, vtique commendandis, illustrauit. En! libelli titulum: *Melanges de Litterature, tirez des Lettres manuscrits de* JEAN CHAPELAIN, *à Paris* 1726. *in* 12. Editor, qui nomen suum reticuit, optime sic meritus est de homine, cuius nulla fere in Republica eruditorum existi-

existimatio, propter Poema heroicum: *La Pucelle, ou la France delivrée.* Quasdam Epistolas inseruit integras, si argumentorum id vtilitas suaderet, tandem vero addidit huius Auctoris *Memoire de quelques gens de Lettres vivans en 1662.* quo de scripto iam supra fuit actum. Et huic notarum non nihil a Camusato accessit. Quemadmodum tamen nullus est eorum librorum, quos vulgo libros in ANA vocant, vbi omnia sint eiusdem metalli; ita etiam in hisce Miscellaneis non desunt, quae sine litterarum damno poterant plane praetermitti. Ex PAVLI COLOMESII *Opusculis*, quae *Paris. a.* 1668. *Vltrai. a.* 1669. *Amstael. a.* 1700. *in 12.* item in *Collectione Fabriciana Hamburgi* prodierunt, faciunt huc, quae primo exstant loco, κειμήλια litteraria, Capitibus nouem ac triginta, plerisque perquam breuibus, exposita, et in primis *Recueil de particularitez, fait l'an* 1665. quae schedae, dignae vtique lectu, continent litteraria, in itinere ab Auctore ex ISAACI VOSSII et aliorum eruditorum Virorum sermonibus notata. His vero relationibus inesse mendacia quandoque, iam dudum obseruauit MORHOFIVS *Polyh. Tomo I. lib. 1. cap. 15. §. 56.* inter quae illud vocat horrendum de Casp. Barthio, qui concubinam suam Rheno suffocauerit, quod eius cum Scriuerio deprehenderit amores. De COLOMESII *Melanges historiques* supra *§. IX.* pauca disserui, quum Scaligeranorum esset mentio iniicienda. THOMAE CRENII *de libris Scriptorum optimis et vtilissimis Exercitationes IV, L. B. a.* 1704. *et seq. in 8.* editae, multos producunt, qui plurimis inclaruerant Operibus, ex quibus ea sunt delecta, quae praecipua singulorum industria confecta existimauit. Exercitatio V. *anno* 1717. dicitur accessisse in FR. OTTON. MENCKENII *Catalogo libror. Parte II. p.* 159. Maioris hos libellos ponderis esse non dubito, quam eiusdem

de

de singularibus Scriptorum Dissert. epistolicam, quae *ibidem a.* 1705. *ead. forma* e prelo exiit. Collectanea hic exhibentur de Scriptoribus quibusdam, hinc inde, more huius hominis, consarcinata, et ordine alphabetico, secundum Auctorum nomina, disposita. Sed paucissima saltim sunt haec, et cum Euripide desinunt, neque admodum singularium rerum gratiam habent. Taceo, in Scriptoribus eorumque monumentis diiudicandis a recta saepius via Crenium aberrasse. *L' Esprit de l' Abbé des Fontaines, ou Reflexions sur differens genres de Litterature,* Opus *Partium IV. Paris. a.* 1757. *in* 12. emissum, de quo euoluantur *die Leipz. gel. Zeit. anni* 1757. *p.* 851. *s.* permultas repetit Ismaelis huius de doctis hominibus et iis, quibus innotuerunt, libris censuras. Sic et *L' Esprit de Patin, tiré de ses conversations, de son Cabinet, de ses Lettres et de ses autres Ouvrages, avec son portrait historique, Amstael. a.* 1710. *in* 12. *mai.* complectitur eiusmodi cogitata GVIDONIS PATINI, qualia iam ante in *Patinianis* fuerant congesta. Non desiderari hic de rebus litterariis, scriptisque et eorum Auctoribus, iudicia, conspectus libelli luculenter docebit. Saepe tamen eruditorum nomina siglis modo sunt indicata, ideoque opus est Oedipo. Dolent id Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1710. p. 419. vbi recensioni sic imponitur finis: *Sufficiat haec selegisse e copia non vulgari iudiciorum iuxta atque iucundarum etiam oppido narrationum, quas legere haud paullo nobis foret acceptius, si, de quibus potissimum sermo sit, rectius vtique constaret, neque initialibus litteris saltim signare eorum placuisset nomina, quorum vitae ratio et fata passim memorantur.* Paucorum forte in manibus est, quod in *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol.* 1. *p.* 1728. occurrit SAM. SCHELWIGII, Theologi quondam ac Professoris Gedanensis, *Specimen Bibliosophistarum Gedanensium,*

nensium, *siue erudita colloquia in Bibliotheca publica*, *intra trimestre hiemale*, *habita*, *Gedani a.* 1675. 8. Nec male huc referri posse arbitror *Lettres critiques*, *où l'on voit les sentiments de Mr.* SIMON *sur plusieurs Ouvrages nouveaux*, *à Basle a.* 1699. *in 8.* Rarior est hodie liber, nescio quam ob caussam in noua Epistolarum Simonianarum editione praetermissus. Excepit eundem *Bibliotheque critique*, *ou Recueil de diverses pieces critiques*, *dont la plûpart ne sont point imprimées*, *ou ne se trouvent*, *que très difficilement*, *avec quelques notes*, *par. M.* de SAINIORE, *Amstaelodami*, seu rectius in Gallia, *a.* 1708. *in 8. Tomi* sunt *quatuor*, vltimo *a.* 1710. excuso. Verus quoque auctor est memoratus RICHARD. SIMONIVS. Variae in hoc Opere exstant Obseruationes, ex diuersis collectae schedis manuscriptis, et a pluribus compositae, quamquam non pauca, imo pleraque forsitan, ipsi Editori videantur esse tribuenda. Pertinent autem pertractata partim ad sacri Codicis illustrationem atque Historiam ecclesiasticam; partim ad rem litterariam et criticam, multaque singularia comprehendunt. Interim iudicia, quae frequenter accesserunt, passim duriora, et acerba quaedam contra Monachorum Ordines scripta, effecere, vt liber, sententia Curiae Parisinae damnatus, mox supprimeretur. Priores Tomi tres in capita sunt diuisi, postremo Epistolas exhibente, ad diuersos exaratas, adeoque hic dici continuatio potest Epistolarum Gallicarum, antea iam a Simonio publicatarum. Laudat REIMMANNVS Bibliothecam hancce criticam vehementer *Catal. sui Tomo II. p.* 499. CLERICVS e contrario in *Biblioth. ancienne et moderne*, *Tomi I. Parte 1. art. 4. p. 133. sq.* multa reprehendit, quae legi merentur. Eiusdem Simonii est partus *Nouvelle Bibliotheque choisie*, *où l'on fait connoitre les bons livres en divers gens de Litterature*,

et

et l'usage, qu'on en doit faire. Tomi sunt II. qui *a.* 1714. *in 8. Parisiis*, non Amstaelodami, vt mentitur titulus, prodiere. Persequutus est Auctor, ante Opusculi editionem viuis ereptus, coepta priora, deque libris variis Obseruationes eruditas congessit, vti fusius docent *Acta Erud. Lat. a.* 1714. *p.* 537. *sq.* Add. *die Neue Hällische Biblioth. Vol. IV. Parte* 39. *p.* 728. *sq.* CLERICVS *l. c. p.* 164. et *Journal litteraire Tomo III. p.* 224.

§. XII.

Conuertamus nos ab his ad Scriptores de *Homonymis*, siue iis, qui idem habuere nomen. Dici vix potest, quantos in Historiam litterariam errores inuexerit, et adhuc inuehat talium Virorum commutatio. Cui quidem incommodo vt obex poneretur, omnem operam adhibuit IOH. MOLLERVS. Edidit nimirum *Hamburgi a.* 1697. *in 8. Homonymoscopiam historico-philologico-criticam, siue Schediasma de Scriptoribus homonymis;* quo in libro non solum errores praecipuos notauit, quibus Homonymia Historiam commaculauit litterariam, sed etiam ingentem Homonymorum turbam probe disiunxit, simulque iucundis digressionibus intermiscuit complura, haud vbiuis obuia. Quantopere placuerit institutum PETRO BAELIO, ex his verbis in *Dict. hist. et crit v.* Demetrius, *litt. B. sub finem* facili perspicitur negotio: - - *il a été necessaire de composer quelque chose sur ce sujet. Un docte Allemand* (Ioh. Mollerus) *s'y est exercé, et y a bien reussi. Son dessein embresse les Ecrivains Homonymes anciens et modernes. Son livre fut imprimé à Hambourg l'an 1698. On y trouve marquées une infinité de fautes, qui consistent dans l'attribution d'un livre à un Auteur, qui ne l'a pas fait, et qui n'a eu rien de commun*

avec

avec l' Auteur véritable, que le nom. Copiose in *Actis Erud. Lat. a.* 1698. *p.* 120. *sq.* verba Collectores fecere de Molleriano hoc libro, quem emendatiorem longe auctioremque ex autographo promiserunt filii in *Vita Parentis*, MOLLERI, *Slesuici a.* 1734. 4. *p.* 39. Haec data fides vtinam liberetur tandem! De vno quodam Scriptorum homonymorum genere multi singularia composuere Opuscula; quamquam libere audeo profiteri, saepius ineptos etiam de claris Homonymis libellos exiisse, in quibus paucissimi digni erant, quorum nomina recenserentur. Scilicet is est plerorumque error, qui eiusmodi rebus vacarunt, quod librorum suorum pretium pendere a multitudine Homonymorum maluerint, quam a claritate et magnitudine. Vid. HEVMANNVS in *Conspectu Reipubl. litt. Cap. VII.* §. 21. En! talium Scriptorum plurimos, quorum congestos Homonymos alphabetico lubet ordine recitare. Huc ergo spectant sequentes:

AEGID. HOCHMVTH *Recensus nomine et cognomine CXLII.* Aegidiorum, *genere, scriptis et eruditione clarorum*, adiunctus eiusdem *Sched. de nominum imposit. et mutat. Vitemb.* 1725. *in* 8. Leuis Opusculi Auctor protulit etiam leuis armaturae milites quam plurimos, vixque in hac sylua decemuiros inuenies, rerum, in Republica litteraria belle gestarum, fama nobilitatos. Taceo ieiuna esse pleraque, quae de Vita scriptisque Aegidiorum memorantur.

NICOL. ALARDI *Decas* Alardorum, *scriptis clarorum, Hamb.* 1721. *in* 8. Possunt non nulla aliorum errata exinde corrigi: non nulla item suppleri, ab aliis praetermissa.

VRBANI GODOFR. SIBERI *Comment. de illustribus* Alemannis, *Lips. A.* 1710. *in* 4. Redolet doctrinam

non vulgarem, neque in Hiſtoria tantum litteraria, ſed patria quoque vſui eſt.

ANDR. DE SAVSSAY, cuius exſtat *de S. Andreae laudibus et gloria* Volumen, *Pariſ. a.* 1656. *in f.* editum, vbi et de Scriptoribus agi, aliisque, qui Andreae nuncupati ſunt, teſtatur LABBEVS *Biblioth. Bibliothecar. p. m.* 9.

ANTON. SANDERI *de claris ſanctitate et eruditione* Antoniis *libri III*, quorum prior vitae ſanctimonia claros, alter Praeſules et Magnates, vltimus litteris et eruditione praeſtantes proponit. Lucem adſpexit Opuſculum *Louanii a.* 1627. *in* 4. recuſumque *Halae M.* eſt *a.* 1714. *ead. forma*, cura ANDR. OCKELII, Icti, cuius et praefixa Differt. praeliminaris *de locis ſacris in Germania notis*, *S. Antonio dicatis.*

IOH. MEVRSII Apollonius, *ſiue de antiquis eius nominis Scriptoribus, eorumque Operibus, Syntagma*, adiectum APOLLONII Dyscoli *Hiſtoriae commentitiae*, *Lugd. Bat. a.* 1620. *in* 4. ab eodem diuulgatae, iamque rarius obuiae. Nunc recuſa haec in *Tomo VII. Operum Meurſianorum.*

IOACH. MEIERI *Diſſ. de claris* Boehmeris, quae acceſſit eiusdem *Diſſ. de Boiorum migrationibus*, *Gottingae anno* 1710. *in* 4.

ELIAE CELLARII, Sacerdotis Vlmenſis, *de doctis* Cellariis *Commentatio*, Germanice exarata, NEVBAVERI *Nachricht von ietztleb. Theologen*, *P. II. p.* 475. *ſq.* inſerta eſt.

CHR. SAM. MARTINI *Sched. hiſtorico-litterarium de* Coleris, *doctrina ſcriptisque claris*, *Vitemb.* 1718. *in* 4. Praemiſſa ſunt *Analecta de eruditis Homonymis Scriptorum*, *quae apud* MOLLERVM *et* STRVVIVM *non exſtant.* Recenſentur ab Auctore nouem et quadraginta Coleri; ſed inter olores anſerum turba ambulat.

IOH

IOH. MEVRSII Dionysius, *siue de Auctoribus istius nominis, eorumque scriptis, liber singularis*, ex Auctoris chirographo editus in *Tomo X. Thes. Antiqu. Gr. Gronov. p.* 577. *sq.* et nunc optime in *Tomo V. Operum Meursian. Florentiae a.* 1745. *in f.* excuso.

IOH. ALB. FABRICII *Centuria* Fabriciorum *scriptis clarorum, qui iam diem suum obierunt, Hamb. a.* 1709. *in 8.* Centuria altera, cum prioris Supplemento, *ibidem a.* 1727. successit. Tertiam idem atque quartam est meditatus, at non perfecit, Centuriam. In his vero Auctorem etiam recensere voluisse Fabros, Fabrettos, Fabrottos, le Fevre, Schmidios atque Vulcanios, patet ex REIMARI *Vita Fabriciana p.* 135. Vellem omnino, ex duabus, quae prostant, Centuriis expunctos fuisse tales homines, quos nulla credo ratione inter scriptis claros referendos esse.

IOACH. MEIERI *de claris* Fischeris, *nec non de Piscinis, Piscibus et Piscatoribus memorabilia quaedam, Gottingae a.* 1695. *in 4.*

LEONIS ALLATII *de* Georgiis, *et eorum scriptis, Diatribe*, adiuncta eiusdem *notis ad* GEORGIVM *Acropolitam*, inter Scriptores Historiae Byzantinae; item in FABRICII *Biblioth. Graeca, Vol. X. p.* 549. *sq.* cum notis, supplemento et Indice Editoris doctissimi.

Laudati supra SIBERI *Historia* Godeschalcorum, *Lips. a.* 1712. *in* 4. typis impressa, quae Dissertatio epistolica docta multa legentibus porrigit, et alibi non obuia.

IOH. THEOD. LEVBSCHERI *de claris* Gryphiis *Schediasma, Brigae* 1702. *in 4.* Quod, rarius hodie, quid complectatur, docent *Noua litter. German. a.* 1703. *p.* 88. *sq.* Videbis hic seriem triginta Gryphiorum, inter quos etiam typographi celebriores occurrunt. Idem postea *Vratisl. a.* 1704. *in 4.*

 edidit

edidit *Αποσπασμάτια quaedam litteraria*, quorum primo noua Gryphiorum clarorum pleias ad superiores XXX. sistitur. Cf. *Noua litt. Germ. a.* 1705. *p. 9.*

IOH. MEVRSII *de* Heraclide, *aliisque eius nominis, et eorum Operibus, Dissertatio* ex Auctoris autographo producta in *Thes. Antiqu. Gr. Gronov. Tomo X. p.* 605. *sq.* atque denuo excusa in *Tomo V. Opp. Meursianorum.*

IVSTI CHRISTOPH. THORSCHMIDII *Commentatio de* HESYCHIO *Milesio, illustri Christiano, multis dubio, itemque claris* Hesychiis, *Vitemb. a.* 1716. *in 4.* quae et nunc locum inuenit in *Tomo I. Lexici Hesychiani*, quod edere coepit *a.* 1746. IOH. ALBERTI.

IOACH. MEIERI *tres Decades clarissimorum in Germania* Meierorum, *quorum* WITTENIVS *in Diario biographico mentionem non fecit.* Explent hae Decades Caput XII. *Antiquitatum Meierianarum*, quas Auctor ille *Gottingae a.* 1700. *in 8.* publicauit. Singulorum Meierorum, qui laudati sunt, nomina recensentur in ECCARDI *Monathl. Auszügen a.* 1700. *m. Maio p.* 233. sq.

LEONIS ALLATII *Diatriba de* Methodiis, *et Methodiorum scriptis* accessit primum S. METHODII *Conuiuio X. Virginum*, Gr. et Lat. cura Allatii *Romae a.* 1656. *in* 8. exhibito, deinde vero, cum eodem Methodii scripto, HIPPOLYTI *Operibus*, *a* FABRICIO *Hamb. a.* 1716. *in f.* editis, *Vol. II. p. 75. sq.*

IOH. MOLLERI *Semicenturia* Mollerorum, Mullerorum *et* Myliorum, Adpendicis loco subiecta est ipsius *Homonymoscopiae p.* 932. *sq.* Copiosius Commentatione singulari, *Molae Musarum Castaliae* titulo insignita, de hoc argumento agere voluerat, vti perspicimus *ibidem p.* 82; sed minime destinata exsequutus est Auctor.

IOH.

IOH. CHRISTOPH. MYLII *Historia Myliana*, *Ienae a.* 1751. et 1752. *in 4.* Partibus II. excusa. Quid vero de schedis hisce ineptis passim sentiendum sit, candide declaratur in *den Leipz. gel. Zeitung. a.* 1751. *p.* 429. et *a.* 1752. *p.* 588.

IOH. CONR. BOECKMANNI *de doctis* Nicolais *Schediasma historico-litterarium*, *Vitemb. a.* 1712. *in 8.*

LEON. ALLATII *de* Nilis *et eorum scriptis Diatriba*, in *Epistolis* NILI, *Ascetae*, *Romae a* 1668. *in f.* studio Allatii editis, et in FABRICII *Biblioth. Gr. Vol. V. post p.* 338. supplementis eius et animaduersionibus auctior.

IOH. MEVRSII *de* Philostratis *Dissertatio*, quam is primum PHILOSTRATI *Epistolis anno* 1616. *in 4.* postea OLEARIVS PHILOSTRATORVM *Operibus Lips.* 1709. *in f.* inseruit, quod et factum in *Tomo VII. Opp. Meursianorum.*

LEON. ALLATII *de* Psellis *et eorum scriptis Diatriba ad Iac. Gaffarellum*, *Romae a.* 1634. *in 8. mai.* et apud FABRICIVM *l. c.* cum notis eiusdem atque supplementis.

RENATI CHRISTOPH. LEONHARDI (i. e. LEONHARDI CHR. RÜHLII) *Sched. de doctis* Reimmannis, *Michaelsteinii anno* 1717. *in 8.* Sedecim hic memorantur eruditi Reimmanni, inter quos commendatur praecipue Iac. Fridericus, Praesul Hildesiensis, cuius caussa labor omnis susceptus ab Auctore fuerat. Minus autem, me iudice, necesse erat, in exordio libelli verba facere de Vitarum descriptionibus ad conseruandam eruditorum memoriam non apud Graecos tantum atque Romanos, sed apud Germanos etiam, Gallos, Italos caet. iam pridem vsitatis.

CHRISTOPH. ADAMI WEISII *Homonymographia* Schneideriana, *oder Nachr. von einigen gel.* Schneidern, *die auch oftmahls den Lateinischen Nahmen*

Sartor, Sartoris, Sartorius, *angenommen*, *Lipsiae a.* 1724. *in* 4.

TOB. HENR. SCHVBARTI *Sched. von gelehrten* Schubarten, *und andern fast gleichen Nahmens*, accessit, quod vtique mireris, eiusdem Sermonibus sacris, *Hamb. a.* 1742. *in* 4. editis, inscriptisque *Weide der Heerde Christi*. Multi et hic, vt apud alios plerosque, Dii minorum gentium irrepserunt.

LEONIS ALLATII *de* Simeonum *scriptis Diatriba*, *cum* SIMEONIS *Metaphrastae laudatione*, *auctore* PSELLO, aliisque scriptis, excusa *Paris. a.* 1664. *in* 4. Allatius in ampla hacce Diatriba Simones quoque, Simonides atque Simonactides erudite recenset.

IOH. LOMEIERI *Differt. de* Terentiis, *in eiusdem Dierum genialium*, *siue Differt. philologicarum*, *Decade I. Dauentriae anno* 1694. *in* 8. euulgata, sextum occupans locum, vbi Auctor vtriusque sexus rationem habet, et ad quosdam simul Christianos veteres, eodem nomine insignitos, progreditur. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1694. *p.* 139.

GVIL. STEINBACHII *Commentat.* de Wagneris, *eruditione et scriptis claris*, *Vitemb. a.* 1713. *in* 4. Breue est Opusculum, in quo vix tres quatuorue eminent Wagneri, elogio eruditorum digni. Merito igitur exploditur misellus Scriptor in *der neuen Hällischen Biblioth. Vol. IV. P.* 44. *p.* 332.

ANTON. BALTH. WALTHERI *Centuria celebriorum* Waltherorum, *Frf. ad Viadr. a.* 1726. *in.* 4. Quinque id argumentum Capitibus pertractat Vir aliis, iisque melioribus, scriptis clarissimus. Et *primo* quidem de duobus Regibus, aliisque illustrioribus dignitatibus saecularibus inclutis: *altero* de Waltheris, ecclesiasticis dignitatibus conspicuis, aliisque Theologis: *tertio* de Waltheris Ictis: *quarto*

quarto de Waltheris Medicis: *quinto* de Waltheris Philosophis agit.

IOACH. MANTZELII *Memoria Westphaliana, seu de doctis* Westphalis *Schediasma epistolicum, Gryphisw. anno* 1705. *in 4.*

Plures quidem non addam, quos qui nosse voluerit, is consulere potest *Catalogum Biblioth. Bunav. Tomo I. Vol. 1. pag. 521. sq.* Integram nunc speramus IOH. BERNH. MICHALTI *Bibliothecam librorum in* Ana; qua de re sic scribit FORMEY in *France litter. p. 239. il a fait beaucoup de recherches pour une Bibliotheque historique et critique des Livres en Ana.*

§. XIII.

Succedant Scriptores, qui ad dignoscendos Anonymos ac Pseudonymos faciunt. Inter omnes praecipuus est VINCENT. PLACCIVS, cuius *Syntagma de scriptis et Scriptoribus anonymis atque Pseudonymis* prodiit *Hamburgi a.* 1674. *in 4.* iterumque, auspiciis MATTHIAE DREYERI, Icti et Canonici Hamburgensis, titulo *Theatri Anonymorum et Pseudonymorum ibid. a.* 1708. *in f.* Praemissa huic editioni est IOH. ALB. FABRICII *Praefatio*, in qua partim rationes, cur Auctores quidam aut nullo, aut ficto nomine libros ediderint, docte adfert; partim Scriptores luculenter recenset, qui ante Placcium Anonymos et Pseudonymos detexerunt; eiusdemque adiuncta tandem est *Vita Auctoris.* Manus etiam adhibuit LVDOV. FRID. VISCHERVS, quippe qui in eruendo hoc Opere ex schedis manuscriptis fuit potissimum occupatus. Insigniter vero locupletatum est id ipsum, quandoquidem non solum plurimi vel Anonymi vel Pseudonymi, inserti fuere, verum etiam de singulis longe fusius, quam antea, differitur. Accessit, praeter GABR. GRODDECKII *Spicilegium libr. anonymorum et pseudonymorum*, qui lingua Rab-

binica partim impressi, *partim manuscripti reperiuntur*, *notis* Edzardianis, Normannianis, *aliisque illustratum*, IOH. DECKHERRI *Tract. de Scriptis adespotis*, *pseudepigraphis et supposititiis*, secundum editionem vltimam, *Amstael. a.* 1686. *in* 12. dimidia parte auctius adornatam, cum Epistolis duabus, altera PAVLI VINDINGII ad Auctorem: altera PETRI BAELII ad ALMELOVEENIVM, in quibus multa notatu digna, et ad emendandum supplendumque Deckherri laborem pertinentia. Cf. *Vita* BAELII, *Diction hist. et crit.* praefixa, sub finem *anni* 1685. *p. m.* 34. Ipse postea Deckherrus *Consultationibus* suis *forensibus*, *Frf. a.* 1691. *in* 4. editis, adiecit *Dialogum exulem de iactura temporis*, vbi Vindingio ac Baelio quandoque respondet, quandoque et sua corrigit. Miror, Dialogum huncce, Fabricio, vt ex Praefatione patet, minime ignotum, in noua Placciani Operis editione fuisse praetermissum. Post Deckherri libellum sequitur FRID. GEISLERI, Icti quondam et Professoris Lipsiensis, *Dissert. ductu L. vn. C. de mutatione nominum* de nominum mutatione et anonymis Scriptoribus, *Lips. a.* 1669. in cathedram producta, et *a.* 1670. *in* 12. *Laruae detractae* titulo, i. e. *breuis expositionis nominum*, *sub quibus Scriptores aliquot pseudonymi*, *recentiores in primis*, *latere voluerunt*, addito ficto *Veriburgi* loco recusa, insciente Auctore, qui propterea eandem *Lipsiae a.* 1671. *in* 4. denuo imprimendam typis, et locupletiorem quidem, curauit. Hanc ipsam Dissertationem primam suppeditasse occasionem Placcio de hoc argumento cogitandi, atque Anonymorum ac Pseudonymorum Catalogum contexendi, ipse fatetur *p.* 33. et *p.* 50. *edit. prioris.* Vltimum occupat in Theatro Placciano locum IOH. FRID. MAYERI ad Auctorem *Diss. epistolica*, *qua Anonymorum ac Pseudonymorum farrago obiter indicatur*, excusa *a.* 1689. *in* 4. *Hamburgi*,

burgi, itemque inserta *Dissertationibus Mayerianis selectis Kiloniensibus et Hamburgensibus p. 433. sq.* Caeterum de Opere Placcii videri omnino meretur *Historia Biblioth. Fabriciana*, *Parte III. p. 138. sq.* vbi errores monstrantur varii, ac praeterea Supplementa subiiciuntur. Idem Placcius in *Inuitat. amica* ad ANTON. MAGLIABECHIVM *aliosque*, *super symbolis promissis aut destinatis ad Anonymos et Pseudonymos suos*, *Hamb. a.* 1689. *in 8. p. 29.* refert, ADRIANVM BAILLETVM ab aliquot retro annis parasse Opus Latine edendum, ac titulo quidem *Elenchi apocalyptici Scriptorum Pseudonymorum*, quem Elenchum in tres distribuere partes voluerit, prima Pseudonymos, altera Plagiarios, tertia Impostores comprehendente, qui alienum suis libris nomen adscripserunt. Ipse tamen consilium hoc deinde abiecit, de quo in *Praefatione* Opusculi paullo infra proferendi ita loquitur: *Mr. Placcius, au merite duquel je ferai justice en toute rencontre, ayant jugé à propos de rendre publique une conversation secrete, que j'avois euë avec Mr. Lipstorpius, qui m'avoit engagé de sa part à lui faire voir ce, que j'avois sur les Auteurs deguisez, à exposé au jour le titre d'* Elenchus apocalypticus Scriptorum cryptonymorum, *que j'avois mis à la tête d'un Ouvrage composé en Latin depuis environ douze ans. Quoique ce titre fut plus tolerable en Latin, qu'il ne seroit en François, j'aurois maintenant quelque confusion de le reconnoitre, quand même il seroit question de publier cet Ouvrage, que je prétens anéantir tant pour ses imperfections, que parceque je l'ai écrit en une langue, qui semble devenir de plus en plus étrangere en France.* Vberius quoque de Bailleti instituto agit ANCILLONVS in *Memoires concernant les Vies des Savans p.* 281. *sq.* vbi adserit

 simul,

ſimul, hunc, quem diuulgauit Bailletus librum, *Auteurs deguiſez* inſcriptum, Praefationem fuiſſe tantum Operis maioris, quod aliquando ſit meditatus. Add. NICERONII *Vitae Eruditor. P. III. p. 120. edit. German.* Poſt primum Placcii conatum alii quoque Viri eruditi agri huius culturam curae habuerunt. Sic laudatus ſupra FABRICIVS in *Centuria Plagiariorum et Pſeudonymorum, Lipſ. 1689. in 4.* variorum Pſeudonymorum iniicit mentionem. Eodem anno *Parmae in 12.* prodiit *La Viſiera alzata*, caet i. e. *Larua detracta*, Centuriam continens Scriptorum, quibus, quum extra Bacchanalium tempus perſonati incederent, laruam detraxit IOH. PETR. IAC. VILLANVS. Ipſe hic aliam perſonam induit Auctor, quem ANGELICVM eſſe APROSIVM, ſatis nunc inter omnes conſtat, et v. g. in *Giornale de' Letterati*, (quod Parmae olim confectum,) *anno* 1690. *Ephemeride II. p. 31.* nec non in CINELLI *Bibliotheca volante, Pluteo XVI.* confirmatur. Vid. *Acta Erud. Lat. a.* 1707. *p. 528.* In *Lexico Ioecheriano, v.* Aproſius, *p. 481. edit. nouiſſ.* falſo ſcriptum inuenio, Auctoris illius, qui caeteris omnibus, a ſe editis, fictum modo *Glareani*, modo *Genari di Scio*, modo *Antivigilmi*, *Saprici*, *Scioppii*, *Galiſtoni*, vel *Caliſtoni da Terama* nomen adiicere conſueuit, *Laruam detractam* inſertam fuiſſe *Theatro* PLACCII. Is enim variis locis profecit ex libello tantum, hodie rariſſimo. Ex duabus autem idem ille Partibus conſtat. Altera *Hecatoſte*, centum proferens Scriptores; altera *Pentecoſte* inſcribitur, et quinquaginta Pſeudonymos indicat. Hos inter multi ſunt Itali, talesque, qui vel patrocinium Ieſuitarum, Scaligeri et Scioppii ſuſceperunt, vel contra eosdem calamo fuerunt vſi. Quaedam omnino occurrunt Obſeruationes rariores, videturque Anton. Magliabechius ſymbolas ſuas contuliſſe. Deueniendum nunc

nunc est ad BAILLETI librum, quem paullo ante adduxeram. Integer eius titulus hic est: *Auteurs deguisez sous des noms étrangers, empruntez, supposez, feints à plaisir, abregez, chiffrez, renverfez, retournez, ou changez d' une langue en une autre.* Lucem vidit *Paris. a.* 1690. *in 12. mai.* ac denuo excusus est cum *Jugemens des Savans*, curante BERN. DE LA MONNOYE, qui et notas adspersit. In hac eius editione *Parisiis* adornata *anno* 1722. et mox *Amstaelodami* repetita, *Tomi V.* Partem posteriorem explet. Verum, de STRVVII sententia, non nisi potiora excerpta hic sunt congesta ex Placcio atque Deckherro. Successit *anno* 1697. *in* 12. IOH. VLR. MEVRERI *Centuria Anonymorum antiquorum et recentium*, qui libellus, paucis forte cognitus, ipsis quoque Placciani Operis Editoribus non videtur in mentem incidisse. Dignum tamen eundem, qui adiiceretur, censet REIMMANNVS, cui notitiam hanc debeo, in *Catal. Bibliothecae theologicae, seu Tomo I. p.* 821. vbi et *multa*, ait, *in eo sunt Schediasmate, quae a Placcio extremis tantum digitis tacta, plura, quae ab eodem plane sunt praeterita.* In Ebraicis prostat GABR. GRODDECKII *Pseudonymorum Ebraicorum Hexacontas, Gedani a.* 1708. *in 4.* edita, ac deinde inserta *Biblioth. Ebraeae Vol. IV. p.* 1005. *sq.* a IOH. CHRISTOPH. WOLFIO, qui et in Praefatione, Opusculo praemissa, docet adcurate, differre hoc omnino a *Spicilegio*, quod in Theatro Placcii conspicitur. Pleraque comparata tamen ad augenda et corrigenda, quae antea de hoc argumento congesserat. Idem WOLFIVS *l. c. Vol. II. p.* 1247. *Vol. III. p.* 1170. et *Vol. IV. p.* 1038. *sq.* de Scriptoribus Ebraeorum anonymis multa disserit iis iucunda, qui horum sunt studiorum amatores. Optandum autem erat, vt Vir doctus omnes, quos attulit, detexisset. Parum honorifice Auctores *der*

Neuen

Neuen Hällisch. Biblioth. Tomo I. Parte 4. p. 289. sq. iudicant de PETRI DAHLMANNI *Schauplatz der masquirten und demasquirten Gelehrten, bey ihren verdeckten und nunmehro entdeckten Schriften* caet. *Lipsiae a. 1710. in 8.* Prima Pars Scriptores pseudonymos, suppositos, pseudepigraphos et plagiarios ordine alphabetico, altera Pars anonymos secundum disciplinas, et idiomate diuerso distinctos comprehendit. Epitomen vere dixeris librum magni Operis Placciani, passim inepte consarcinatam, tantumque adiecta sunt scripta quaedam recentiora, potissimum politica, indicatis eorundem Auctoribus. Ita STRVVIVS olim; sed ne vnicum quidem apud Dahlmannum se inuenisse, qui non iam exstet in Placcio, profitetur MYLIVS *Praefationis, Biblioth. suae Anonym. et Pseudon.* praefixae, *pag. 20.* Cf. REIMMANNI *Catal. Biblioth. Tomo II. p. 579.* Post Dahlmannum illum CHR. AVG. HEVMANNVS *Ienae a.* 1711. *in 8.* publicauit *de libris anonymis et pseudonymis Schediasma*, in quo eleganti libello Pars I. Obseruationes et monita generalia exponit, eo quidem consilio, vt quis, his instructus subsidiis, feliciter Anonymis ac Pseudonymis demere personam queat: Pars altera vero Spicilegium instituit ad Placcii Theatrum, et varia simul in eo emendat, illustrat, confirmatque. Recusum inuenies hocce scriptum apud MYLIVM *l. c. Tomo I.* cum eius, quae praecedunt, adnotationibus. In *Catal. Bibl. Bunauianae Tomo I. Vol. 1. p.* 527. mentio etiam est facta CAIETANI GIARDINAE, quoniam in libello *de recta methodo citandi Auctores, Panormi a.* 1718. *in* 12. exhibito, *p.* 104. *et* 182. *sq.* Cognitiones *de Pseudonymis et Anonymis* suppeditauit. Qua vero ratione partes peregerit suas Italus ille, mihi penitus est incognitum. *Anonymorum ex Scriptoribus gentis Suiogothicae Centurias duas* habemus ab ANDR. ANTON.

ANTON. STIERNMANNQ. Prior *anno* 1724. altera, cui *Pseudonymorum Decas* accessit, *ann.* 1726. *in 8. Holmiae* prodiit. Summo ista Collectio iure inter libros est rarissimos referenda. Nouissime eiusmodi Operum numerus creuit industria IOH. CHRISTOPH. MYLII, iam supra nominati. Is quippe *Hamburg. anno* 1740. edidit *Bibliothecam Anonymorum et Pseudonymorum ad supplendum et continuandum* PLACCII *Theatrum et* HEVMANNI *Schediasma collectam et adornatam.* Duplicis formae exemplaria exstant, et *in folio*, vt vulgo dicimus, et *in 8.* Ego minori vtor editione. Praefatio Auctoris partim de aliorum in *notitiam Anonymorum et Pseudonymorum* meritis agit: partim de instituto ipsius, vbi simul *p.* 27. *sq.* varia lectu digna de Placciano Theatro memorantur. Laus est vtique non deneganda MYLIO, qui detexit quatuor amplius millia Scriptorum, deque iisdem haud raro singularia interspersit: at, vt fieri plerumque solet in Historia litteraria, non difficulter ostendi etiam possent errores sat magni, si otio et patientia abuti placeret. Interim pleraque proderunt Lectori, qui probe iam intelligit, quid distent aera lupinis. Plura de labore hoc Myliano reperies in *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1741. *p.* 269. *sq.* Tandem THOM. CRENIVS aurem vellit, qui *Animaduers. philol. et histor. Parte V. p.* 180. *sq.* et *Parte VIII. cap.* 3. de Anonymis et Pseudonymis non vulgaria congessit. Caeterum addere his placet, PAVL. COLOMESIVM in *Gallia Orientali p.* 27. promisisse *Decouverte d' Auteurs cachés*, quod scriptum pene ad exitum dicit esse perductum. Sic etiam PROSPER MANDOSIVS in *Galleria di Minerva, Tomo II. p.* 21. *Personatos depersonatos Scriptores*, magnum Opus, recensendis Anonymis, Pseudonymis et Plagiariis destinatum, exspectare iussit. Sed nihil horum est luci expositum.

Nescio

Nescio igitur, quo fundamento MYLIVS in *Praef. cit. p.* 19. scribere potuerit: *Item* (loquitur de Placcio) *Pauli Colomesii* Decouverte d'Auteurs cachés *quoad anonymos et pseudonymos excerpsit, et debito loco in Opere suo collocauit.* Singulare est argumentum, quod GODOFR. LVDOVICI sibi pertractandum sumsit in *Exercit. theologicis de scriptis anonymis et pseudonymis, in caussa religionis a progressu coërcendis,* quae continent Prolusionem Auctoris, ac SIGISM. EVENII *Disquisitionem: an in caussa religionis scripta anonyma et pseudonyma sint toleranda?* hic ob raritatem recusam. Breuis est aliquot saltim plagularum libellus, *Lipsiae a.* 1715. *in 8.* editus, de quo copiose disseritur in *den deutschen Actis Erud. Vol. III. Parte 34. p. 786. sq.* Add. HOFFMANNI *Gedancken über die Journale Vol. II. P. 14. p. 127. sq.* Nouas haud dubie Obseruationes exhibebit, si aliquando prodierit, IOH. BAPT. BONARDI *Dictionaire, ou Bibliotheque des Anonymes et Pseudonymes,* de quo Opere, adhuc in scriniis latente, me reddidit certiorem *La France litter. par* FORMEY, *p.* 116.

§. XIV.

Notasse iuuabit etiam Scriptores de moribus eruditorum, quorum alii laudabiles vtique fuerunt, alii corrupti, atroque dignissimi calculo. Enumerari par est eos primum, qui singularibus Opusculis varias talium hominum virtutes ante oculos posuere. Sic habemus CORN. VAN ECK *de religione et pietate veterum Ictorum* Orationem, *Vltraiecti a.* 1717. *Halae*que *Magd. a.* 1724. *in 4.* editam, item GOTTL. SLEVOGTII Collectioni scriptorum *de Sectis et Philosophia Ictorum, Ienae a.* 1724. *in 8. p.* 341. *sq.* insertam; HENR. ENGELBERTI SCHWARTZII Commentationem *de pietate et meritis Ictorum in ecclesiam, Lips. ann.* 1739. *in 4.* IOH. PHIL. SCHMIDII Schediasma *de pietate, et scriptis theologicis, Ictorum,*

Ictorum, *Rostochii a.* 1740. *in 4: de modestia veterum Ictorum* ANTONII MATTHAEI et GODOFR. MASCOVII V. C. Orationes, quarum haec *Harderouici a.* 1729. iterumque *Lips. a.* 1741. *in 4.* illa inter *Orationes* MATTHAEI *Vltrai. a.* 1655. *in* 12. *p.* 266. *sq.* prodiit, ad quod et pertinent argumentum MICH. LILIENTHALII Obseruat. *Ideam eruditi modesti sistens*, in eiusdem *Selectis histor. et litter. P. I. p.* 53. *sq.* et MICH. FRID. QVADII Differt. *de modestia eruditorum*, *Sedini* 1727. *in 4*, quamquam, vt verum fatear, vtrumque scriptum sit morale magis, quam historicum: IOH. GE. PRITII Differt. *de contemtu diuitiarum atque facultatum apud antiquos Philosophos*, *Lips. a.* 1693. *in 4*: CHRIST. GOTTL. IOECHERI *de insigni veterum quorundam Philosophorum feruore in veritate inuestiganda*, *ibid.* 1730. *in 4*: IOH. CASP KHVNII Differtat. *de amicitia eruditorum*, *ad Ideam* PLINII, *secundi, praesertim delineatam*, *Argent.* 1696. *in 4*: IOH. FRID. HEINII Differtat. *de misericordia eruditorum*, multa quoque moralia tractantem, *Helmst.* 1713. *in 4*: DAN. FRID. IANI *de Φιλοπονίᾳ eruditorum*, Differt. *Lips.* 1705. *in 4.* *De retractationibus Patrum* Exercit. Academica exstat IOH. GE. NEVMANNI, *Vitemberg. a.* 1685. *in 4.* publice proposita, ac deinde illata Theologi non incelebris *Primitiis Differt. Academicarum*, *ibid. a.* 1700. *in 8. p.* 111. *sq.* Neque vero in solis Patribus, vt vulgo dicuntur, ecclesiasticis haeret Auctor: alia etiam et antiqua, et recentiora, suppeditat exempla, tandemque, *a* §. *XX.* vsque ad finem, caussas addit, quibus inducti Scriptores retractarunt libros suos, et spongia dignos existimarunt. Atque haec dicta passim exemplis nouis illustrat. Postea IOH. SCHMIDIVS *Lips. a.* 1697. edidit Differtationem *de Palinodia eruditorum*, in qua non exiguum eorum numerum profert, qui errores, aliquando diuulgatos, agnoscere

re

re atque corrigere haud erubuerunt. *De Palinodia sacra*, siue *retractationibus Theologorum in rebus fidei* singulari Schediasmate IOH. HENR. FEVSTKINGIVS egit *Vitemb. a.* 1711. *in 4.* Laudant Opusculum, quod ex duabus Dissertationibus, antea exhibitis, constat, historiamque retractationum per complura exempla copiose et eleganter tradi, Epistolasque nonnullas amoebaeas, quae ad declarandam et vberius explicandam eandem facere videbantur, simul immisceri, testantur Collectores *Actorum Erud. Lat. a.* 1712. *p.* 237. *sq.* qui locus plura desiderantem non sane dimittet absque lectionis praemio. *Ictorum variationes et retractationes* libello politissimo AVGVSTIN. LEYSERVS *Helmst. ann.* 1713. *in 4.* complexus est; quem rarius deinde obuium cum insigni Auctoris accessione iterum in lucem protraxit, et Praefatione sua instruxit *Lips. a.* 1737. *eadem forma* GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN. Eidem Viro docto repetita debetur editio Opusculi *de retractationibus veterum Ictorum*, quod IOH. SAL. BRVNQVELLVS *Ienae a.* 1726. *in 4.* emiserat. Factum hoc itidem *Lips. a.* 1738. *in 4.* praefixa quoque Ienichenii Praefatione, et Vita Brunquelliana, subiectisque multis adnotationibus. *De Ignorantia Theologorum laudabili*, praeside Valent. Velthemio, CHRISTOPH. SONNTAGIVS *Ienae ann.* 1690. publice disputauit.

§. XV.

Quo pauciora de priore inuestigare contigit argumento, eo maior scriptorum cumulus exstat, quae vitia eruditorum indicant sedulo atque persequuntur. AHASV. FRITSCHIVS commentatus est generatim *de vitiis eruditorum*, cuius libellus *Lips.* et *Rudolst. a.* 1677. *in 4.* prodiit, recusus nouissime in Auctoris *Opusculis variis*, *Norimberg. a.* 1731. *in fol. Tomo II. Parte 4. p.* 284. *sq.* Sed nimia laborare

eundem

eundem breuitate, foliisque tantum quinque Capita XV. esse inclusa, facile adparebit legentibus. Idem agere studuit PHIL. ANTON. LAVB in Diss. *Helmstad. a.* 1696. typis impressa *de peccatis eruditorum*, de qua tamen REIMMANNVS *Catal. Bibl. Tomo II. p. 366.* ita loquitur: *Oceanum oui testae infundere conatur, qui peccata eruditorum tentat Dissertatiuncula comprehendere, quorum tanta est moles, quanta numero carentis arenae. Et rectius fecisset forte Auctor, si lemmata vitiorum indicasset tantum, et qui de iisdem de industria scripsissent aliquid, et litterarum monumentis prodidissent, significasset, v. g. de eruditorum atheismo, plagio litterario,* caet. Eos autem, qui vitia eruditorum exposuere, IOH. GODOFR. BVCHNERVS recensuit in Sched. historico-litterario *de vitiorum inter eruditos occurrentium Scriptoribus, additis simul quibusdam horum vitiorum caussis specialibus, exemplis et horum librorum vsu, Lips. a. 1718. in 8.* Commendatur labor in *den deutschen Actis Eruditor. Vol. V. Parte 58. p. 750. sq.* nec non in *der vermischten Bibliothec, Parte XI. p.* 1031. At non vbique pertractandi rationem probat REIMMANNVS *l. c. p.* 577. adserens, multitudine Auctorum efferre sese Buchnerum, parum solicitum, ad ad rem spectent, an minus: complures ab ipso memorari, qui vitiorum, eruditis familiarium, Scriptores non sint: nec omnia, quae adducantur, eruditorum infortunia esse in vitiorum classe collocanda. Me quidem iudice Reimmannus vera scripsit; neque tamen reiiciendus penitus liber est, vtilis potius, si Lectores eius in his studiis probe sint exercitati. Praemissis his, ad singularia nunc argumenta deueniendum. *Doctos atheos*, sceleratissimos omnium homines, Programmate Academico produxit *Ienae a.* 1707. *in* 4.

BVRC. GOTTHELF STRVVIVS. Ex ingenti numero vndecim ſelegit IOH. HARDVINVS, eosque Pontificii coetus, quorum ſcripta continere varia credidit, Atheiſmi crimine commaculata. Titulus libri eſt: *Athei detecti*, isque reperitur in eiusdem *Operibus*, *Amſtael. a.* 1733. *in fol.* editis. Proxime ſubiiciuntur *Reflexions importantes*, *qui doivent ſe mettre à la fin du Traité intitulé*: Athei detecti. Forte hae Obſeruationes eaedem ſunt, quae occurrunt in *Memoires littéraires par S. D. L. R. G. Hagae Com. a.* 1716. *in 12. Tomo I. Parte 1. p.* 403. *ſq.* quo loco PAVL. THEMISEVL DE SAINTE HYACINTHE (is enim a plerisque creditur Editor eſſe) exhibuit *L' Atheisme découvert par le R. P.* Hardouin, *Jeſuite, dans les Ecrits de tous les Peres de l' Egliſe et des Philoſophes modernes.* Quod ego quidem hoc tempore nequeo examinare. Vid. interim *Acta Erud. Lat. a.* 1735. *p.* 482. et CAMVSAT *Hiſt. des Journaux, T. II. p.* 157. *ſq.* Potiores ex Medicorum Ordine, qui Atheiſmi de ſe excitarunt ſuſpicionem, breuiter et ieiune propemodum recenſuit CHRISTOPH. ALB. ERGE in Progr. *de Medicis atheis*, *Meinungae a.* 1743. Dignum id iudicauit BIDERMANNVS, quod *Selectorum Scholaſticorum Voluminí I. p.* 327. *ſq.* insereretur. *De Atheiſmo Ariſtotelis* ſpeciatim longe maiori diligentia diſſeruit non nemo in *Obſeruat. ſelect. Halenſium Tomo VIII. Obſeruat.* 10. *p.* 209. *ſq* et Vir celeberrimus IOH. GE. WALCHIVS, in *Parergis Academ. p.* 198. *ſq.* vbi ſatis copioſa hoc de argumento Exercitatio legi poteſt. Add. IAC. FRID. REIMMANNI *Hiſtoria vniuerſalis Atheiſmi et Atheorum*, *Hildeſiae a.* 1725. *in* 8. qui liber poſtea ſexcentis additionibus ab Auctore locupletatus eſt, teſte *Catal. Bibliothec. theologicae p.* 49. quae adhuc inter anecdota latent. Prodire autem Reimmannus in medium iubet Atheos apud Iudaeos, paganos, Chriſtianos et Muhame-

hamedanos falso meritoque suspectos, atque sic nunc accusatoris, nunc defensoris personam capit. Iam ante ipsum caussam variorum egerant IOH. CHRISTOPH. WOLFIVS in Diss. *Vitembergensi, anno* 1710. edita, et *a.* 1717. *ibidem* recusa, *de Atheismi falso suspectis*, itemque IAC. HASAEVS in Diss. *de Gentilium Philosophis, Atheismi falso suspectis, Bremae a.* 1716. *in* 4. qui Vir doctus opposuit sese data opera IOH. HENR. FOPPIO, duarum Dissertationum auctori, *ibidem a.* 1714. publicatarum *de Atheismo Philosophorum Gentilium celebriorum.* Vid. WALCHIVS *l. c. p.* 299. Nec inelegans est, at non cognita fuit ERCKIO, supra nominato, ELIAE FRID. HEISTERI, Laurentii filii, *Apologia pro Medicis, qua eorum depellitur cauillatio, qui Medicinam in Atheismum, aliosque in Theologia errores abducere perhibent, et qua simul praecipui Medici, sigillatim Hippocrates, Galenus, Cardanus, Taurellus, Vaninus, et Brownius, qui Atheismi crimine commaculati sunt, defenduntur. Amstael.* 1736. *in* 8. *mai.* Complura tamen vitia typographica irrepserunt in libellum hunc iuuenilem. *De Viris illustribus, pacti cum inferis Daemonibusque suspectis, Vitemberg. a.* 1694. *in* 4. IOH. MOESCKIVS, ac *de eruditis, Spirituum familiarium vsu suspectis, Lips. a.* 1715. GE. CHR. WAGNERVS Dissertationibus singularibus egere. Wagnerus praecipue longum texuit Catalogum eorum eruditorum, qui vel ipsi gloriati sunt adesse sibi genios familiares, vel quibus alii tales adscribere haud dubitarunt. Consulenda quoque, quae CHR. FRANC. PAVLLINI in *der zeitkürtzenden erbaulichen Lust, Parte III. p.* 25. *sq.* corrasit de eruditis, qui suspicionem praebuerunt initi scelesti pacti cum Diabolo. Patrocinium eiusmodi hominum iam pridem suscepit GABRIEL NAVDAEVS. Prostat quippe *Apologie pour les grands personnages faussement soup-*

çonnez de Magie, qui eius liber primum excusus *Parisiis a.* 1625. post *Hagae Com.* 1652. iterumque *Paris.* 1699. *Volum. II.* ac tandem *Amstael. a.* 1712. *in 8.* cum Obseruationibus non nullis. Plura de eodem alia occasione adferam, vbi ad libros damnatos et prohibitos peruenero. *De superstitione erudita, seu litteraria*, reuerendus hodie Theologus, IOH. CHR. KOECHERVS, adsumto *Gratiani Aschpani* nomine, *anno* 1728. *in 8.* emiserat breue Opusculum. Cuius exemplaria quum mox essent per orbem litterarium dispersa, recognouit id ipsum, meliusque ac locupletius reddidit *Hanouerae a.* 1738. *in 8.* titulo libri singularis *de Idololatria litteraria* insignitum. Et ita sane id fecit Auctor, vt siue dicendi rationem, siue rerum argumenta, spectemus, nouus potius labor, quam noua veteris editio adpellari mereatur. Intelligit autem Idololatriae litterariae vocibus illud mentis humanae vitium, quo praepostera existimatione, ac vehementiori, quam par est, amore, honore et cultu tum Viros eruditos, tum res alias, ciuitatis litterariae proprias, aliquis persequitur, idque vel verbis, vel actionibus, aperte palamque peragere solet. Multa exinde disci queunt scitu dignissima. *Ciceronomaniam eruditorum Weissenfelsae a.* 1744. *in* 4. ipse Oratione quadam exponere seorsim studui. *De Apostasiae merito et falso suspectis*, seu talibus eruditis, qui a sacris veris ad alia transierunt, vel transiisse dicuntur, doctam conscripsit Dissertationem PETR. ADOLPH. BOYSEN, editam *Halae M. a.* 1714. *in* 4. Vsus est in his recensendis ordine alphabetico. Paullo post, *anno* nimirum 1716. *Suinfurti, eadem forma*, accepimus IOH. HENR. BOCRISII binas *de doctis Apostatis* Commentationes historico-litterarias. Rarius hodie occurrunt, quod et certum est de ANDR. WESTPHALII Dissertatione, iam

ante

ante Boysenii institutum *Gryphisw. a.* 1710. euulgata. Exhibentur hic, litterarum ordine, qui et Bocrisio placuit, *Sexaginta saeculi XVI. et XVII. eruditi, qui suam commutarunt religionem.* Eorum leguntur nomina in *der gelehrten Fama Vol. I. parte 6. p. 395. sq.* Inter libros promissos vnice referenda CAROLI ANDR. HENNINGII *Bibliotheca eruditorum, qui religionem mutarunt*, in qua constituerat, praeter vitam eorum, caussas simul mutationis, litesque propterea exortas, pluribus enumerare. Vid. *Miscell. Lips. Pezold. Tom. X. p. 132.* Apostasiam studiorum, per se patet, non semper esse vitium, si rationes grauissimae hanc exigant, nec sola mentis inconstantia mutabilitasque, vel melioris cupiditas fortunae, consilio eiusmodi viam aperiat. Cf. IOH. GOTTL. OLEARII Dissertat. *de Luthero, ex Iuris studioso Theologo, et Zieglero, ex Theologo Icto, Ienae a.* 1709. Iuridice hoc argumentum pertractauit HENR. LINCKIVS *Altorf. a.* 1679. et philosophice IOH. IAC. LEHMANNVS *Ienae a.* 1711. vterque Dissertatione Academica, quarum illa *de Apostasia studiorum:* haec *de mutatione studiorum, von dem sogenannten Vmsattlen*, inscribitur. Magis huc pertinet IOH. ALEX. DRECHSLERI historica *de studiorum Apostatis* Dissert. *Lips. a.* 1717. Sed, vt verum fatear, non ibi exempla inueni, quae notari carbone debeant. *Eruditos sine moribus* in Dissert. quadam *ibid. a.* 1705. congessit FRID. ERN. SCHOLTZIVS: *de Misogynia* vero, *de Misocosmia*, et *Misanthropia eruditorum* tres exstant MATTH. GE. SCHROEDERI Dissertationes historico-morales, *Lips. a.* 1716. et 1717. separatim propositae. Adscribam, quae REIMMANNVS existimat in *Catal. Bibl. Tom. II. p.* 159. de hisce Schroederi schedis. Adserit nimirum, dignas esse, quae ad Parnassi quisquilias reiiciantur, vsque adeo ineptas esse Diatribas illas, et insulsas, et putidas, siue

dictionem consideres, siue dispositionem rerum, siue res ipsas, quae historiae quum sint sine omni teste productae, non maiorem eas fidem habere, quam fabulas. Interim hae Dissertationes, cum *Scholtziana de eruditis sine moribus*, ac *Boettnerianis de malis eruditorum vxoribus*, *Selectorum litterariorum Pentas* inscriptae, *Lipsiae a.* 1730. *in* 4. reuocatae ad prelum fuerunt. *Duodecim ex antiquioribus Poetas, vino deditos*, Programmate quodam *Gissae a.* 1726. *in* 4. exhibuit IOH. LVDOV. ALEFELD, cui addatur IOACH. CHR. NEMEITZII *Anmerckung von versoffenen Gelehrten*, *sonderlich Poeten*, in *den vernünftigen Gedancken*, *Parte II. p. 9. sq.* Alios, nimio litterarum amore, ante tempus exstinctos, memorauit, subiunctis caussis physicis, IOH. CHRISTOPH. TSCHANTERVS in binis Dissertationibus *de eruditis, studiorum intemperie, mortem sibi accelerantibus*, quarum altera, praeside Godofr. Boettnero, *a.* 1704. altera 1705. *Lipsiae* prodiit. Tertiam quoque, caussas explicantem morales, meditabatur Auctor; sed ea demum adiecta est versioni priorum Dissertationum Germanicae, quam ipse *Budissae a.* 1722. *in* 8. hoc titulo edidit: *Historische Nachricht von gelehrten Leuten, die sich zu Tode studirt.* Inchoat a Theologis, eosque Icti excipiunt, Medici atque Philosophiae et litterarum humaniorum periti. *Πατρῳδοφαγίαν eruditorum* ad locum quendam Taciti delineauit, exemplisque idoneis illustrauit IOH. GVIL. BERGERVS in elegantissima Dissert. *Vitemb. a.* 1723. typis impressa. *De eruditorum inuidia* GE. GODOFR. RICHTERVS *Lips. a.* 1703. *in* 4. Dissertationem diuulgauit, quam *Argentor. a.* 1712. et 1714. auctore ELIA SILBERRADIO binae aliae sequutae sunt eiusdem argumenti. Immoderatius tamen egredi extra cancellos is mihi videtur. Certe vix exspectaueris ibidem, quam *Capitis I. Sectio altera* continet,

longam

longam pertractationem de eruditione et eruditis generatim. Huc referenda etiam MICH. LILIENTHALII Obseruatio *de Bibliotaphis, seu inuidis librorum occultatoribus*, in *Selectis histor. et litterariis, P. I. p.* 178. *sq.* vbi varios librorum occultandorum indicat modos, interspersis passim exemplis. *Nimium eruditorum libros coemendi congerendique studium* in Dissertat. historica et morali *Regiomont. a.* 1715. ante oculos omnium posuit IOH. IAC. ROHDIVS. Pertinaciam eruditorum in propugnandis suis erroribus *Pilatismum* vocauit *litterarium* HEVMANNVS, eundemque Dissertat. quadam eleganti fusius explanauit *Gottingae a.* 1730. *in* 4. Postea, *a.* 1731. non nihil recusa auctior, locum nacta est in ipsius *Sylloge Dissertationum Tomo I. P. 2. art. 10. p. 466. sq.* Saepenumero nascuntur exinde bella litteraria, de quibus multi egerunt. *In originem et caussas bellorum inter eruditos*, (quorum historiam, inde a renatis litteris, meditatus est olim ERH. REVSCHIVS, vti docent *Supplement. ad Noua Acta Erud. Tomo V. p. 336.*) pulchra Oratione inquisiuit IOH. BVRCH. MENCKENIVS. Vid. eius *Orationes Academ. p.* 425. *sq.* Solas perscrutari caussas studuere IOH. BERNARD. STEIN, praeside Ioh. Henr. Kreuschnero, in Dissert. *de caussis rixarum inter eruditos motarum, Regiomont.* 1719. et SIGISM. ANDR. FLACHS in Dissertat. *de caussis dissensus eruditorum, Lipsiae ann. 1721.* Eodem spectant magna ex parte SILBERRADII Diss. III. *Bellona inter Musas, siue bella litteraria* inscriptae, *Argent. a.* 1719. *in* 4. In Praefatione de consilii ratione ita loquitur Auctor: *Ordo instituti nostri is erit, vt visis hostium castris, caussisque belli cognitis, arma, quibus vtuntur, siue belli gerendi modum propius inspiciamus; tum effectus et consequentia, singularia item eius probe pensitemus, et denique officia*

eorum, qui neutrarum hic sunt partium, quibusque pax, quam bellum, magis arridet, explicemus. Operam insimul daturi, vt depromtis ex rebus gestis eruditorum exemplis singula illustrentur. Quid boni complectatur C. M, sub quibus litteris Auctor latere voluit, Obseruatio *von den Kriegen der Gelehrten*, in *den Dresdner gelehrten Anzeigen anni* 1757. *Parte XIX.* mihi quidem non est cognitum; nec enim in manus meas peruenerunt hae schedae. Non desunt, qui materiam hanc admodum vberem doctrinae suae floribus consperserunt speciatim, quos inter primum succurrit IOH. GE. WALCHII *de nugis et bellis Grammaticorum* Obseruatio, in *Miscellan. Lipsiens. Pezoldianis, Tomo I. p.* 42. *sq.* Ad artem diplomaticam quod attinet, nemo facile ignorabit, quae IOH. PETR. A LVDEWIG in Praefatione, *Tomo I. Reliquiar. MStorum* praefixa, *p.* 24. *sq. de bellis diplomaticis* disseruit. Italice hanc narrationem conuertit, et auctiorem recudendam curauit CASP. BERETTI *p.* 111. *sq.* libri, *Mediol. a.* 1729. *in* 4. publicati, atque sic inscripti: *In Dissertationem Italiae medii aeui Censurae III.* Cf. *Catal. Bibl. Bunav. Tomo I. Vol.* 1. *p.* 682. Euolui quoque meretur IOH. GODOFR. VON MEIERN *Vorbericht des III. Theils der Westphälischen Friedens-Handlungen*, vbi occurrit, *p.* 8. *sq. si numeres*, Viri doctissimi *Beschreibung des im vorigen Saeculo angegangenen, und bis auf unsere Zeiten fortgeführten diplomatischen Krieges.* Repetenda hic tandem, si placet, dicta abs me in *Tomo I. huius Bibliothecae p.* 744. *de Logomachiis*, ac de LEYSERI conatibus, cuius Dissertat. *de pugnis Ictorum, Vitemb. a.* 1749. edita, *ibidem*que in nota quadam adducta, haud vulgarem inter Commentationes de bellis eruditorum locum sibi vindicat. Addo iam his, quae nuper demum in manus peruenit meas,

ABRAH.

ABRAH. WIELINGII Orationem *de Logomachiis Ictorum*, *Vltrai. a.* 1744. *in 4.* Reipublicae litterariae oblatam. *Doctos impostores* Dissertatione singulari, eaque non leui brachio elaborata, *Ienae a.* 1703. B. G. STRVVIVS in scenam prodire iussit. Adnexa est aliquot annis post *Introductioni in notit. rei litterariae*; sed in Koecheriana editione desideratur. Cf. hac de re Praefatio mea *Tomo I. Biblioth. litter.* praefixa. In Germanicam itidem linguam translata, haec ipsa Dissertatio *Sorauiae a.* 1734. *in 8.* lucem vidit, neque tamen satis feliciter suas peregisse partes ignotus mihi interpres dicitur. Add. HEVMANNI *Conspect. Reipubl. litter. Cap. VII.* §. 42. *p. m.* 487. *sq.* Forte frustra speratur, quem ipse ibidem promiserat, de huius farinae hominibus libellus. Mentio nunc iniicienda *Pedantismi eruditorum*, de cuius adpellationis origine coniecturas suas proposuit HEVMANNVS in *Poeciles Tomo II. p.* 80. *sq.* Ipsum autem hoc vitium CHR. MATTH. PFAFFIVS *Introd. in Histor. Theol. litter. Tomo I. p.* 5. *edit. secundae* sequentibus descripsit verbis: *Pedantismi reos sese faciunt illi, qui ambitione erudita elati magno fastu tument, gloriamque et laudes aucupantur nimias; qui alios eruditos naso adunco suspendunt, et quauis data occasione iis dicam scribunt; qui res nihil et minoris momenti magni habent, et tamquam mysteria adorandas praebent; qui contradictionem vllam tolerare nesciunt, ipsi vero contradicendi pruritu pertinacissimo aguntur, suasque sententias ab omnibus recipi volunt, illosque, qui in eas haud descendunt, odio prosequuntur, et dente Theonino arrodunt; qui ineptis denique ac ridiculis moribus laborant.* En! adcurate expressam stultorum hominum imaginem, iis quoque sordibus maculatam, quas iam seorsim indicaui. Comta Oratione, at solum dogmatice, non historice simul, Pedantis-

mum eruditorum *a.* 1678. depinxit VLRIC. HVBERVS. Exstat eadem in *Auspiciis* Icti egregii *domesticis*, *Franequ. a.* 1682. *in 8.* et in *Operibus* ipsius *minoribus*, a WIELINGIO *Vltrai. anno* 1746. *in 4.* collectis, *Tomo I. p.* 182. *sq.* subiecitque notarum nonnihil Editor. Accessit pariter isthaec Oratio CHRIST. THOMASII *Introd. in Philosophiam aulicam* cum Latinae, tum Germanicae editioni, nec non RICHERII *Obstetrici animorum*, libro, qui ab ADAMO RECHENBERGIO *Lips. a.* 1693. *in 4.* editus est. De Pedantismo Theologorum HENR. MEENE, Vir clarissimus, disseruit in *dem Character eines pedantischen Gottesgelehrten*, *Lips. anno* 1747. *in 8. mai.* quo de scripto vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1747. *p.* 646. In Pedantismum homileticum inuectus acerrime est FRID. ANDR. HALBAVERVS in Praef. *von der homiletischen Pedanterey*, quam praemisit *dem nöthigen Vnterricht zur Klugheit erbaulich zu predigen*, *Ienae* 1737. 8. iterumque 1748. Theologum hunc Ienensem non ita multo post sequutus est, et *Pedantismum exegeticum* perstringendum sibi sumsit IOH. GE. ALBRECHTVS in Progr. copioso, quod *Francof. ad M.* 1739. *in 4.* exiit, insertumque deinde fuit BIDERMANNI *Selectis scholasticis*, *Vol. I. fascic.* 2. *p.* 561. *sq.* Nec Ordo Ictorum a Pedantismi vitio se liberum seruauit. Paucis forte cognita est IOACH. LVDOV. SCHMELTZEISEN Oratio *de Pedantismo iuridico*, *Francof. ad V. a.* 1721. *in f.* excusa. IOH. LVDOV. HEVBELII, quondam Icti et Historici Kiloniensis, Oratio similis argumenti numquam lucem adspexit. Memorabo interim IOH. CHRISTOPH. WOLFII verba in *Thes. epistolico Lacroziano*, *Tomo II. p.* 189. vbi sic *Heubelius*, ait, *narrauit mihi*, *quas quantasque inimicitias conciliarit apud Harpprechtum, Iuris Professorem apud Kilonienses*, *eiusque studiosos et asseclas*, *ista sua de Pedantismo Ictorum Oratione*, *quam is in se potissimum*

dictam

dictam existimarit. *Eam omnino luci destinat, notis aeque ac imaginibus, quarum non nullas verbis depinxit, illustratam, et Clar. Menckenii Charlataneriae ad latus ponendam.* Ipso ego, litteris I. v. W. occultus, anno 1742. festinante calamo in chartam conieci *zufällige Gedancken von der Pedanterey einiger Rechtsgelehrten*, quod leue scriptum clarissimus Kohlius intulit in *die Hamburg. vermischte Bibliothec, Vol. I. P. 3. p. 405. sq.* Nondum oculis meis occurrit IOH. CAR. BRETSCHNEIDERI *Schreiben von der iuristischen Pedanterey an Herrn Carl Friedr. Moser, Frf. et Lips. anno* 1749. *in* 4. In manibus contra habeo laudati MOSERI *AntwortSchreiben von der iurist. Pedanterey an Herrn Ioh. Carl Bredschneider, Frf.* 1750. *ead. forma.* Lectu sane dignus libellus, vt omnia, quae Viri huius politissimi ingenium peperit. *De duabus Scholarum pestibus, Pedantismo et Galantismo,* IOH. HÜBNERVS in *Tomo IV. p. 72. sq. Miscellan. Lips. Pezoldianorum* breuem quandam Obseruationem exhibuit, quae tamen nimis mihi videtur ieiuna. *Pythagorae* speciatim *Pedantismum didacticum, ratione silentii*, demonstrauit Dissertatione erudita *Altorfii a.* 1714. IOH. DAV. KOEHERVS, cum primis contendens, Philosophum in hoc instituto boni doctoris officio minime functum esse, sed indulsisse tantum superbiae suae atque inuidiae, et haec simul vitia tali methodo discipulis instillasse. *De odio theologico* cogitata mentis eleganter, vt solebat, aperuit IOH. LAVR. MOSHEIMIVS in *Comment. Gottingensi anno* 1747. *in* 4. edita, quae deinde inserta fuit summi Viri *Comment. et Orationibus varii argumenti, Hamb.* 1751. *in* 8. *mai.* studio IOH. PETRI MILLERI Germanice haec ipsa Commentatio reddita est *Norimbergae a.* 1749. *in* 8. *mai.* Idem Moshemius *de eo, quod nimium est in studiis linguarum et Critices* Orationem suauissimam recitauit olim, adiunctam

iunctam *Obseruationum sacr. et histor. criticarum* libro, *Amst.* 1721. *in* 8. recusamque cum alia Oratione *de Christo, vnice Theologo imitando*, inscio Auctore, *Helmst. a.* 1726. iterumque *Sundii a.* 1729. *in* 4. Plena vtique bonae frugis sunt, quae complectitur elegantissimus liber AVG. LEYSERI *de Assentationibus Ictorum*, primum forma Dissertationis Academicae *Vitemb. a.* 1712. deinde *Helmst. a.* 1726. postremo *ibidem* 1741. *in* 4. typis impressus, curante V. C. HENR. GOTTLIEB FRANCKIO, qui non solum varii generis notas addidit, verum etiam *de Assentatione necessaria* Meditationem, Notitiamque *Domaniorum*, maxime litterariam, ac rerum Indicem copiosissimum. Singularia vero scripti huius Leyseriani fata fuerunt. Offenderat enim, sine culpa sua, dictis quibusdam Theologos Philosophosque Vitembergenses, qua de re ipse fusius egit in praefixa *Epistola ad binos Amicos veteres*, *p.* 13. *sq. edit. nouiss.* Non patitur instituti ratio, vt longum hunc locum, eumque dignissimum notatu, subiungam. Candoris quoque mirifici testis est FRID. BENED. CARPZOVII Dissert. de Ἀλλοτριοεπισκοπίᾳ *Iureconsultorum*, *Vitemb. a.* 1743. *in.* 4. Auctor, praematura morte exstinctus, hac voce intelligit temerariam Ictorum artis suae fines excedendi, ac de rebus alienis, fidei maxime et theologicis, iudicandi libidinem, ex errore iudicii, et insana quadam appetitus curiositate, ortam. Complura profert exempla et antiquiora, et recentissimae aetatis. *De inconstantia Ictorum*, *sigillatim Decii, Alciati et Balduini*, Programma HERM. HENR. ENGELBRECHT, Viri perillustris, *Gryphisw. a.* 1738. *in* 4. prodiit.

§. XVI.

Singularem pertractationem postulat aliud eruditorum vitium, quod longe vsitatissimum est, Plagi-

Plagium scilicet, quo quis ex aliorum libris, dissimulatis suppressisque Auctorum nominibus, varia describere solet, sibique vindicare, quasi suo ex fundo producta. In mentem hac occasione veniunt SARCKMASII, seu potius Schurzfleischii, verba *Iudicior. de nouiss. prudent. ciuil. Scriptor. §. III. Id hodie*, ait, *solemne est, vt Scriptor Scriptori tenacius insistat, et dum ipse non habet, vnde se ornet, aliis plumis veniat ornatus, veritati et omnibus bonis fucum facturus.* Primus *de Plagiariis et Scriptorum alienorum Compilatoribus* Epistolam ad Franc. Balduinum anno 1549. exarauit FRANC. DVARENVS, *quae Operibus* eius accessit. In mea editione, *Francof. a.* 1607. *in f.* adornata, reperitur *p.* 1105. *sq.* Scriptum hoc, vbi pauca, sed grauiter acerbeque, dicta sunt a Duareno in ignobile id hominum genus, praecipue vt iustas sceleris poenas sumeret a praedone quodam, vt ait, insigni, cuius rapaci manu scripta sua viderat expilata. Transtulit is autem hoc argumentum ad forum saltim ciuile: IACOB. e contrario THOMASIVS ex Historia litteraria illustrauit in Differt. philosophica *de Plagio litterario*, *Lips. a.* 1678. publice defensa. Noua luce donata est eadem *Leucopetrae a.* 1679. *in* 4. cum Accessionibus sex, ac tertium *Suobaci et Lips. a.* 1692. *ead. forma.* Egregius profecto liber est, et summa cura elaboratus, de quo sic differit FRID. OTTO MENCKENIVS in *Miscell. Lips. nouis Vol. I. p.* 87: *Quod raro accidit, non primus tantum in hoc scribendi genere se exercuit Thomasius*, (scilicet si litteraria spectes,) *sed eorum etiam omnium, qui ipsi successerunt in hoc munere, laudes superauit, effecitque, vt difficile sit, magisne litterariae doctrinae copiam, an vim solertiamque disputandi, an scribendi elegantiam, admireris, decernere. Tria autem libri sui Capita fecit, quorum primum*

theo-

theoreticum *subtilis Philosophi*, *alterum* historicum *diligentis Historici*, *tertium* practicum *sagacis monitoris et magistri ei laudem peperit.* Iam antea honorificam quoque laboris Thomasiani mentionem iniecit REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. Tomo II. p.* 383. Dolet autem non sine caussa, 1.) Indicem rerum plane desiderari, et personarum vix decimam partem eorum exhibere Auctorum, qui in eo sunt adducti, 2.) tot ac tantas editioni postremae inesse maculas typographicas, vt somniasse typothetam videri queat, 3.) neminem inuentum adhuc, qui Thomasianam hanc telam pertexere, ac Dissertationem tam bene coeptam continuare, plenioremque et ornatiorem in lucem reuocare studuerit. Iam pridem enim exemplaria eius facta sunt rariora. Add. STOLLII *Nachr. von den Büch. seiner Biblioth. Vol. I. p. 127. sq.* Supplementa parasse olim GODOFR. THOMASIVM, Iacobi filium, Medicum Norimbergensem celeberrimum, itemque ipsum STOLLIVM, adfirmatur a IENICHENIO in editione eius *Bibliothecae iuridicae Lipenianae v.* Plagium. Sed ignoro harum schedarum fata. Cf. TENTZELII *Monatliche Vnterred. anni* 1689. *p.* 207. et *Acta Erud. Lat. a.* 1708. *p.* 426. in medio fere. Post Thomasium GVIL. SALDENVS larga manu in Volumine suo *de libris, varioque eorum vsu et abusu p.* 144. *sq.* congessit quicquid ipsi de praedonibus litterariis compertum fuerat, sed haec omnia Rhapsodiae magis, quam tractationis apte cohaerentis, formam prae se ferunt. Multa surripuisse Auctorem ex parentis sui Dissertatione contendit CHRIST. THOMASIVS in *den Monaths Gesprächen anni* 1688. *P. II. p.* 294. vt alio loco me dicere memini. In THEODORI IANSSONII AB ALMELOVEEN *Opusculis, Amstael. a.* 1686. *in 8.* euulgatis, legitur a *p.* 183. *Plagiariorum Syllabus*, Godofr. Thomasio

masio dedicatus, sed quem facile, ac stans pede in vno, tiro quisque librarius conficiat; adeo ieiunus est, et, praeter vnum alterumue Scriptorum rude testimonium, nihil continet alicuius momenti. Eundem Syllabum, nouis exemplis ditiorem, at, quod ad Scriptorum quorundam, qui auctoritatis aliquantum suspectae videbantur, testimonia attinet, non parum imminutum, adiecit Almeloueenius *Amoenitatibus theologico-philologicis, ibid. a.* 1694. *in* 8. Festiuus est DAVIDIS ABERCROMBII *Fur Academicus, siue Academia ornamentis spoliata a furibus, qui in Parnasso coram Apolline sistuntur, vbi criminis sui accusantur et conuincuntur.* Lucem adspexit *Amstael. a.* 1689. *in* 12. *ibidem*que *a.* 1701. *eadem forma* recusus est libellus, quem lepidam salsamque Satyram dicas merito. Fingit enim conuocatam in Parnassum ab Apolline Musarum societatem, coram qua Plagiarii, aliique indigni Scriptores, reos sese sistunt, tamquam fures argenti ac temporis. Luculenter tamen perspicitur, Medicum fuisse Auctorem, quoniam plerumque Medicorum plagia in scriptis exponit nouisque inuentis, et quosdam, qui ipsi non nulla per plagium eripuerant, iustis sibilis conuiciisque explodit. Eodem *anno* 1689. FABRICIVS, adsumto Ioh. Alberti Fabri nomine, *Lipsiae*, seu *Halae Magd.* potius, *in* 4. emisit *Decada Decadum, siue Plagiariorum et Pseudonymorum Centuriam*, qui liber aliquanto auctior locum quoque obtinuit in eius *Opusculor. historico-critico-litterar. Sylloge, Hamb.* 1738. *in* 4. a *pag.* 1. vsque ad *p.* 106. In priori editione desunt Indices, quos eiusmodi scripta omnino exigunt, quemadmodum et paginarum numerus singulis neglectus est foliis, quod postremum, vna cum frequentibus erroribus, typographi culpae tribuendum. Manifesta interim eruditionis Fabricianae vestigia vbique adparent, et, si a Thomasio disces-

discesseris, nemo hoc Auctore de Plagiariis copiosius egisse videtur FRID. OTTONI MENCKENIO. Cf. REIMARI *Vita Fabriciana p. 106. sq.* vbi, praeter alia, ii recensentur simul, qui a Plagii crimine fuerunt absoluti. Quam *Halae M. a.* 1701. in cathedram philosophicam produxit *de Plagio litterario* Dissertationem IOH. CONR. SCHWARZIVS, eam libri singularis forma *Lips. a.* 1706. *in 8.* longe praestantiorem dedit, cum eleganti IOH. FRANC. BVDDEI Praefatione. Verum quae dixit, moralia sunt magis et philologica, quam historica; nam XVI. Capitibus de origine et vsu verborum Plagii et Plagiariorum, de variis Plagii generibus, de artibus Plagiariorum in occultando Plagio, de modis, quibus Plagium inuestigetur, de officio accusatoris Plagiariorum, de defensoribus, arbitris, poenis eorundem, et similibus agit, et ita quidem, vt pro instituti ratione, melius vix ac diligentius potuisset. Rem tamen plurimis fecisset gratissimam, si illustrasset singula exemplis, ex Historia litteraria petitis. Eiusdem Auctoris prostat Dissertatio, *Coburgi a.* 1721. exhibita, *de naturali et praecipua cholericorum propensione in furtum litterarium*, quae rarius est obuia, et aliquando adiungi potest laudato eius libro, si noua eiusdem editio suscipiatur. THOMAS CRENIVS primum non pauca Plagiariorum exempla collegerat secundum litterarum ordinem in *Parte X. Animaduersionum philolog. et historic. Amstael. a.* 1701. *in 8. Cap. II. p. 162. sq.* Vid. *Acta Erud. Lat. anni* 1702. *p.* 108. Quo Catalogo delectati non nulli, occasionem ipsi suppeditarunt, vt de labore hocce continuando cogitaret. Itaque *Lugd. Batauorum*, seu verius *Francof. ad Moenum*, *anno* 1704. *in* 8. Dissertationem epistolicam, Frid. Dan. Knochio inscriptam, edidit *de furibus librariis*, cui *anno* 1708. successit altera: tertiam, de qua dubitant complures,

res, *anno* 1709. a. d. XII. Calend. Nouembr. exaratam, integram inuenio in *dem ausführlichen Bericht von allerhand neuen Büchern*, *Parte IX. art. 3. p. 850. sq.* Omnes tres Dissertationes recusas esse *Lugd. Bat. a.* 1716. *in* 8. docent *Catal. Biblioth.* IOH. HENR. BVRCKHARDI, *Parte I. p.* 149. itemque *Catalogus Bibliothecae* fratris, IACOBI BVRCKHARDI, *Parte II. p.* 124. Sed nunquam haec altera editio meis oculis occurrit, primum vero binarum Dissertationum, quae supra memoraui, exemplar ad manus est, lectisque iisdem statim recte iudicatum cognoui a MENCKENIO, vbi *l. c. p.* 89. sic differit: *Qui libros scribendi rationem Crenianam non ignorant, iis, etiam tacente me, persuasum esse potest, nihil his libellis, praeter exempla Plagiariorum, vndecunque corrasa, aut loca Autorum nullo nec iudicio, nec ordine, in vnum cumulum congesta, contineri.* Audias, praeter haec, quae dicuntur in *Memoires de Trevoux anni 1705. art. 148. p. 1671: A parler franchement, Mr. Crenius ne paroît pas propre au metier de grand Prêvot du Parnasse, et les Ecrivains, qu'il condamne comme Plagiaires, pourroient appeller de son jugement. Le moindre temoin lui suffit pour la preuve, il admet les ennemis les plus declarez à rendre temoignage, et leur deposition lui paroit toujours decisive, il confond les Plagiaires coupables d'un vol medité avec les Auteurs, qui par un pur hazard auront pensé une ou deux fois comme un autre,* caet. Siquis careat his Dissertationibus Crenianis, is euoluat *Acta Erud. Lat. a.* 1708. *p.* 424. vbi prima et secunda satis diligenter recensentur. De priore saltim a TENTZELIO in *der curieus. Biblioth. Repositorio II. anni* 1705. *p.* 417. ac de altera in *dem ausführl. Bericht von neuen Büch. Parte III. art. 5. p. 290. sq.* actum. Post omnium

um horum Virorum labores instituit spicilegium MEINH. PLESKENIVS, Brem. Saxo, nomine tamen Siglis tantum indicato, in *Apparatu litterario Societatis Colligentium*, *Vitemb. a.* 1717. *in 8. Collect. I. Specimine 10*, vbi *p.* 157. *sq.* obuius est eiusdem *Syllabus Plagii vel damnatorum*, *vel accusatorum*, *summatim exhibitus*. Telam pertexere studuit Vir doctus, qui Antistitis supremi in Ducatu Cellensi dignitate conspicuus haud ita pridem est mortuus, in *Collectione II. Specim 17. p.* 349. *sq.* Ex vtroque Opusculo addisci possunt haud sane vulgaria. Caeterum occasione hac peropportuna monere licebit, librum, *Apparatus litterarius* inscriptum, bis prodiisse, vel mutatum esse saltim, nouo titulo, fraude bibliopolae. *Anno* enim 1722. hoc elogio emtoribus fuit oblatus: POLYC. LYSERI (is enim Caput erat Societatis Colligentium) *Icon omnis generis doctrinae*; quumque nec id ex voto succederet, *anno* 1729. praefixo iterum Lyseri nomine *Amoenitatum litterariarum* adpellationem indeptus est. Quod scire maxime interest eorum, qui coëmendis sunt libris intenti, ne tres esse diuersos existiment, qui est vnicus tantum. Indicauit haec mihi REIMMANNVS in *Catal. Biblioth. Tomo II. p.* 542. et *p.* 698. Nunc e diuerticulo in viam redeundum. CAIETANVS GIARDINA libello suo *de recta methodo citandi Auctores*, *Panormi a.* 1718. *in 12. p.* 155. *sq.* adiecit, praeter cognitiones de Pseudonymis et Anonymis, *Plagiariorum* etiam *Indiculum*; sed quo notandus ille sit calculo, definire ego, quum libellus in manus meas nunquam venerit, nulla ratione possum. Interim nolui eundem silentio plane praeterire. LEONHARD. COZZANDVS in Catalogo librorum adfectorum, quem subiunxit *Librariae Brescianae*, *Brixiae anno* 1694. *in 8.* edito Italice Opusculo, *P. I.* promisit etiam Tractatum *de praestantibus doctrina Viris*, *qui alienis fontibus hor-*

tos

tos suos irrigarunt, vti memorant Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1695. *p.* 473. Et accepimus omnino, eius post obitum, *de Plagiariis* librum singularem, a iuuene olim conscriptum, sed tunc suppressum, in *Vol II. artic. 4. p.* 134. *sq.* itemque *Vol. VIII. artic.* 1. iucundi Operis, quod *Miscellanea di varie Operette* vocatum, *Venet. a.* 1740. *sq. in* 12. prodiit. Audiamus vero MENCKENIVM, in *Miscell. Lips. nouis, Vol. I. p.* 91. quo is loco ingenue, quid existimet de hoc labore, profitetur. Ipsa eius verba haec sunt: *de quo libello postumo quantumuis magnifice sentire ii, qui ediderunt, videantur, quantiuis etiam pretii existimetur opera, in colligendis Plagiariorum exemplis, quorum hic tantus est, quantus vix vsquam alibi, exercitus instructus, posita; dubito tamen, an ad palatum futura sit aetati nostrae delicatiori ea tractandi ratio, quae Almeloveenianae illi*, supra notatae, *prorsus est simillima; si quidem tractasse argumentum dici potest is, cui vna haec cura fuit, vt ex locis Autorum sexcentis informe quoddam corpus consueret, et reos quosque, accusatos tantum, non conuictos, tumultuario iudicio condemnaret.* Adductus hic Menckenii locus desumtus est ex eiusdem *Criticae litterariae Specimine primo, exhibente Plagiariorum duas Decades*, quae Dissertatio rerum maxime notabilium copia, dictionisque suauitate, omnibus mirifice se commendauit. Incipitur illa in *Miscellaneorum Lips. Volumine I. p. 87. sq.* egoque passim eandem meos in vsus conuerti. Plura deinde Specimina non accessere. Paullo tamen post Menckenii conatus, et *anno* quidem 1744. CHRIST. LVDOV. SCHLICHTERVS in IKENII *Symbolis litterariis, Tomo I. Parte 1. p. 43. sq.* et *Parte 2. p. 64. sq. Catalogum* protulit *Plagiariorum, vel quasi, ordine alphabetico digestum, notulisque criticis illustratum.* Ad vniuersales de Plagio et Plagiariis Scripto-

res quum ſpectent omnes adhuc nominati, iuuabit nunc ſingularia quaedam adnectere. Sic in *den Hällischen auserleſenen Anmerckungen über allerhand wichtige Materien vnd Schriften*, *Parte V. p.* 157. *ſq.* Anonymi, quem eſſe GOTTLIEB STOLLIVM nouimus, Obſeruatio exſtat, in qua oſtenditur *daß die gröſten Poeten die vortrefflichſten Diebe ſind.* Variis exemplis ex Hiſtoria litteraria cum antiqua, tum recentiori, dictis ſuis fidem conciliare ſtudet Auctor, ſimulque ſignificat, integrum *de furtis Poetarum* Commentarium aliquando molitum eſſe AEGIDIVM MENAGIVM, quem dolendum eſt, non prodiiſſe. *De Plagio litterario in ſtudio Iuris* breui Programmate *Ienae a.* 1717. GVIL. HIERON. BRVCKNERVS egit, ad quod ſcribendum anſam dedit aliquis, cuius tamen nomini parcit, ob ſpoliatam eius *de promiſſione per vim extorta Diſſertationem.* Cf. PLESKENIVS in *Appar. litterar. Collect. I. p.* 158. Idem factum a GODOFR. BIDLOO, qui pretioſum Opus, *Anatomiam corporis humani*, *Amſtael. a.* 1685. *in f.* luci expoſuit. Poſtquam enim GVIL. COWPERVS *Antropographiam* ſuam *Londini a.* 1698. *in f.* ediderat, Bidloo eundem in plagii litterarii ſuſpicionem vocare laborauit, eoque conſilio *Lugd. Batau. a.* 1700. *in* 4. typis imprimendum curauit libellum, ita inſcriptum: *Guil. Cowperus criminis litterarii citatus coram tribunali Societatis Anglicanae.* Contendit Auctor, Cowperum in Opere ſuo non ſolum tabulis eius aeneis vſum eſſe, ſed explicationibus etiam, quas peſſime ſaepius immutauerit. Vid. hac de re NICERONIVS in *Vitis erudit. P. VII. p.* 210. *edit. Germ.* LAVR. IOH. NEPOMVCENI REEN Plagium, in Diſſ. ſua medica inaugurali, *Harderov. a.* 1748. commiſſum, detexit MICH. GOTTLIEB AGNETHLER libello quodam, *Halae M. a.* 1750. *in* 4. excuſo. IOH. HENR. VON SEELEN, a Lubecenſis Gymnaſii Rectore

ctore probe distinguendus, Dissertationem *de obligatione Philosophi ad religionem*, *Lips. a.* 1730. paucis tantum verbis mutatis desumsit ex IOH. CHRIST. FISCHERI Dissertatione *de obligatione hominis ad religionem*, paullo ante *Ienae*, praeside Frid. Sidelio defensa, teste BAVMEISTERO V. C. in *Philosophia definitiua §. CCXCII.* v. Plagiarius, ipsoque FISCHERO in Praefatione, *Demonstrationi solidae de obligatione hominis ad religionem et naturalem et reuelatam*, *Ienae a.* 1737. *in 8.* praemissa. De Veneto quodam, qui *Artem dirigendae mentis Venet. a.* 1739. *in 8.* Tomis IV. extrusit, in *Supplem. ad Noua Acta Erudit. Tomo V. p.*488. haec legi olim, digna, quae adponantur: *Proposuit etiam, Prolegomenorum loco, famigeratus homo, quam ne de nomine quidem recte censendus est cognosse, Historiam philosophicam, atque id est prae reliquis in ea assequutus, vt impudentissimus fur et plagiarius dici ab omnibus haberique possit. Postquam enim a Chria quadam puerili, sed nescio vnde desumta, (ex suo certe ingenio non habet,) infelix duxisset initium, Historiam philosophicam ex* Frid. Gentzkenii *Historia Philosophiae, quae et seorsim, et cum Operibus huius Viri aliis philosophicis, prodiit, exscripsit, et ita quidem, vt, quaecunque ipse adduxit, (libuit autem nobilissimo capiti, quinque saltim plagulis pro suis vti,) ea omnia in huius Viri libro inueniantur. Credant nobis Lectores nostri bona fide, ne verbum quidem vllum a Veneto isto immutatum esse.* Caetera ipse, si placet, inspicias, nec id fecisse te, opinor, poenitebit. Alios non nullos, qui detestabili hac fraude maculas inusserunt sibi aeternas, memorauit HEVMANNVS in *Conspectu Reipubl. litter. Cap. VII. §. 39. p. m.* 481. *sq.* Ego etiam magnum inter litteratos Virum, IOH. GE. GRAEVIVM, non dubi-

 taui

taui in Thesi quadam, Dissertationi *de Sectione debitorum apud Romanos* adiecta, *p. 56.* primi subsellii Plagiarium nuncupare. Ingrata quibusdam, qui tunc temporis Lipsiae florebant, videbatur incusatio esse, parumque aberat, quin capitale Icti, mihi antea amicissimi, odium excitarem, in re manifesta tamen, ac sole clariore. Ne quis enim temere me credat calumniari, eum rogo, vt euoluat AVG. BVCHNERI *Orationes panegyricas*, *Dresdae a.* 1669. *in 4. pag.* 264. a verbis: *mihi peraeque*, et GRAEVII *Orationes*, *L. B. a.* 1717. *in 8.* editas, *p.* 40; BVCHNERVM *p.* 266. a verbis: *quam neque dum*, et GRAEVIVM *p.* 42. 43; BVCHNERVM *p.* 273. a verbis: *Praefert auctoritatem*, et GRAEVIVM *p.* 43; BVCHNERVM *p.* 278. *sq.* a verbis: *Egressus adolescentiae*, et GRAEVIVM *p.* 44; BVCHNERVM *p.* 280. *sq.* a verbis: *Quid nunc*, et GRAEVIVM *p.* 47. et 48; BVCHNERVM *p.* 282. et 283. GRAEVIVM autem *p.* 61. 62; BVCHNERVM *p.* 334. 335. et GRAEVIVM *p.* 173. 174. vt plura taceam, ne minis excurrat oratio, exempla. Eiusdem quoque reum criminis deprehendi CHRISTIAN. EBELINGIVM, nec non IOH. NICOLAI, hunc Professorem Tubingensem, illum Rintelienſem. Vid. Dissertatio mea *de ritu tangendi SS. Euangelia in iureiurando*, *Luneb.* 1748. *§. IV. p.* 11. itemque Comment. histor. *de Principum personarumque illustrium funeribus imaginariis*, *ibidem* 1755. *in 4. mai.* §. *III. p.* 3. quo simul loco alium, graculo illi Aesopico similem, denudaui, IOH. GOTTLIEB EHRLICHIVM scilicet, Dissertationis *de iure sepulturarum*, *Vitemb. a.* 1730. euulgatae, scriptorem.

§. XVII.

A Pedantismo, de quo supra est actum, differunt non nihil Machiauellismus et Charlataneria eruditorum. De vtroque igitur vitio placet nunc

seorsim

feorsim differere. Prius eorum dici vulgo solet nimium ridiculumque studium immeritam in Republica litteraria laudem gloriamque adquirendi. Et fuere profecto, nec adhuc desiderantur, admodum multi, qui omnes adhibuerunt machinas, et vel Acheronta mouere tentarunt, vt in hominum venirent sermonem, famamque fraudulenter aucuparentur, atque sic malis emergerent artibus, et nominis sibi splendorem pararent. Pertinet ad haec talia cognoscenda IVSTI CHRISTOPH. BOEHMERI Prolusio elegans *de artibus non nullorum inclarescendi in Rep. litteraria*, inter *Prolusiones VII, Helmst. a.* 1707. *in 4.* ab eodem emissas, *num. II. p.* 8. *sq.* Longe tamen copiosior est MICH. LILIENTHALII Dissert. historico-moralis *de Machiauellismo litterario, siue peruersis quorundam in Republica litteraria inclarescendi artibus.* Lucem adspexit *Regiom. a.* 1713. *in 8.* Praecipua exinde memorantur in *Actis Erud. Lat. a.* 1713. *p.* 474. *sq.* itemque in *der neuen Hällischen Bibliothec*, *Vol. III. Parte* 28. *p.* 722. *sq.* Verba facit Auctor e. g. de iis, qui aut nihil, aut parum, scribunt; qui Bibliothecas sibi instructissimas, pompae tantum caussa, exstruunt; qui multis promissis, de quibus nunquam serio cogitarunt, orbis litterati excitare admirationem gestiunt; qui genus dicendi obscurum adfectant, et magna mysteria sub verborum tenebris pollicentur; qui librorum suorum non nisi pauca exemplaria imprimenda typis curant, vt mox rarissimorum augeant numerum; nolo congerere plura. Idem *p.* 150. *§. XXIV. Titulomaniam* tangit *eruditorum*, de quo argumento postea *Lipsiae a.* 1723. Dissertationem Philosophorum in cathedram attulit CAROL. HENR. HEEGIVS. Perstringuntur ab hoc Auctore, qui adpetitu corrupto incitati et abrepti ad honorificos, multifarios, maioresque titulos temere et arroganter adspirant, impetratosque ita vsur-

vſurpant, vt haud difficulter adpareat, quod non tam adcommodatam communis ſalutis promotionem, quam ſuae perſone elationem, aliusque vanae intentionis titillationem, ſcopum principalem ſibi habeant praefixum. Ex qua longa ipſius Heegii deſcriptione, qua Titulomaniam reddere clariorem conatus eſt, perſpici ratio poteſt omnis inſtituti. Caeterum STOLLIVS *Obſeruationum in* HEVMANNI *Conſpectum Reipubl. litt. p.* 732. optat non ſine cauſſa, vt nouae Lilienthaliani libelli editioni accedant Schediaſmata de Machiauelliſmo theologico, iuridico, medico, et philoſophico vel critico. *Machiauellismi ſcholaſtici* haud infeliciter imaginem expreſſit IOH. FRIEDL. STÜBELIVS in Progr. *Annab. a.* 1727. *in f.* exhibito, recenſitoque in BIDERMANNI *Actis Scholaſticis, Vol. I. p.* 129. *ſq.* Nouiſſime Scriptor quidam Helueticus, ficto, vt opinor, LVCII CANDIDI nomine notus, in *Muſei Heluetici Tomo I. P.* 1. *p.* 1. et *P.* 2. *p.* 169. *ſq.* propoſuit Meditationem *de eo, quod nimium eſt in ſtudio litteris inclareſcendi*, quod Opuſculum Collectores *Actor. Erud. Lat. anno* 1749. *p.* 690. ſic, inter alia, commendant: *Cuncta luculenter ſunt indicata, et exemplis ad rem facientibus rite illuſtrata, quin etiam doctiſſimorum Virorum teſtimoniis, idem ſententium, confirmata. Totum hoc ſcriptum iudicium exactum et eruditionem inſignem ſpirat.* Lilienthalii nonnunquam veſtigia legit, haud pauca tamen addidit noua, magisque docto ſale peruerſos quorundam conſperſit mores IOH. BVRCH. MENCKENIVS in Orationibus binis *de Charlataneria eruditorum.* Hac voce barbara, cuius in locum elegantius Hiſtrioniam ſubſtituere poterat, intelligendum eſt vitium vix mediocriter eruditorum, qui immoderata ſcientiae ſuae iactantia, hiſtrionicis interdum facetiis miſta, hominum adplauſum captant, eo quidem conſilio, vt aliorum fruantur ſtultitia ad

famam

famam opesque ſuas augendas. Auidiſſime faceta haec Satyra Menckeniana excepta eſt a Germanis, aliisque nationibus. Prodiit primum *Lipſiae a.* 1715. *in 8.* cum binis Auctoris Programmatibus, altero *de adplauſu eruditorum*, altero *de dignitate Magiſtri, praeſertim Lipſienſis*, vt paullum augeretur libelli moles. Nitida eſt haec editio, at rarius nunc occurrit. Sequebatur, eodem ſtatim anno, altera *Amſtaelodamenſis in 8.* cui acceſſere notae variae cum ipſius Menckenii, tum aliorum, Walchii nimirum, Krauſii, Wagneri, Tilgneri, Schoettgenii, Maſcouii, Schreberi, Rabeneri, Schützii que, omnium tamen Pſeudonymorum, item SEBAST. STADELII, i. e. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI, *Epiſt. ad Ianum Philomuſum de circumforanea litteratorum vanitate*, exarata Cal. Sept. a. 1715, in qua partim, quid exiſtimet de libello Menckeniano, candide ſignificat, partim plura Charlataniſmi exempla, ipſi cognita, producit. Tertia editio *anno* 1716. adornata, non, vt mentitur titulus, Amſtaelodami, ſed, quod manifeſtum eſt, *Lipſiae*, nihil diſcrepat, ſi argumenta ſpectes, ab altera Amſtaelodamenſi. Quartam Latinam Italis debemus, ad priorem excuſam *Lucae a.* 1726. *in 12.* charta typisque admodum nitidis. Deſiderantur autem hic Interpretis Gallici notae, de quibus infra. Earum loco *p. 367. ſq.* conſpiciuntur non neminis *notae*, vt eas vocat, *tumultuariae*, quibus Italorum variorum inepti mores ſalſe lepideque perſtringuntur. *Anno* 1727. *Lipſia*, non *Amſtaelodamum*, vt in titulo legimus, quintam dedit *in 8.* Quarta dicitur quidem, ſed nullam aliam ob cauſſam, quam quod Italica editio tunc temporis nondum Germanis innotuerat. Exſtant hic, praeter caetera, Interpretis Gallici notae, Latine redditae, et ipſius Auctoris nouae quaedam. Eorum ſimul, a quibus notae profectae erant, vera

 dete-

detecta sunt nomina. Tandem FRID. OTTO MENCKENIVS eas Declamationes *Orationibus* Parentis *Lipſ. a.* 1734. admiſcuit, at nudas tantum, nec niſi breuiſſimis Auctoris adnotationibus, quibus Scriptorum continentur teſtimonia, exornatas. Promiſerat olim easdem ſeparatim, ac nitidiore longe habitu, laudatus filius; ſed conſilium deſtitutum fuit ſucceſſu. Nunc verſiones libelli memorandae. *Anno* 1716. *Ienae* et *Halae* in Germanicum ſermonem, neſcio cuius calamo, translatae ſunt Orationes illae, et ſub idem tempus ab alio Anonymo, quem conſtat GODOFR. TILGNERVM fuiſſe, typis Lipſienſibus. Multum haec poſterior verſio antecellit priori non interpretandi ſolum artificio, ſed elegantia quoque dictionis. Nec aliquid pretii ſtatuendum Interpretis Halenſis notis, minime profecto ſelectis, et quibus facile carere libellus poterat, ſi primum Auctoris inſtitutum conſideremus. Inſertae interim notae hae caeteris Charlataneriae editionibus, quae ex illo tempore ſunt repetitae. Lipſienſis interpretatio iterum prelo exiit *Lipſiae a.* 1727. cum Virorum, ſupra nominatorum, Interpretumque tam Germanici Halenſis, quam Gallici, Obſeruationibus. Scilicet ediderat Anonymus quidam *Hagae Comit. a.* 1721. verſionem Gallicam, ſic inſcriptam: *De la Charlatanerie des Savans, par Mr.* Mencken; *avec des Remarques critiques de differens Auteurs.* Forma libri eſt, vt priorum, excepta Italica, editionum, quam octauam vocant. Addidit nouas quasdam Adnotationes Gallus, iucundas lectu, atque ſatis elegantes. Iam *anno* 1718. *Amſtaelodami* PAVL. LE CLERCQ Belgice tranſtulerat Menckenianas Declamationes, hoc quidem titulo: *De Quakzalvery der Geleerden, met Aenteekeningen door den Heer* Menken, caet. Adcommodauit ſe Interpres maxime popularium ſuorum ingenio, et quibusdam, prout ipſi lubi-

lubitum fuit, mutatis notas alias addidit, alias neglexit, rem gratam ita, quod ſperabat, facturus Belgis ſuis. Cf. *die Leipz. gel. Zeit. anni 1718. p.* 594. Anglicae verſionis ipſe meminit Menckenius in GREG. MAIANSII *Epiſtolis, libro VI. p. 297. princ. edit. Lipſienſis;* at ignoro, quo auctore id factum ſit, quo anno locoue. Hiſpanicam tentaſſe quoque laudatum MAIANSIVM, ex his eius verbis *l. c. p. 299.* luculenter patet, quae reſcripſit ad Menckenium: *Declamationes tuas de Charlataneria Eruditorum in tot linguas conuerſas minime miror: ſunt enim lepidiſſimae. Aliquot abhinc menſibus (antequam aliae me occupationes diſtringerent) eo inclinabat animus, vt in Hiſpanicam etiam transferrem, nouisque exemplis, quorum feraciſſima Hiſpania, ea loca ſupplenda exiſtimabam, quae tu putas recidenda heic fore in tali caſu. Sed ne quid de occupationibus dicam, veritus ſum, ne inde mihi maior inuidia et odium crearetur. Nam noſtrates nihil aeque ſolent odiſſe, quam ſtudium Critices.* Paullo tamen poſt alius quidam Hiſpanorum, isque Pſeudonymus, EVANGELVM quippe COSMOPOLITANVM ſe dixit, notularum non nihil ad Charlataneriam Menckenii compoſuit, quas, exemplis nonnullis, praecipue Hiſpanorum, inſtructas, AVG. BEYERVS *Memoriis* ſuis *Hiſtorico-criticis libr. rarior. anno* 1734. ſubiunxit. De his, qua attuli, videas, ſi placet, *Vitam* MENCKENII, ſcriptam a filio, FRID. OTTONE, praemiſſamque illius *Diſſertationibus Academicis, Lipſ.* 1734. *in 8. p. 20. ſq.* quem locum inſigni mihi vſui fuiſſe profiteor. Vnum hoc addo, cum Declamationibus de Charlataneria eruditorum, quarum ampliſſima recenſio, nouis paſſim cogitatis diſtincta, obuia eſt in *Actis Eruditor. Germanicis, Vol. III. Parte 32. p. 650. ſq,* coniungendam vtique aliam eſſe Orationem *de grauitate*

uitate eruditorum p. 265. sq. in Sylloge *Orationum Menckenianarum.* Ibidem enim dicuntur varia primum, quae Declamationum priorum Lectoribus non erunt iniucunda; deinde autem alia vitia, doctis hominibus familiaria, viuis quasi coloribus depinguntur. Ad Charlataneriae imaginem expressae sunt etiam binae MENCKENII Orationes *de Histrionia politica, ibidem p. 323. sq.* quibus ea, quae sunt in statu ciuili, siue in aulis, ridicula, ex praeteriti aeui Annalibus collegit, omniumque posuit ante oculos. *De Medicorum Charlataneria* IOH. LAETVS, *Freysingae a. 1717. in 8.* Opusculum edidit, quod indicauit mihi *Catalogus Bibliothecae Reimmannianae, Tomo II. p. 576.* vbi et haec referuntur, Pseudonymum esse Auctorem, eundemque pepercisse personis, ac vitia tantum esse insectatum. Facile tamen fuisset, exemplis idoneis maiorem argumento ornatum addere. Paucis quoque, nec alia ratione, quam Laetus partes peregit suas, IOH. LEONH. FROEREISENIVS, Theologus Argentoratensis, et *Charlataneriam Theologorum* tetigit Oratione Academica, *Argent. a. 1735. in 4,* recusa *Ienae a. 1737. ead. form.* et hoc ipso anno etiam *in 8.* nescio quo loco, Latine Germaniceque, cum aliis quibusdam scriptis nostra lingua paullo ante editis, quae miri ingenii auctores produnt, ac theologica prudentia penitus destitutos. REIMMANNVS *l. c.* de isthac Oratione ita scribit: *a non nemine in linguam Germanicam conuersa nostro Typographo* (Hildesiensi) *imprimenda oblata est, qui amplissimi Magistratus nutu admonitus noluit obstetricias manus admouere foetui, tantum mali excitaturo in multitudine imperitorum, vtilitatis nihil.* Ictorum Charlataneriam quodammodo in Exercitat. *de ostentatione iuridica, (von der iuristischen Wind-*

mache-

macherey,) Lipſ. a. 1737. in 4. IOH. LVDOV. LANGGVTHIVS expoſuit. Non immerito etiam hic locus eſt concedendus FRID. ANDR. WALTHERI Progr. *de non nullis eruditorum vitiis, praeſertim de Thraſoniſmo eorum, Gottingae a. 1748. in 4,* itemque FRID. PLATNERO, Viro celeberrimo, cuius *Lanx Satura, Altenburgi a.* 1758. *in 8.* nitidiſſime diuulgata, complura de ineptiis eruditorum et corruptis moribus, ſigillatimque de Charlataneria eorundem, ſalſe continet atque perquam eleganter dicta.

§. XVIII.

Alii fuerunt, quibus de fatis eruditorum et proſperis, et aduerſis, agere placuit. A' THEOPHILO certe SPIZELIO habemus *Imaginem felicis litterati, exemplis et documentis Selectioribus illuſtratam,* quod Opuſculum partem explet Commentationum *de vitiis litteratorum, Aug. Vind. a.* 1676. *in 8. p. 1060. ſq.* Acceſſit *ibid. ann.* 1685. *ead. forma* Tomis II. huius Scriptoris *Litteratus feliciſſimus, ſiue de conuerſione litteratorum Commentarius, ſelectis Doctorum veterum, Scriptorumque eccleſiaſticorum, monumentis et documentis, nec non ſingularibus conuerſorum litteratorum exemplis et hiſtoriis illuſtratus,* quo de Opere poſſunt euolui *Acta Erud. Lat. a.* 1685. *p.* 183. *ſq.* Non admodum id probauit REIMMANNVS, cuius rei cauſſas memorauit in *Catal. Biblioth. Tomo II. p. 623. Eccleſiaſtica,* inquit, *methodo conſcriptum eſt potius, quam Academica, vitaeque magis accommodatum, quam Scholae. Maiorem etiam induſtriam olens, quam doctrinam, et attritos calamos, quam demorſos vngues, et lectionis varietatem, quam ſubtilitatem ingenii.* Nonnulli huius argumenti quaedam pertractarunt ſpeciatim. Sic *de memoria memorabili* CAR. FRID. PEZOLDI Diſſertatio exſtat, *Lipſ. a.* 1699. propoſita. More ſuo CHRIST. FRANC. PAVLLINI hanc Diſſertationem exſcripſit, et lingua exhibuit vernacu-

la

la *im philosophischen Feyerabend*, *p.* 665. *sq.* Cf. de aliis eiusdem plagiis REIMMANNVS in *der Einleit. in die Histor. litter. Tom. I. p.* 67. *et* 68. ac *Tomo II. p.* 206. Et stili elegantia, et rerum vbertate se magis commendant MICH. RICHEY Programmata *de Polymnemonibus, siue memoriae diuinioris exemplis, ex varia Historia, praesertim eruditorum, depromtis*, quorum prius *Stadae a.* 1706. reliqua, quae ex Continuationibus tribus constant, ibid. *a.* 1707. 1710. et 1711. *in* 4. prodiere. Iam pridem rarius obuia digna essent profecto, quae coniunctim recuderentur. Add. IOH. IAC. AVRACHERI Diss. *de memoria*, quam in Academia Altorfina, Praeside IOH. GVIL. BAIERO, *a.* 1708. defendit. In ea non generalia tantum de memoria, sed exempla etiam eruditorum, insigni memoria clarorum, bene multa congessit. Moriens deinde apud Ienenses amplum reliquit spicilegium, quod nactus est STRVVIVS, et olim euulgare constituit, ad recolendam ipsius doctissimi Iuuenis memoriam; sed successu caruit consilium. Breuis est PAGAN. GAVDENTII Diss. *de Philosophis in aula*, quam *Vitis summorum dignit. et erudit. Virorum, Tomo II. p.* 123. *sq.* inseruit MEVSCHENIVS. Generatim autem *de fatis eruditorum in aula* CHRIST. WEISIVS *Lips. a.* 1695. Dissertationem Academicam produxit. *Eos, quibus singularis quidam et insolitus Auditorum adplausus contigit*, recenset IOH. BVRCH. MENCKENIVS in Programmate, quod nunc legi potest in eiusdem *Dissertat. litterariis*, *p.* 54. *sq.* Exempla hominum doctorum, quibus ad summam perueniré senectutem licuit, non sine diligentia collecta fuere a GOTTLOB AVG. IENICHENIO in *Specimine Bibliothecae eruditorum longaeuorum*, *Lips. a.* 1730. *in* 4. Sed in prima tantum alphabeti littera substitit conatus. Quae monuerit REIMMANNVS, ea vid.

vid. *l. c. p.* 415. Lugenda eruditorum fata descripsit IOH. PIERIVS VALERIANVS in *libris II. de infelicitate litteratorum*, *Venetiis a.* 1620. *in 8.* recusisque cum CORN. TOLLII *Continuatione Amstael. a.* 1647. *in 12.* atque haec editio repetita fuit *Helmst. a.* 1664. *ead. forma.* Exempla hic eorum conspiciuntur, qui vel vita vel morte infelices fuerunt eruditi, sine delectu tamen sunt congesta, atque recentiora tantum. Pierius vnice agit de Italis, ac passim, sine vllo fundamento, eruditos in classe hominum infelicium collocauit. Interim elegantibus contextus liber est verbis, magnamque partem Historiae litterariae continet, quam eramus ignoraturi, si non scripsisset eundem Auctor. Gallos addidit aliosque Tollius; at multa rapuit ac furatus est ex SAMMARTHANI *Elogiis illustr. Gallor.* obseruante in *Praefat. §. XII.* editionis suae HEVMANNO, et in nota ad *lib. I. cap. 19.* Significat idem haec in *Poecil. Tomo II. p.* 516: *Capitibus Sammarthani illis, vnde impudenter hausisse dixi Tollium, adiungas licet capita de* Gillio, Molinaeo, Corasio, Ferrerio, Cuiacio, Sudorio, Durantio, Stephano. *Medicem Legatum*, siue *de exilio libros II.* composuit PETR. ALCYONIVS, in quibus Dialogi leges est sequutus. Primam lucem vidit Opusculum *Venet. a.* 1522. apud Aldum *in 4. et in 8.* quae editio est rarissima, magnoque in pretio. Deinde prodiit *Basil. anno* 1546. *in 4.* ac denuo, cum HIERON. CARDANI de Sapientia libris V. deque Consolatione libris III, *Aureliopoli*, siue *Geneuae, a.* 1624. *in 8.* Et hae binae editiones admodum raro inueniuntur. Tantum inest labori elegantiae, vt existimarint complures, longe praestantiorem, atque adeo ipsum Ciceronem, auctorem esse, eiusdemque de gloria librum integrum, cuius hodie non nisi fragmenta supersunt, in manibus habuisse Alcyonium,

passim-

passimque expilatum, ne innotesceret plagium, concremasse. At satis iam alii hominis caussam egerunt. Videantur, praeter STRVVII recensionem libelli in *Bibliotheca antiqua, anni* 1706. *p.* 369. *seq*, NICERONII *Vitae Eruditor. Parte VI. p.* 181. *seq. edit. Germanicae*, et praecipue IOH. BVRCH. MENCKENIVS in docta Praefatione, quam singulari eiusmodi scriptorum Collectioni praemisit. Is ipse nimirum *Analecta de calamitate litteratorum, Lips. a.* 1707. *in* 12. euulgauit, quibus continetur ALCYONIVS PIERIVSque cum TOLLII Accessionibus, ac tandem IOSEPHI BARBERII libellus *de miseria Poetarum Graecorum*, iam antea *Tomo X. Thesauri Antiqu. Graec. Gronov. p.* 797. *sq.* insertus. Idem Barberius *de miseria Poetarum Latinorum* scribere constituit, sed non absolutus videtur labor, certe nondum exstitit, qui eum typis curaret imprimendum. Nec id aegre ferri debet. Audiamus enim HEVMANNVM in *Poecile l. c. misellus hic est scriptor*, ait, *mirabérisque, eum recudi iussum esse a Gronouio primum, deinde a Menckenio. Certe de miseria poetarum non potuit scribi miserius ineptiusue. Taceo, eum nihil non descripsisse e Gyraldo et Vossio, id quod ipsemet fatetur in Praefatiuncula.* Post Barberium IOH. CHRISTOPH. LAYRIZIVS *de exilio Poetarum, cum veterum, tum recentiorum, Baruthi a.* 1706. *in* 4. Dissertationem edidit, aliamque *de casibus Poetarum tragicis Vitemb. a.* 1714. adiunxit DAV. THEODOS. LEHMANNVS. Sectio prior Poetas, qui sponte, heroicoque animo, mortem oppetierunt: Sectio altera Poetas, qui casu perierunt: Sectio tertia Poetas vi et supplicio abreptos recenset. Cf. *die gelehrte Fama, Vol. IV. Parte* 40. *p.* 282. vbi de duabus Dissertationibus sermo est. Caeterum MENCKENIVS in laudata Praefatione longe plura infelicium eruditorum se adferre dicit exempla posse, quam in

Volu-

Volumine, quod coniunctim ab eo accepimus, reperiuntur. Speciminis loco ex Anglorum Historia litteraria Verulamium nominat, Fullerum, Bakerum, Morum, Miltonum, Creechium, aliosque. Nouissime IOH. NICOL. FVNCCIVS *de eruditorum miseria* iucunde disseruit in Programmate quodam, quod postea in *Dissertat.* eius *Academicis, Lemgov. a.* 1746. *in* 8. *mai.* excusis *p.* 322. *sq.* locum suum obtinuit. Quod CHRISTIAN. GRYPHIVS pollicitus aliquando est Schediasma epistolicum, *quo eruditi mente capti, melancholici et αὐτόχειρες* repraesentantur; Αποσπασμάτιον Syntagmatis maioris de infelicibus litteratis, id quidem, viuis non ita multo post erepto Viro doctissimo, publicae luci expositum non fuit. Mentio huius instituti iniicitur in *Nouis litterariis German. anni* 1703. *p.* 87. Alia exempla singularia eruditorum huiusmodi a pluribus fuere collecta. Habemus quippe GODOFR. BOETTNERI Dissert. binas *de malis eruditorum vxoribus, Lips. anno* 1705. quarum altera historica est, altera moralis; IOH. CHRISTOPH. WOLFII Diss. *de carcere, eruditorum museo, Vitemb. a.* 1710. itemque THEOD. CRVSII *Anmerckung von Gelehrten, so im Gefängniß Bücher geschrieben, in der Vergnügung müssiger Stunden, Parte VI. p.* 1. *sq;* CAROLI FRID. PEZOLDI Dissertat. *de obliuione memorabili Lips. anno* 1703. coniungendam cum alia eius *de memoria memorabili*, supra indicata; FRID. CHRIST. BAVMEISTERI Progr. *de insigniorum nonnullorum Satyricorum fatis, funestoque vitae exitu*, aliudque eius, Sectionem secundam exhibens, *de Satyricis infelicibus, Exercitationum Academ. et Scholasticar. p.* 72. *sq;* IOH. TOBIAE GLEICHII Dissertat. historicam *de singularibus quorundam Theologorum fatis, Lips.* 1714. *in* 4; GE. HENR. GOETZII Schediasma, *Lubecae a.* 1706. *in* 4. editum, agens *de fatis tristibus, quae Theologorum clarissimorum*

morum filii subierunt, cui addi meretur IOH. ANDR. SCHMIDII Differt. *Ienae a.* 1689. producta hac inscriptione: *Heroum filii interdum noxae.* Pertinent huc etiam, qui coecos eruditos memorarunt. Primum, quantum sciam, id fecit GE. TRINCKHVSIVS, cuius Differt. *de coecis, sapientia et eruditione claris, mirisque quorundam coecorum actionibus, Gerae a.* 1672. *in 4.* lucem vidit. Successit PAVLLINI *Anmerckung von vielen Stockblinden, aber geschickten und gelehrten Männern*, in eiusdem *Zeitkürtzenden erbaulichen Lust, Parte III. p.* 339. *sq*; HENR. AVG. FRICKII Differtat. *de coecis eruditis, Lips.* 1715; ac THEODORI CRVSII *Anmerck. von blinden Gelehrten, Parte X. p.* 23. *sq. der Vergnügung müssiger Stunden.* Qui quidem Scriptores quum illud potissimum doctorum coecorum genus essent persequuti, quos iam longius aetate prouectos tristis oppressit coecitas; HEVMANNVS illos, qui, ab ineunte pueritia coeci, etiam sine oculorum adminiculo non vulgarem consequuti sunt laudem doctrinae, in vnum veluti locum colligere studuit. Vid. eius Programma *de coecis videntibus* in *Poeciles Tomo I. p.* 139. *sq.* quibus eo loco dictis adiungenda sunt *ibidem p.* 187. et *p.* 231. *sq.* obuia, vbi simul varia leges de Achillis Dan. Leopoldi, Lubecensis, aduerso fato; quippe ab ipsa hora natali caruit luminibus oculorum, nihilo tamen minus *Historiam coecorum ita natorum Lubecae a.* 1726. *in 4.* typis curauit excudendam. Add. IOH. GOTTLOB PFEIFFERI *eruditus θαυμαςὸς in aetate tenera, Lips. a.* 1696. Differt. Academica propositus. Praeter alia fata eruditorum mirabilia *Sectione I. §. 4. sq.* de coecis quoque non nullis Auctori est sermo. Nouissimum exemplum eruditi coeci praebuit Christoph. Ludov. Crellius, Ictus Vitembergensis in excellentissimis nostrae aetatis collocandus. Is enim per multos

ante

ante vitae terminum annos offuſa penitus oculis caligine, tantopere diuinum exercuit ingenium, vt pergeret ſcriptis elegantiſſimis, et argumentorum delectu egregiis, ornare Iurisprudentiam, quae ipſi certe plurimum debet.

§. XIX.

Subiiciam his alios, quorum induſtria occupata fuit in Singularibus eruditorum adnotandis. Scenam aperiant generales Scriptores. Molitus eſt aliquid in hoc argumento THOMAS CRENIVS, cuius Diſſert. Epiſtolica *de Singularibus Scriptorum L. B. anno* 1705. *in* 8. eulgata eſt. Sed non iniquum eſſe credo REIMMANNI iudicium *Catal. Biblioth. Tomo II. p.* 523. vbi verba eius haec ſunt: *Quam Auctor de hac re amphoram promittit in indice, vix abit poſtea in vrceum, et, qui in primo elemento incipit Scriptorum, Catalogus, in quinto ſtatim deſinit. Nec ſingularia ſunt omnia, quae affert, ſed pleraque communia.* Non liquet, an melioribus abundet Anonymi *Abregè de l' Hiſtoire des Savans, anciens et modernes*, quem librum, *Pariſ. a.* 1708. *in* 12. editum, haud memini vnquam me videre. Inſtitutum ſaltim Auctoris in *Catalogo Bibliothecae Bunav. Tomi I. Vol.* 1. *p.* 258. ex Praefatione ita refertur: *Je m' attache dans cet Ouvrage, à relever certains traits ſinguliers et peu connus, qui ont caracteriſé les hommes celebres, dans les Siècles, où ils ont vécu, et je ne rapporte de leur Vie, que quelques circonſtances éclatantes, ou ſecretes.* Non pauca rerum iſtiusmodi obſeruantur in VINCENT. PARAVICINI *Singularium de Viris eruditione claris Centuriis III. Baſileae a.* 1713. *in* 8. Pleraque dicta idoneorum ſunt Scriptorum auctoritate munita, legi tamen varia etiam, quae magis

ad §phum huius Capitis priorem spectant, v. g. de quorundam eximio ingenio, memoriae praestantia, obliuione memorabili, dura paupertate caet. Simili comparatus modo, copiosior tamen vtique liber est IOH. ADAMI BERNHARDI, quem *Francof. ad M. a.* 1718. *in 8.* hoc titulo emisit: *Kurtzgefaste curieuse Historie der Gelehrten, darinnen von der Geburt, Erziehung, Sitten, Fatis, Schriften* caet. *gelehrter Leute gehandelt wird.* Libro I. de pueritia eruditorum; lib. II. de doctis adolescentibus; libri III. Parte prima de temperamentis, Parte altera de delectationibus, Parte tertia de coniugio, Parte quarta de felicitate, Parte quinta de aduersa fortuna, Parte sexta de religione, Parte octaua de doctrina et libris, nona tandem de muneribus eruditorum; libro autem IV. de morbis eorundem et obitu verba facit. Omnes hi libri in Capita singularia sunt diuisi, quae nimis longum foret recensere. Multam sane industriam adhibuit Auctor ad haec talia vnum in Volumen redigenda; caute tamen legendus, quoniam non semper ex fontibus liquidis hausit, praetereaque passim in errores incidit, Micrologiae litterariae copia obrutus. Eiusdem est, imo passim vilioris, farinae libellus, qui *Vitemb. ann.* 1728. *in 8.* ANTONIO MVSA, ignoto mihi, ni fallor, pseudonymo Auctore, lucem adspexit. Eruditorum cum virtutes, tum vitia memorat, singularia item fata eorum, Parauicini exemplo, percensere studet ordine alphabetico, cuius conatus specimina quaedam legas, si placet, in *Actis Erud. Lat. a.* 1729. *p.* 414. Neque tamen satis feliciter, quae susceperat peragenda, exsequutus est. Non sine caussa profecto in *Journal des Savans m. Septembri anni* 1729. *art.* 2. adseritur, vulgaria effundere Musam plerumque, eademque non semper fide digna. Haud mitiorem sententiam dixit

REIMMANNVS *Catal. Bibl. Tomo II. p. 524.* En! eius verba nonnulla: *In eadem cum Crenio, et tenaciore interdum, baeret pice. Vnum nomen bis, ter et quater repetit, idque in vna eademque interdum pagina, vt Baronii, Scaligeri, Passeratii, Baelii caet. Nec singularia sunt pleraque, quae apponit, sed communia, et vulgaria, et proletaria: ad rem etiam litterariam quandoque vel nihil attinentia, vel parum. Et si quae sunt, quae singularitatis habent speciem, ea sunt perpauca.* In THEODOR. CRVSII *Vergnüg. müssiger Stunden* saepenumero inueniuntur *Anmerckungen von seltsamen Begebnissen gelehrter Leute, und deren Schriften*, veluti *Parte I. p. 55. Parte II. p. 107. Parte IV. p. 71. Parte V. p. 95. sq.* et sic plures caeteris Partibus vsque ad tertiam ac decimam, sola excepta nona, insertae fuerunt. Varia exinde cognosci possunt ad eruditorum historiam omnino pertinentia. GOTTL. AVG. IENICHEN Epistola, *Singularia de viginti Viris doctis* continens, et *Lips. a.* 1728. *in 4.* edita, primum est periculum in litteris, quod fecerat tunc temporis Auctor; ideoque facile intelligitur, quo sit in numero habendum scriptum adolescentuli. Interim non potuit temperare sibi celeberrimus Ienichenius, quin illud ipsum Lipsiensi *Epistolarum Maiansianarum* editioni *pag. 386. sq.* adiiceret. NEMEITZIVS pariter in *den vernünftigen Gedancken, Parte VI. p. 95. sq.* proposuit *einige Brocken aus der gelehrten Historie, die Gelehrte betreffend*, inter quae frusta sunt passim singularia de eruditis. Praemissis hisce, quaedam subnectere lubet, ad varios doctorum hominum Ordines sigillatim referenda. *Nobilium Theologorum Bibliothecam* REINH. HENR. ROLLIVS *Rostoch. a.* 1709. *in 8.* diuulgauit: IOH. GE. MEINTELIVS autem *Theologum*

logum Philiatrum, siue Medicinae amantem, primum rationibus idoneis defensum, tum vero ex Historia litteraria antiquiori pariter ac recentiori illustratum, Norimb. a. 1717. *ead. forma*, de quo tamen leui Opusculo vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1718. *p.* 221. Faciunt huc porro scripta sequentia, scilicet SAM. THEOD. SCHMIDII Dissert. *de Theologis in vtero Deo consecratis, Lips.* 1707. GE. HENR. GOETZII *Theologus semisaecularis, Lubecae* 1709. *in* 4. IOH. CHR. BLVMII *Iubilaeum Theologorum emeritorum, siue de Theologis, per X. lustra publico officio functis, Lips. a.* 1710. *in* 8; IO. GE. LEVCKFELD *historische Nachricht von* 79. *gelehrten Männern, und berühmten Theologen, welche das* 80. *bis* 90. *Iahr ihres Alters erlebet haben, Groeningae* (in Principatu Halberstadiensi) *a.* 1723. *in* 4; GOETZII Diss. II. *de Theologis, sub auspiciis nouorum officiorum demortuis, Lubecae* 1708. *in* 4; TRAVG. IMMAN. IERICHOVIVS *de Theologis, in actu sacro et statione sua mortuis, Gorlicii* 1724. 4; IOH. HENR. STOLTENBERG Epistola *de claris Ictis, qui in ipso iuuentutis flore praeclaram sui nominis famam consequuti sunt, Ienae* 1714. *in* 4; IOH. GEORG. IOCHII Progr. *de meritis Ictorum, speciatim* IAC. GOTHOFREDI, *in Historiam ecclesiasticam, Erford.* 1712. *in* 4; GOTTL. FRID. GVDII *de Ictorum et Politicorum in Scripturam sacram meritis critico-exegeticis*, Dissert. litteraria, *Lips.* 1729. *in* 4, praemissa deinde auctior et comtior IOH. GVIL. HOFFMANNI *Vitae, ibid.* 1742. *ead. forma;* CHRIST. BENED. CARPZOVII Dissert. *de Medicis, ab Ecclesia pro sanctis habitis, ibid.* 1709. *in* 4; IOH. HENR. VON SEELEN Dissert. *de Medicorum meritis in sacram Scripturam, Lubecae* 1719. *in* 4. et in eiusdem *Meditat. exegeticis, Parte II. num.* 22; IAC. BVRCKHARDI *Medicus grauissimus humanitatis studiorum vindex, ex Historia litteraria adumbratus, Wolfenb.* 1716.

1716. *in 8*, ad quem libellum commendabilem IOH. CHR. LEVSCHNERVS *Hirschbergae a.* 1756. *in 4.* *Analectorum* Specimen I. dedit, cui, nescio, an adhuc plura successerint; THOMAE BARTHOLINI *de Medicis Poetis* Dissertatio, *Hafniae a.* 1669. *in 8*; ANDR. WESTPHALII Progr. *de Philosophorum honoribus*, *Gryphisw.* 1737. *in 4.* cuius adcurata in *Actis Academicis Lipsiensibus anni* 1737. *p.* 77. *sq.* recensio exstat; GE. GVIL. OVERKAMPF Diss. *de vestitu, praecipue pallio, veterum Philosophorum*, *Ienae* 1733. *in 4*; FRID. GOTTH. FREYTAGII *Oratorum et Rhetorum Graecorum, quibus statuae honoris caussa positae fuerunt*, *Decas*, *Lips.* 1752. *in 8.* Singularem quandam rem, quae vitam eruditorum ac studia distinxit, non defuerunt etiam, qui scriptura persequerentur. Hac in classe reponi debent *eruditi praecocis ingenii*, *Principes litterati*, *feminae eruditae*, *rustici*, *mercatores*que *eruditi*, de quibus copiose actum *Tomo I. huius Bibliothecae*, *Cap. V.* §. *6. p. 645.* et §. *16. p.* 708. *sq*; GE. PAVL. ROETENBECCIVS περὶ τῶν Αὐτοδιδάκτων *Altorf.* 1704, quod argumentum vero leui brachio, et moraliter magis, quam historice, tractauit Auctor: ELIAE SILBERRAD Diss. περὶ τῶν Αὐτοδιδάκτων *Ienae* 1709, vbi Sectio prior Onomatologiam tradit, Sect. altera historica est, tertia vero dogmatica: REINH. HENR. ROLLII Programma *de Autodidactis Tremoniae a.* 1711. *in 4.* quod passim auctum atque mutatum inseruit postea *Miscellan. Lips. Pezoldianis*, *Tomo V. p.* 213. ac *Tomo XI. p.* 232. *sq. ibidem*que *p.* 251. nouam promisit, in *Tomo XII.* exhibendam, huius argumenti Obseruationem, quae tamen haud accessit: IAC. GVIL. FEVERLINI Dissert. logico-historica *de eruditis sine praeceptore*, *Altorf.* 1716. quo in libello paullo adcuratius designat Αὐτοδιδάκτων classes, atque hac oc-

casione quosdam ex eorum numero eiicit, qui tales sibi aliisque videbantur: et praecipue GEORG. LVDOV. GOLDNERVS, a quo habemus, post *Prodromum Bibliothecae Αὐτοδιδάκτων selectae, Gerae a.* 1713. *in* 4. emissum, *Selectae Autodidactorum Bibliothecae, Ordinis I. qui Theologos exhibet*, Exercitationes *octo, a. 1713.* et *1714. Ordinis II, qui Politicos et Ictos repraesentat*, Exercitationes itidem *octo*, *1715.* et *1716. Ordinis III, qui Medicos complectitur*, Exercitationes *quinque, a. 1716.* et *1717. Ordinis IV, qui Philosophis consecratus*, Exercitationes *nouem, ab a. 1717.* vsque ad *a. 1724. Ordinis V. Philologos proponentis*, Exercitationes *vndecim, ab a. 1724.* vsque ad *a. 1727.* porro *Bibliothecae* Αὐτοδιδάκτων Supplementa *duo*, 1729. ac denique *Ordinis*, seu *Classis VI, quae homines inferioris sortis recenset, qui varias linguas et artes sine doctore animo complexi sunt*, Exercitationes *vnicam, ibidem a. 1731. in 4.* Ita haec omnia scripta Goldneriana memorantur in *Catalogo Bibl. Bunav. Tomo I. Vol. 1. p.* 530. Sed pauciores, opinor, erunt, quorum in manibus eadem versantur. Itaque vellem, vt Vir quidam doctus de colligendis iis, vnoque Volumine recudendis, cogitaret, id quod nemo posset minori praestare negotio praeter clarissimum HAVPTMANNVM, Auctoris Collegam, meumque Commilitionem olim, qui iam *anno* 1742. aliquot in forma maiori plagulis *Vitam* exposuit GOLDNERI, cum *Catalogo scriptorum*, ab eodem relictorum. His adiungo HENR. BONICK Exercit. historicam *de* Ἀβίβλοις, *seu eruditis sine libris, Lips. a.* 1693. *in* 4; DAN. GVIL. MOLLERI Dissertat. *de Opsimathia, Altorf. a.* 1694, SEBAST. KORTHOLTI Diss. *de studio senili, Kilonii* 1701, et PETRI ADOLPHI BOYSEN Sched. Epistolicum *de Viris eruditis, qui sero ad litteras admissi magnos in studiis fecerunt*

progres-

progressus, Vitemb. a. 1711. *in 4*; IOH. CAR. CONR. OELRICHS V. C. Commentationem *de duorum ac trium, et quidem superiorum, atque omnium Facultatum Doctoribus Rostoch. a.* 1758. *in 8.* non sine doctrinae adparatu editam; IOH. PAVLI GVMPRECHTI Schediasma *de* Πολυτεκνίᾳ *eruditorum, seu de copiosa litteratorum sobole, Lips.* 1717. *in 4*; IRENAEI CARPENTERII, i. e. GODOFR. WAGNERI, *Schediasmata varia de eruditis coelibibus, cum scriptis variorum eiusdem prope argumenti, Vitemb.* 1717. *in 8,* qui titulus vniuersalis praefixus tunc est Collectioni vulgari, quandoquidem Auctor mediocris doctrinae ac iudicii iam *anno* 1714. *Centuriam eruditorum coelibum tum a.* 1715. *Semicenturiam nouam, anno* tandem 1717. *Semicenturiam nouissimam* corrasferat; CHR. GVIL. LOEBERI Diss. *de eruditis militibus, Ienae an.* 1708. cui addere plures destinauerat Auctor, GODOFR. WAGNERI Diss. tres *de Viris Arte et Marte claris, Vitemb. a.* 1714. et 1715. ac potissimum MENCKENIORVM, Patris et Filii, *Bibliothecam Virorum, militia aeque ac scriptis illustrium, Lips.* 1734. *in 8,* qui liber elegans, caeterisque huius generis longe anteferendus, fundamentum suum debet IOH. BVRCH. MENCKENII Dissertationi, *ibidem a.* 1708. in cathedram Academicam productae, *de Viris militia aeque ac scriptis illustribus*, et ex monumentis fide dignissimis, ordine alphabetico, complures veteres atque recentiores continet, Martis ac Musarum studiis celebratos; eiusdem Auctoris Programma *de his, qui mercede conducti, ad componendos Commentarios historicos animum adpulerunt, ibidem* 1721. atque in *Dissertationibus* eius *litterariis p.* 124. *sq*; GE. FRID. NEVMANNI *de eruditis, qui patriam suam nonnunquam obscuram nobilitarunt*, Epistolam, *Lips.* 1707. *in* 4. et GOTTL. AVG. IENICHEN Commentat. *de doctis, qui, extra patriam,*

patriam inuenerunt, ibid. 1729. *in 4.* atque *Epistolarum Maianfianarum p.* 397. *sq*; CHRIST. WEISII Differt. *de spuriis in Ecclesia et re litteraria claris, ibidem 1693.* recusam *Vitemb.* 1735. *in* 4; IOH. FRID. SOMMERLATTE *de eruditis, singularis cuiusdam libri amatoribus* Differt. duas *Lipf.* 1715. et 1716. itemque LVDOV. SCHVLTZ Diff. Epistolarem *de eruditorum deliciis in libro quodam singulari*, *Rostoch. 1723. in 4*; IOH. GE. MARTII Differt. *de fuga litteratorum*, *ob singularia diuinae prouidentiae documenta memorabili*, *Lipf.* 1705. *in* 4; CASP. HENR. STARCKII Tractatum *de doctorum vita priuata*, *quam honoribus quidam et officiis publicis praetulerunt*, *Lubecae 1708. in 4*; MICH. FRID. QVADII Differt. *de viris statura paruis*, *eruditione magnis*, *Gryphisw.* 1706. *in* 4; quod etiam argumentum paucis attigit IOH. BVRCH. MENCKENIVS in Progr. *de statura humana, num nostra aetate multum a pristina proceritate defecerit?* *Lipf.* 1722. et inter *Differtationes litterarias p. 159. sq*; itemque HEVMANNVS *Poeciles Tomo II. p. 559. sq.* in Progr. *de Macromicris, seu magnis non magnis*; DAN. FRID. IANI Obferuationes *de eruditis mortem sibi praesagientibus*, in *Miscellaneor. Lipf. Pezoldianor. Tomo II. p. 635.* ac *Tomo X. p. 63. sq.* ordine alphabetico complura exhibentes exempla; REINH. HENRIC. ROLLII Schediafma *de eruditis, climacterico maximo denatis, Rostoch.* 1707. *in* 4; THEOD. CRVSII Sched. *de die natali, Viris insignibus et eruditis emortuali, Vratislav.* 1708. *in* 4. et, Germanice redditum auctius in *der Vergnügung müssiger Stunden P. II. p. 19. sq*, nec non FRID. PETRI TACKII Differt. Epistolicam *de eruditis*, *quibus dies natalis fuit fatalis et vltimus*, *Gottingae* 1736. *in* 4; vt plura praetermittam: nec enim placet, in rebus minimis plerumque, esse diutius diligentem, praecipue, quum, quod olim dulcissi-

cissimum fuerat eruditis, id hodie tantum non omnes suauiter rideant. Imo factum hoc iam pridem a BVDDEO atque GVNDLINGIO, magnae auctoritatis in Republica litteraria hominibus. Ille *Isagoges ad Theologiam vniuersam. libro priori cap. 4. p. 181. eo iam deuentum est*, inquit, *vt non nulli egregii quid se praestitisse putent, si Opus aliquod historicum de eruditis, qui phtisi, aut hydrope, laborauerint, aut fumo Tabaci vsi sint, similibusque componant:* huius autem *im Discours über den Heumannischen Conspectum, Tomo I. p.* 56. sunt verba, quae sequuntur: *mich wundert dabey, daſs nicht auch einige von Gelehrten geschrieben haben, die gerne Stockfisch gegessen.* Adeo tenuit insanabile multos scribendi Cacoëthes, Cf. *der Neue Bücher-Saal der gelehrten Welt, Vol. I. p. 829.* Id vnum adhuc monendum esse arbitror, male a nonnullis hoc loco mentionem iniici Dissertationis, *Halae a.* 1720. a IOH. GOTTL. DERLINGIO *de seruis litteratis* defensae. Quippe non agitur hoc scripto Academico de seruis eruditione claris, sed de ritu potius veterum, stigma inurendi seruis.

§. XX.

Ipsi etiam libri quum diuersa non nunquam fata habuerint, operae est pretium, nec id argumentum intactum relinquere. Dixit de hoc generatim non vulgaria IOH. GE. SCHELHORNIVS in *Singularibus de libris quibusdam*, quae docta Obseruatio legenda *Miscellan. Lips. Menckenianor. Vol. IV. p.* 670. *sq.* Libros promissos quidem, at non absolutos editosue, recensuit, (quem aliquando data opera describere voluisse *varia librorum fata*, indicat *die gelehrte Fama, Vol. I. p.* 358.) THEODOR. IANSSON. AB ALMELOVEEN in *Bibliotheca promissa et latente*, ordine

ordine litterarum adornata, cui subiunguntur GE. HIERON. VELSCHII *de scriptis ineditis Epistolae*. Prodiit; libellus *Goudae anno* 1692. *in 8.* nec tamen est sine naeuis, vti quidem candide aperitur in *Actis Erud. Lat. a.* 1692. *p.* 300. Tales itidem occurunt passim in RVDOLPHI MART. MEELFÜHRERI *Accessionibus ad Almelouenianam Bibliothecam*, quae *Norimb. et Lips. a. 1699. eadem forma* lucem adspexere. Cf. de iisdem *Acta Erud. a.* 1699. *p.* 359. *sq.* Nouorum Supplementorum non nihil suppeditauit MATTHIAS LOBETANTZ in Obseruat. singulari *de scriptis eruditorum promissis*, inserta *Miscell. Lips. Pezold. Tomo VII. p.* 110. *sq.* IOH. CHRIST. ERNESTI Diss. duas *de cunctatione eruditorum in componendis libris*, *Vitemb. a.* 1717. *in 4.* et IOH. PHIL. SCHMIDII *Foetus eruditorum*, *difficili partu notabiles*, seu Comment. hist. litterariam *de scriptis eruditorum*, *in quorum elaboratione Auctores multum temporis consumserunt*, *Rostoch. a.* 1724. *in 8.* supra iam attuli *Tomo I. cap. 5.* §. 5. De libris suppositis legendus IOH. HENR. HOTTINGERI *Elenchus*, *seu Catalogus scriptorum suppositītiorum*, in eiusdem *Dissertat. miscellanearum Pentade*, *Tiguri* 1654. *in 8. p.* 37. *sq.* et IOH. RHODII *Catalogus Auctorum suppositītiorum*, cum adnotationibus, in Opere Placciano *de Anonymis et Pseudonymis*. *De caussis suppositorum librorum in Christianos saeculi I. et II.* eleganti Dissertatione IOH. LAVR. MOSHEMIVS egit, edita *Helmstad. a.* 1725. auctiusque et emendatius recusa in *Dissert. ad Histor. eccles. pertinentibus*, *Vol. I. p.* 217. *sq.* POLYCARP. vero LYSERVS, Polyhistor quondam in Academia Iulia, *Vindicias generales Scriptorum*, *qui vulgo suppositītii habentur*, parauit ac *Vitemb. a.* 1715. *in 4.* emisit, Dissertatione tamen paucorum foliorum. Libri corrupti ac deprauati cognoscuntur ex Disputatione CASP. LOESCHERI *de latrociniis*, *quae in publicos Scriptores*, *Patres*

Patres praecipue, solent committere haeretici, *Martisb.* 1674. *in* 4; ex ALB. HENR. DEVTSCHMANNI Disput. historica *de prauationibus librorum*, *potissimum recentioribus*, *Vitemb.* 1693. *in* 4; et ex IOH. CHRISTOPH. WENDLERI Schediasmate *de libris a Pontificiis*, *aliisque haereticis*, *in praeiudicium doctrinae purioris*, *nostra et superiori aetate suppressis et corruptis*, quod ad DANIEL. FRANCI *Indices libr. prohibitorum*, et LOESCHERI Disputationem laudatam Supplementa porrigit, ita vero comparata, vt multa sint praetermissa necessaria, multa inserta, quae sunt aliena plane ab instituto. *Castrationes librorum* attingit quoque et exemplis confirmat HEVMANNVS in *Consp. Reipubl. litter. Cap. VI.* §. 19. *sq. p. m.* 342. qui liber facile potest euolui. *De variis poenis*, *in libros statutis*, lectu dignum occurrit IOH. GE. SCHELHORNII Schediasma historico-litterarium *Amoenitat. litterar. Tomo VIII. p.* 338. *sq.* vbi memorantur libri proscripti et stigmate notati, ad aeternam captiuitatem damnati, mutilati vel patibulo adfixi, discerpti, aquis cloacisue iniecti, vel flammis deleti. Idem recenset *l. c. Tomo II. p.* 341-399. varios *libros vel pulica auctoritate, vel a priuatis, vel ab ipsis Auctoribus Editoribusue suppressos.* MICHAEL. PICCARTI *librorum mors ignis* breuis est Commentatio, quae legenda in eius *Obseruationum historico-politicarum*, *Norimb.* 1652. 8. *Decade VII. cap.* 10. *p.* 59. *sq.* ANDR. WESTPHALIVS *Sedini anno* 1709. et 1710. *in* 8. Epistolas duas *de libris auctoritate publica combustis* typis curauit imprimendas, ex quibus deinde *Gryphisw. a.* 1713. in 4. coaluit integra *Centuria librorum publica auctoritate combustorum.* Quum autem complures ab Auctore neglecti essent, amplum laudatus SCHELHORNIVS spicilegium instituit *l. c. Tomo VIII. artic.* 6. *p.* 463. *Tomo IX. artic.* 1. *p.* 651. et *artic.* 2. *p.* 752.

p. 752. *sq.* qui postremus locus *Analecta* exhibet ad Dissertationes binas priores *de libris combustis.* Iam antea etiam *Tomi VII. Differt. secunda* pertractatum est hoc argumentum ab eodem; commemorat quippe Bibliothecas incendio absumtas, libros, cum primis haereticos, iussu superiorum, Vulcano consecratos, nec non tales, qui ab Auctoribus ipsis, vel sponte, vel inuite, illati in ignem fuerunt. *De combustione librorum haereticorum* FRID. GVIL. SCHÜTZII Differt. duae exstant, quarum prior, IOH. SCHMIDIO praeside, *Lips.* 1696. altera 1697. prodiit. REIMMANNVS in *Catal. Bibl. suae To II. p.* 411. commendat priorem potissimum, ob elegantiam et copiam variae eruditionis historicae, Auctoremque non de haereticorum tantum libris, sed etiam de aliis, quocunque casu igne absumtis, praeclare differere adfirmat. *De incensione librorum Iuris antiquorum, Iustiniano ac Triboniano adficta*, eleganti egit IOH. GODOFR. SCHAVMBVRGIVS Programmate, quod *Rintelii a.* 1734. *in 4.* excusum, tum *Commentario* ipsius *de Constitutionibus Imperatorum antiquis, Lemgov.* 1735. *eadem forma* diuulgato, *p.* 178. *sq.* fuit insertum. Caeterum REIMMANNVS *l. c.* optat, vt aliquis integrum Systema historicum de libris igne combustis concinnare velit, theologicis nimirum, iuridicis, medicis, philosophicis, philologicis, historicis, caet. Quod olim est meditatus quidem IOH. LAVR. MOSHEMIVS, sed postea abiecit. Vid. *Acta Erud. Lat. anni* 1743. *p.* 405. et Praefatio Viri summi, praefixa *dem anderweitigen Versuch der Ketzer-Geschichte*, vbi hac de re vberius verba fecit. Nec publicam adspexit lucem Galli cuiusdam *Bibliotheca Vulcani*, cuius iniicitur mentio in *den Leipziger gelehrt. Zeit. a.* 1728. p. 865. Aliquo abhinc tempore in componenda *Bibliotheca Neptuni* occupatum fuisse Virum clarissimum, IOH. CAROL. CONRAD.

RAD. OELRICHS, docet ipsius Praefatio, quae *Catalogum Bibliothecae Perardinae* ornat, *p.* 27. *nota* 15. Ibidem quoque *p.* 31. *sq.* iucunde differit Auctor industrius de nouo argumento, et ab aliis nondum pertractato, *de libris* nimirum *comestis*, seu iis, quos ipsi Scriptores, poenae caussa, comedere coacti fuerunt. GE. HENR. GOETZII *Krancken-Bibliothec*, *Rudolst.* 1705. *in* 4. eiusdemque *Todten-Bibliothec*, *Pars I. Hamb.* 1704. *Pars II. Lubecae* 1704. *Pars III. ibidem* 1707. *in* 4. eos complectitur libros, quos vel aegrotantes habuerunt in deliciis, vel mortui secum sepulchro intulere. Summa horum Opusculorum Capita inueniuntur in *Nouis litterar. maris Balth. a.* 1705. *m. Iunio p.* 187. *a.* 1704. *m. Martio p.* 96. et *a.* 1705. *m. Iunio p.* 186. *sq. Libros*, *Auctoribus suis fatales*, in Diss. Academica memorauit *Vitemb. a.* 1728. IOH. CHRIST. KLOTZIVS. Ornamenta librorum, apud veteres vsitata, CHR. GOTTLIEB SCHWARZIVS Dissertationibus IV. exposuit, quarum prima *Lips. a.* 1705. altera *ibid. a.* 1706. tertia *Altorfii a.* 1711. quarta *ibidem* 1716. prodiit. Accessere aliquot tabulae aeri incisae. Abundat hic labor elegantioris doctrinae adparatu: breue contra scriptum est *de ornatu librorum*, quod in ERN. SALOM. CYPRIANI *Selectis Programmatibus*, *Coburgi* 1708. *in* 8. *p.* 40. *sq.* occurrit. *De ineptis librorum titulis* GE. TRINCKHVSII exstat Dissertatio *in* 4. *Gerae anno* 1668. euulgata, itemque clarissimi BIDERMANNI Progr. *de insolentia titulorum librariorum*, *Numburgi* 1743. *in* 4. DAN. FRID. IANVS *fata* depinxit *Dedicationum librorum* singulari Dissert. historica et litteraria *Vitemb. a.* 1718. cui adiungenda FRID. PETRI TACKII Commentatio *de Dedicationibus librorum*, *Guelpherb. a.* 1733. *in* 4. praecipue §. *XXVI. p.* 50. *sq.* et NEMEITZII Obseruatio *von Dedicationen*, *oder Zueignungs-Schriften*, *in den vernünftigen Gedancken P. II. p.* 95.

sq.

sq. Conferri meretur quoque Viri reuerendi, IOH. GE. WALCHII, Diatribe *de Dedicationibus librorum veterum Latinorum*, praemissa CELLARII *Epistolis Lips. a.* 1715. *in 8*. De Dedicationibus veteribusque *Praefationibus*, vbi librorum editiones repetitae fuerunt, seu bibliopolarum vitio, seu ob quascunque rationes alias, persaepe neglectis, varia congessit exempla THOMAS CRENIVS *Animaduers. philolog. et historic. Parte I.* ac II. vtroque loco statim sub initium. Imprecationes libris adscriptas cognoscere licet ex IOH. BVRCH. MENKENII Progr. *de diris imprecationibus, quas veteres libris, tabulis et monumentis adiecere, Lips.* 1706. *in f.* et *Dissertat. litterar. p.* 21. *sq*; ex LILIENTHALII Obseruat. *de Exorcismo litterario*, *Selector. histor. et litterar. Parte I. p.* 1. *sq*; ex GOTTLOB HENR. PIPPINGII Dissert. *de imprecationibus, libris adscriptis, Lips.* 1721; ex NEMEITZII Obseruatione *von den imprecationen der Alten in Büchern und Diplomatibus, Parte I. der Vernünft. Ged. p.* 139. *sq*; et ex Anonymi *historischen und moralischen Abhandlung von dem gelehrten Bücherfluche*, quod elegans Opusculum, quaedam a prioribus haud obseruata continens, cum Praefatione MOSHEMII *Halae M. a.* 1751. *in 8*. prelo exiit. Partis historicae Cap. II. potissimum hocce argumentum illustrat. *De minaci Bibliorum clausula* IOH. BALTH. BERNHOLDVS *Altorfii a.* 1725. speciatim egit Dissertatione docta. Varias *librorum editiones ac translationes* iam recensui *Tomo I. cap.* 5. §. 18. *p.* 724. *sq*. quibus ibidem dictis subiungo *Remarques de l' Auteur des Nouvelles de la Republique des Lettres sur les differentes Editions des livres*. Obuia est haec Obseruatio IAC. BERNARDI in *Nouvelles de la Rep. des Lettres anni* 1703. *m. Nov. p.* 519. *sq*. Hic etiam locum sibi vindicant *libri rari*, de quibus copiose disserui *l. c. Cap.* 5. §. 21.

et

et 22. *p.* 746. *sq.* Nec sileri debet commoda hac occasione singulare, quod subiit, fatum HENR. STEPHANI, typographi nobilissimi, *de origine mendorum* liber. Disputatum de hoc in vtramque partem ab eruditis. In VIGNEVL-MARVILLE *Melanges d'Histoire et de Litterat. Vol. II. p. m.* 317. adseritur, quod is non satis aestimari possit, dignusque sit ob nimiam raritatem, qui iterum excudatur. Suspecta haec vtique fuerunt STRVVIO; ideoque *Cap. V. de vsu Bibliothecarum* §. 21. sic scripsit olim: *Sed fateor, librum me nunquam vidisse, imo plane dubitare, an vnquam editus sit. Nec enim in Bibliothecarum catalogis, nec etiam in catalogo librorum excusorum Henr. Stephani continetur. Imo Almeloveen de Vitis Stephanorum p.* 39. *ait:* libros de mendorum origine, et encomium artis equestris, quod composuerat, vel ipso fatente non euulgauit. *Ipse Stephanus in Dedicatione ad Thom. Rhedigerum, Commentario de idiomate linguae Atticae praefixa, cum dixisset, quam periculosa sit dialectorum ignoratio, tandem addit:* Sed de his latius in meo de mendorum origine opere, cuius specimen aliquod iam pridem exhibui. *Specimen itaque saltim se edidisse dixit, quod nullum aliud esse puto, quam ipsius dialogum de bene instituendis Graecae linguae studiis 1587. 4. in quo multorum errorum in Graecis litteris originem arguit. Liceat ergo hoc inter Maruillii errores numerare, vsque dum aliud demonstratum fuerit.* Hactenus Struuius, quem COLERVS in *Analectis suis* dubitare sine iusta caussa putat, an liber hic vnquam prodierit in lucem. Ipsum enim STEPHANVM in *Epistola de suae typographiae statu*, apud MATTAIRIVM in *Vitis Stephanorum p.* 305. ita scribere: *Quem olim pollicitus de origine mendorum librum, aliquando tandem et ipsum in lucem prodire*

prodire finam: et HONORIVM DE S. MARIA in suis *Reflexions sur les regles et sur l'usage de la Critique p. 7.* testem esse, quod exstet hic libellus, et quod sit libellus paruulus. Profecit Colerus ex HEVMANNI *Consp. Reip. litter. Cap. VI. §. 30. p. m.* 367. qui tamen Vir doctus mutauit in editionibus recentissimis sententiam, quam verbis expressit sequentibus: *Edidit quidem* STEPHANVS Castigationes plurimorum Ciceronis locorum, *in eiusque libelli fine exempla variorum in Cicerone mendorum, et eorum caussas, recensuit. Sed aliud, et quidem longe maius, Opus esse, quod* de origine mendorum *composuerat, clarissime docetur in* Kohlii Nouis litterariis anni 1738. *p.* 34. *Quare nunc tandem assentior* Struuio, *nondum editum esse hunc librum, vehementer optans, vt e suis tenebris aliquando in lucem proferatur artis criticae cultoribus futurus vtilissimus.*

§. XXI.

Nec male ad statum rei litterariae et Scriptorum noscendum referuntur Lexica, quae realia dicuntur vulgo et historica. Inter haec primus locus tribuendus SVIDAE Lexico, de quo actum iam *superiori Capite §. XXXV.* Philologos quosdam Cantabrigienses inde a pluribus annis nouam parare Operis huius vtilissimi editionem, KAHLIVS testatur in *Bibliotheca philosophica Struuiana Tomo I. cap. 1. §. 3. p.* 10. Sed nondum de felici conatus successu facti sumus certiores. Post Suidam CAROLI STEPHANI (de quo vid. MATAIRIVS in *Vitis Stephan. Tomo I. p.* 164. *sq. et* MENAGIVS in *Anti-Baillet, Tomi VII. Parte I.* Operis Bailletani, *Jugemens des Savans inscripti, p.* 201. *sq. edit. Amstael.*) *Dictionarium historicum, geographicum, poeticum* innotuit. A NICOL. LLOYDIO interpolatum auctumque insigniter,

ter, prodiit *Oxonii anno* 1671. et pulcherrime *Londini a.* 1686. *in f.* Quamquam enim ne sic quidem omnibus est numeris absolutum, inter Lexica tamen recentiora primum illud esse, iam adfirmatur in *Polyhist. Morhofiano, Tomo III. lib. 4. p. m.* 510. quo etiam loco de REINESII in hocce Opus lucubrationibus, nondum editis, sermo est. Caeterum neque id silentio debet praetermitti, AMAR. RANCONETVM, Stephanianae officinae Correctorem, auctorem dici potius, quam ipsum Stephanum, qua de re vid. *Patiniana p.* 115. IOECHERI *Gelebrten-Lexicon* v. Ranconetus, et *Acta Erud. Lat. a.* 1704. *p.* 463. *in fine.* Subsequutum est IOH. IAC. HOFMANNI, Historici Heluetici, *Lexicon vniuersale historicum, geographicum, philologicum, litterarium, physicum.* Amplissimus est titulus, quem hic in epitomen redegi. Opus, ordine alphabetico compositum, in Geographicis maximam quidem partem eminet, multa tamen de Scriptoribus quoque complectitur, quamuis non vbique satis adcurata. Primum illud *Basileae a.* 1677. *in f.* Tomis II. excusum: ac deinde additi sunt *ibidem a.* 1683. *Continuationis* alii Tomi II. Turpi Auctor auaritia stimulatus noua mox parauit Supplementa, contendens a librario, vt, pretio pro iisdem soluto, Lexicon hoc iterum prelo subiiceret. Negauit is ante descendere se ad oblatas conditiones posse, donec prioris editionis exemplaria, quorum non exiguus superfit numerus, diuendita essent. Hofmannus autem, longae morae impatiens, pactionem fecit cum bibliopola Belgico, Ioh. Iac. Hackio, de Lexico vniuersali recudendo vberrimis accessionibus locupletiore. Hac ratione luci hoc expositum *Lugd. Bat. a.* 1698. *in f.* Tomis IV. quae nunc est optima editio. Vt interim librario Basileensi faceret satis, noua ipsi pollicebatur Supplementa,

quae tamen nunquam typis fuere impressa. Omnia haec fraudulenter ab Auctore acta memorantur in HENR. DE ROVVIERE *Voyage du Tour de la France*, *à Paris* 1713. *in 8. Epistola II. p.* 61. *sq.* Maiori profecto adplausu exceptum est LVDOV. MORERII *Grand Dictionaire historique*, quod, si primam editionem, *Lugduni anno* 1674. Volumine non nisi vno exhibitam, spectaueris, Hofmannianum aetate non nihil praecurrit. Destinauerat animo Morerius nouam editionem, Volumine alio auctiorem, quam tamen non vidit, *anno* demum 1681. *ibidem in f.* Tomis II. absolutam, ipso paullo ante, morte praematura, litteris erepto. Quoties tum recusum sit hocce Lexicon, lucubrationibus et accessionibus variorum doctissimorum Virorum emendatum et locupletatum, dici certe vix potest. Prodiit quippe *Paris. anno* 1683. et *Lugduni* 1688. cui editioni *Supplementum*, siue Volumen tertium, *Paris. a.* 1689. adiectum, quamquam in eodem multa sunt repetita, quae Morerius iam attulerat, ac saepius errores erroribus cumulantur. Architectum hoc Supplementum habet VSSANVM, Abbatem, atque alios. Sextam editionem curauit IOH. CLERICVS *Vltrai.* 1691. *Tomis IV.* et non solum ordine alphabetico suis locis inseruit Supplementum, sed errores etiam plures emendauit, non pauca item, quorum pleraque sunt vncis inclusa, subiunxit. Eidem debetur editio septima et octaua, quae correctior est prioribus, atque ea complectitur simul, quae in Morerio notauerat BAELIVS. Exhibita isthaec fuit *Amstael. a.* 1699. Eodem anno *Parisiis* aliam adornauit VAVLTIERIVS, qui Belgicas aliqua ex parte reprehendit, suamque caeteris omnibus praefert. Quumque Clericus in eiusdem editionis recensione atque censura, quam in BERNARDI *Nouvelles de la Rep. des Lettres m. Februario a.* 1700. *art.* 7. legimus, quid inter

inter Belgicas editiones et hanc Gallicam interſit, demonſtraſſet, mox Vaultierius euulgauit *Projet pour la correction du Dictionaire historique de* Moreri, *déja revû, corrigé et augmenté dans la derniere edition de Paris*, quo Schediaſmate ſe excuſat ob errores ipſi obiectos, ſcilicet quod recognitio Operis iam ab alio fuerit coepta, antequam ei demandaretur. Noua ſucceſſit Clerici editio *Amſtaelod.a.* 1702. quae continet complura quidem, antea non inſerta, ſed quae deſumta tantum fuere vel ex MEVRSII *Bibliotheca Graeca* vel *Proſopographia Codicis Theodoſiani*, vel *Actis Martyrum*, aliisque eiusmodi Collectaneis. Hoc autem ad ſextam editionem translatum eſt in linguam Anglicam, cura potiſſimum DE LA CROSE, *Londini* 1694. *in f.* Multa tamen ex Gallico praetermiſſa, aliis eorum loco intermixtis, quae ad ſtatum cum primis et Nobilitatem Britannicam ſpectant. Hinc *anno* 1702. Supplementum additum, quod videre non contigit; adſcribere interim licebit, quae BERNARDVS de eodem ſignificauit in *Nouvelles de la Republ. des Lettres m. Nov.* 1705. *p.* 571. En! verba ipſius: *Il y a déja quelque tems, que le Supplement de Moreri Anglois paroit. Ce Supplement eſt de la façon de Mr. Collier. Pour bien attendre ce, que c' eſt, il faut que Vous ſachiez, que lors qu'on traduiſit Moreri en Anglois, on ne prit que les Articles, qui paroiſſoient les plus eſſentiels, et qui regardoient les perſonnes les plus connües. Mr. Collier a donc trouvé encore de quoi glaner abondamment. Il a auſſi profité du Dictionaire de Mr. Bayle, et de quelques Ouvrages Anglois, qui contiennent la Vie des Savans de ce païs. Baudrand, Hofmann, Charles Etienne etc. lui ont auſſi ſervi. Mais il s' eſt moins mis en peine de corriger leurs fautes, que de les copier fidellement. En-*

core a-t-il fait quelques bévuës, faute d'entendre assez le François. Bien de gens ont été surpris, qu'en rapportant ce, qu'on trouve dans Moreri à l'Article Calvin et Calvinistes, il ait retranché les correctifs, que Mr. le Clerc y avoit mis, ces Articles étant tirez de Maimbourg, que l'on convaincu de mille mensonges sur cette matiere. Au reste Mr. Collier étant de ces Ecclesiastiques, qu'on nomme non jureurs, parcequ'ils ne veulent pas preter serment au Gouvernement présent, ni reconnoitre la justice de la derniére Revolution; il n'a poussé son Supplement, que jusqu' à l' année 1688. Vn autre l'a continué jusqu'à présent; mais de la maniére du monde la plus pitoyable. Il fait Mademoiselle de Scuderi femme de Mr. de Scuderi, son Frere. Haec de versione Moreriani Lexici Anglica. Alia Gallica *Parisiis anno* 1707. prelo exiit editio, de qua in *Actis Erud. Lat. anno* 1707. *m. Sept. p.* 426. haec memorantur: *Prodiit et nuper Parisiis noua Dictionarii Moreriani editio, quam Angelus* (le P. Ange) *Exprouincialis Ordinis Discalceatorum D. Augustini centum quinquaginta articulis auxit, qui et passim Opus suppleuit, quamquam, nulla eius mentione facta, huic quoque editioni Valterii* (Vautier) *nomen sit praepositum.* Eadem de editione in *Nouis litterariis Germaniae anno* 1707. *mense Martio p.* 77. sequentia occurrunt: *Anno 1707. ineunte denuo Parisiis in lucem prodiit lingua Gallica Ludov. Moreri Lexicon Historicum, curante P. Angelo Rafart, Exprouinciali Ordinis Augustinianorum Discalceatorum. Licet enim duas editiones posteriores a. 1699. et 1704. curasset N. Vaultier, caussarum patronus, adeoque ius nouae editionis ad ipsum quodammodo spectaret, idque quoque alii monerent, noluerunt tamen, diuenditis priorum exemplis, bibliopolae*

polae reditum peregre agentis exspectare, ideoque P. Angelo negotium hoc dederunt, qui et olim Vaultierium strenue adiuuerat. Huius etiam modestia factum est, vt Vaultierii nomen in ipsa Operis inscriptione sit retentum, licet is nihil prorsus ad locupletandam hanc editionem contulerit. Centum et quinquaginta capitibus haec prioribus auctior esse scribitur, non numeratis aliis quinquaginta, quae ita emendata, aucta et inuersa, vt aliam plane faciem praeferant. Referuntur in iisdem vita et res gestae Leopoldi, Romanorum Imperatoris, Ludouici M. Franciae Regis, ad annum vsque 1706. Caroli XII. Suecorum Monarchae: vt et alia de Cursoribus apostolicis, de Datariis, de Auditoribus Rotae, de Vicariis Pontificum, de Ordine equestri S. Ludouici, de Ordine Teutonico. Rerum genealogicarum aestimatores plura hic inuenient, quae in antecedentibus frustra quaesiuerint. Et quamquam fuerint, et adhuc sint, qui eas minus congrue in Lexico tradi existiment, eorum tamen opiniones iam antea Vaultierius confutauit. Nec forte quispiam negauerit, haec talia effecisse, vt tot millia exemplorum, breui satis aeuo, fuerint diuendita. Annus 1717. denuo protulit *Amstaelodami* Lexicon Morerianum, et sub idem tempus IAC. BERNARDI *Supplement aux anciens editions de Moreri in f.* Tomis II. lucem vidit. Vir ille doctus iam antea editiones Belgicas variis accessionibus ornauerat, quod factum etiam in iis editionibus, quae annum 1719. non excedunt, a LVDOV. ELLIES DV PIN. Hoc ipso *anno* 1719. *Hagae Comitum* Lexicon Morerii Tomis VI. recusum fuit, quo pariter anno LAVRENT. JOSSE LE CLERC, Clericus Lugdunensis, *Aureliae*, loco tamen non adiecto, emisit *Remarques sur differens articles du prémier Volume du Dictionnaire de Moreri*, addens

annis 1720. et 1721. *Remarques sur le second et troisième Volume.* Reliqua, obseruata ab ipso, typis non sunt impressa; nec edita facile occurrent in Germania, quoniam Auctoris impensa videntur prodiisse. Quae igitur hic legis, ea fide scripsi Lipsiensium in *den Gelehrt. Zeit. a.* 1737. *p.* 295. vbi praeter haec dicitur, Benedictini Ordinis hominem, cui MERRY nomen, *anno* 1720. diuulgasse *Discussion critique et theologique des Remarques de M. - - - sur le I. Vol. du Dictionnaire de Moreri*, seque, vt lateret, THOMAM DE LOUVAIN adpellasse. Redeo ad Lexicon Morerianum, quod exhibitum postea fuit *Amstaelod. a.* 1724. ac *Paris. a.* 1725. Tomis VI. quod Parisiense exemplar in primis debetur FRANC. IOSEPHO DE LA BARRE DE BEAVMARCHAIS, qui Chronologiam et Historiam veterem, vt et Geographiam emendandam sibi sumserat. Genealogica curae habuit VAILLY, caussarum patronus: et LAVR. JOSSE LE CLERC librum quinquies vel sexies mille locis adcuratiorem politioremque reddidit, (sine dubio hic sunt intelligendae Obseruationes Viri, modo adductae,) quod ex *Actis Erud. Latinis anni* 1729. *p.* 528. cognoui. Repetitum Opus, haud spernenda dote speciosius instructum, *Basileae anno* 1731. et *Paris.* 1732. itidem Tomis VI. Vltima haec editio, CLAVDII PETRI GOVIETI diligentia, amplius bis mille locis correcta maiora mox ornamenta accepit ab eodem: dedit quippe *ibidem a.* 1735. Tomis II. *in f. Supplement au grand Dictionnaire de* MORERI, variorum symbolis subleuatus. Sunt ii POCQVET DE LIVONIERE, RATTIER DE LA GVITONIERE, DV MABARET, laudatus LE CLERC, PONCETVS, DESMOLETS, et BAIZE', Viri doctissimi. Pictores atque Sculptores insignes collegit MARIETTE, filius; ea vero, quae ad Genealogiam pertinent, HOVXIVS DE LAVAV singulari studio

dio elaborauit. GALLYOTVS quoque, Censor regius, complures suppeditauit Obseruationes, iusto loco insertas. Gratissimum fuit hoc Supplementum iis, qui Lexici Moreriani editionem, annum 1725. praeferentem, possidebant, quoniam haec omnia in manus ipsis tradebantur, quibus editio anni 1732. emendata et aucta fuerat. Multa tamen adlata esse vel nullius, vel exigui certe, momenti, contendunt Collectores *Actor. Erud. Lat. a.* 1738. *p.* 569. qua occasione vnum alterumque notatur, haud omnino reticendum. Verba haec sunt: *Plerumque corriguntur errores typographici, vbi littera vel deest, vel abundat, vel transposita est, aut vbi commata et puncta superflua, vel omissa sunt. Non nunquam sola mutata adparet orthographia, et quae plura harum minutiarum sunt. Specimina ex Supplemento Lectores nostri haud exspectabunt. Ipsis potius confirmamus, varia in illo deprehendi memoratu digna, in primis, quae ad Historiam tum litterariam, tum ecclesiasticam, tum denique politicam, Galliae pertinent. Fontes citantur vbique limpidissimi. Quam vero diligentiam iis in locis, vbi de exteris, et praecipue Germanis, est sermo, ingenuus quisque desiderabit. Sed desiderabit etiam omissa varia, et errores passim non leues commissos, dolebit.* Speciminibus quibusdam hoc probatur, quo facto sic pergunt Collectores: *Neque ferendum videtur, Auctores huius Supplementi librorum inscriptiones fere semper sermone Gallico adduxisse, ne verbo quidem adiecto, vtrum libri Latino, an Germanico idiomate sint conscripti. Cui scripta illa ignota sunt, quo modo, quaesumus, vel diuinando hoc Lector assequi poterit?* Successit alia Operis Moreriani editio, quae ex Tomis VIII. constat, *Amstael. a.* 1740: porro *Paris. a.* 1742. coepta totidem Tomis, *in f.* ac Tomis XVI. *in 4.* vti quidem testantur *die Götting. gel. Zeit. anni* 1749. *p.* 304. GOVIETVS, antea laudatus, *ibidem* exhibuit *Nouveau Supplément*

au Dictionnaire de MORERI *a.* 1749. Tom. II. Vid. FORMEY *France littéraire p.* 194. Denique praestantissimam omnium editionem, opera DOCVETI *Paris. a.* 1759. Tomis X. *in fol.* esse adornatam, nuper annunciatum est. De Anglica versione supra iam actum. Italicam parasse Mainardum, typograghum Romanum, docent *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1729. *p.* 50. Sed quo res sit successu suscepta, comperire mihi non licuit. Haec fata fuere Lexici Moreriani, tot aliorum lucubrationibus ad maiorem semper perfectionis gradum producti. Nihilo tamen minus tritum illud sermone prouerbium: *magnus liber magnum malum*, de eodem potest non inepte vsurpari. In Genealogicis quidem reperiuntur complura bonae frugis, maxime si Historiam Galliae spectaueris; sed aliorum populorum, speciatim Germanorum, res et Genealogiae, vel sunt praetermissae, vel non digne satis propositae, et quae ex Historia litteraria interseruntur, ea passim adcuratiori examine indigent. Quam misera fuerit priorum editionum facies, vel ex verbis personati VIGNEVL-MARVILLE in *Melang. d' Histoire et de Litterat. Vol. I. p. m.* 284. adparet. Ita vero ille: *Pour un Dictionnaire comme celui de Moreri, il faudroit, que ce fût un parfait Philologue, qui y eût mis la main; un homme universel et consommé dans tant de choses différentes, dont il traite; qui eût toute sa matière devant lui, et qui sût faire selon les régles de la Critique un choix judicieux des Auteurs, et des matériaux, qu'il employe. Tout cela manque à Moreri. C'est un jeune homme, qui n'ayant aucun fonds, lit les livres à la hâte, sans goût et sans choix, qui jette sur le papier tout ce, que le hazard lui fait tomber sous les mains; et enfin qui copie fidélement les fautes des autres, et y ajoûte encore les siennes avec une extreme bonté. Quand il rencontre*

contre des Auteurs, qui s'épanchent sur des riens, il s'epanche avec eux; et quand il en trouve d' autres, qui ne s' expriment pas assez au long sur des matiéres importantes, il laisse avec eux ces matiéres suspenduës, n'ayant pas la force, ni la capacité, de supléer à leur defaut. Son Dictionnaire est un Ouvrage d' un très bon dessein, et d'une exécution très difficile, comme sont tous les Dictionnaires. Celui-ci est si mal exécuté, qu'il ne mérite ni l' aprobation des Savans, ni l' aplication de ceux, qui prétendent le devenir. Il n' est bon, que pour la bourgeoisie, à qui il ne tire pas à conséquence, de savoir les choses bien où mal. Aussi un Abbé illustre l' apelle par grande distinction le Dictionnaire Bourgeois. - - - *Mr. Menage a dit joliment de ce Dictionnaire, qu'il ne le lisoit pas; parcequ' ayant beaucoup de mémoire, il craignoit d'en retenir toutes les fautes.* Hactenus Auctor ille, quibus ab eo dictis addantur *Remarques critiques sur la nouvelle edition du Dictionnaire historique de Moreri donnée en 1704. avec une Préface et des Observations de Mr.* BAYLE, *pour servir d' instruction aux nouveaux Editeurs du Dictionnaire de Moreri*, qui libellus *Roterod. a.* 1706. *in* 4. auspiciis ipsius BAELII recusus, antea enim Parisiis prodierat, nunc Dictionario Baeliano accessit. In mea editione, *Amstael. a.* 1730. repetita, *Tomo IV. p.* 667. *sq.* conspicitur, cum nouis Petri DES MAIZEAVX notis in has Obseruationes criticas et MORERI Opus, *anno* 1725. emissum. Longe melius componere Lexicon vniuersale constituerat SAM. CHAPPVZEAV, ob religionem exul ex Gallia, qui *Cellis* in Ducatu Luneburgico *a.* 1694. *in fol.* consilii sui rationes cum eruditis communicauit libello sic inscripto: *Dessein d'un nouveaux Dictionaire historique, geographique, chronologique et philologique.* Tres

Tres Tomos maioris formae destinauerat labori, primumque se iam habere confectum, reliquis duobus materiam omnem paratam adesse, confirmabat. Pollicebatur subinde, operam se daturum, vt plurimos lapsus Morerianos ostenderet, multaque suppeditaret, quae vel ignorarit plane, vel studio partium abreptus neglexerit, vel minus recte memorauerit Morerius. Ad sextum tunc temporis et sexagesimum aetatis annum agens praeter hunc Prodromum nihil dedit Vir solertissimus. Cf. de instituto eius *Acta Erud. Lat. an.* 1694. *p.* 287. Idem tentauit, at feliciori vtique successu, PETRVS BAELIVS. Praemiserat, nomine occultato, *Roterodami a.* 1692. *in 8. Projet d'un Dictionaire critique à Mr. de Rondel, Professeur aux belles lettres à Mastricht.* Addebantur aliqua fragmenta, seu specimina, ex quibus Operis ratio cognosci adcuratius posset. Recensetur libellus in *Actis Erud. Lat. a.* 1692. *p.* 474. *sq.* Subiuncta postea fuit longa ad Rondelium Praefatio, cum aliis quibusdam, *Tomo vltimo* Dictionarii. Sperata vero conatus huius adprobatio ab eruditis frustra exspectabatur, voluerat enim errores Lexicorum historicorum, atque aliorum Scriptorum, notare potissimum: ideoque mutauit susceptum consilium Baelius, et latiores sibi fines terminosque statuit. Primum eiusdem *Dictionaire historique et critique* prodiit *Roterodami a.* 1697. Tomis II. *in fol.* Schedae prelo iam anno 1693. subiectae, sed paullo tardius excusae. Vix Tomus I. et aliqua secundi absoluta fuerant, quum illa ipsa iterum typothetae operam requirerent. Audiamus hac de re BAELIVM. *Il est vrai*, ait, *que plus de la moitié de l'Ouvrage a été imprimée deux fois, par la raison, que je vais vous dire. Quand on imprimoit le commencement de la Lettre P. M. Leers aiant cru, qu'il ne faisoit pas tirer assez d'exemplaires,*

res, vu les offres, qu'on lui faisoit de divers endroits pour traiter avec lui d'un certain nombre, resolut de faire tirer mille exemplaires de plus à l'avenir. Ainsi quand toute l'impression fut faite, il eut mille exemplaires de la Lettre P. en bas plus, que des Lettres précédentes. Il fallut donc, qu'il fit réimprimer depuis A. jusqu' à P. pour faire tirer encore mille exemplaires; mais on a suivi le prémier Imprimé, et je n'ai ni changé, ni corrigé, ni ajouté, que quelques petites bagatelles, en tres peu d'endroits: et à tout prendre les prémiers exemplaires sont préférables au mille derniers; parceque je n'ai revu aucune Epreuve de ceux-ci, et que par-là il y est resté un nombre infini de fautes d'impression. Vid. *Lettres de Mr.* BAYLE, *Tomo II. p. 660. edit. Amstaelod. a.* 1729. exhibitae. De recudendo statim Opere cogitabant Parisienses ac Lugdunenses librarii: quod antequam fieret, a Boucheratio, Cancellario Franciae, examinandi eiusdem negotium datum EVSEBIO RENAVDOTO, qui varia ibi latere adfirmauit sacris Pontificiis, Reipublicae bonisque moribus perniciosa. Caussam haec praebuere regio edicto, quo sancitum fuerat, ne Baelianus liber in tota Gallia venderetur. Interea temporis acceperat Petr. Jurieu, infestus maxime Auctori, Censuram Renaudoti, hac inscriptione *Roterodami a.* 1697. *in 4.* ab eo ipso luci expositam: *Jugement du Public, et particulierement de l'Abbé Renaudot, sur le Dictionaire critique du Sieur Bayle.* Quem ad libellum, passim ineptum, respondit Baelius in *Reflexions sur un Imprimé, qui a pour titre: Jugement du Public caet. ibidem eodemque anno in 4.* Legi hac de re merentur *Lettres de Mr.* BAYLE *l. c. p. 686.* ac DES MAIZEAVX *Vie de Bayle, ad a.* 1697. *p. m. 76.* Successit *Roterod. a.* 1702. altera Dictionarii editio, ab Auctore correcta et prope

prope dimidio locupletior reddita. Tres haec Tomos implet. Monitus quoque a Consistorio Ecclesiae Wallonicae, quae Roterodami est, deleuit antea licentius scripta, parcius tamen id fecit, si ea excipias, quae sub voce *David* legebantur, ad finem huius editionis nihilo minus adiecta. Conf. *Lettres de Mr.* BAYLE *Tomo II. p. m. 706. sq.* vbi in Epistola, iam *a.* 1698. *in 12.* separatim edita, de turbis propterea concitatis vberius disserit. Tomus III. varias habet Adpendices, Gallice itidem exaratas. Praeter ea nimirum, quae in priori exstant editione de libro Stephani Iunii Bruti, de libellis famosis, de Hippomane, ac de die, quatuor adhuc alia Opuscula, primum nunc euulgata, occurrunt, quibus ostendere studuit, sine caussa offensos non paucos fuisse iis, quae dicta erant de bonis moribus quorundam Atheorum, de obiectionibus Manichaeorum et Pyrrhoniorum, nec non iis, quae relata fuerant lingua liberiori de obscoenis moribus amatoriisue; quae verba sunt *Actorum Erud. Lat. anno* 1702. *p.* 437. Quamquam autem altera editio non vna de caussa praeferenda est priori, haec tamen non amisit pretium suum apud eruditos; quod facile credendum, si quis paullo ante dicta perpenderit. Tertia Baeliani Dictionarii editio, iam anno 1714. coepta, demum *anno* 1720. *Roterodami* Tomis IV. absoluta est, ex schedis Auctoris relictis, aliorumque Virorum doctorum, praecipue PROSPERI MARCHAND, studio admodum amplificata. Quarta *eodem anno Geneuae* producta Tomis III. sed adiecto anno 1715. locoque Roterodami. Addita prioris Roterodamensis editionis Supplementa *anno* 1722. fuere. Quinta, ad Roterodamensem tertiam adornata, exiit *Amstael. a.* 1730. Tomis IV. In hac omnia commixta sunt, quae antea probe separata erant, vt adeo nescia-

mus

mus, quid Baelio, quid aliis sit tribuendum. Ornamentum tamen nouum accepit eadem *Vita Baelii*, a DES MAIZEAVX Gallice composita. Sexta editio, non *Amstaelodami*, vt mentitur titulus, sed *Treuoltii* in typographia Iesuitarum *anno* 1734. totidem Tomis suscepta, parum habet elegantiae, nec satis est emendata per eos, qui mendorum tollendorum curam agere debebant. Septimam ad priorem anni 1730. librarii Amstaelodamenses et alii quidam *anno* 1740. octauam autem, et, quantum scio, postremam editionem Basileenses *anno* 1748. Tomis itidem IV. diuulgarunt. Duae quoque prostant versiones Anglicae. Prima *Londini a.* 1710. *in fol.* Tomis IV. ita inscripta prodiit: *An historical and Critical Dictionary by Mr.* BAYLE, *translated into English with many additions and corrections.* Sed minime haec est adcurata: nonnunquam enim Baelii mentem plane non intellexerunt interpretes; nonnunquam omiserunt integra loca, quod quidem BERNARDVS in *Nouvelles de la Republ. des Lettres m. Nov. a.* 1709. *p.* 596. sequentibus iam verbis indicauit: *On a remarqué, qu'on avoit retranché quelques endroits: mais comme on en a laissé plusieurs autres, bien aussi libres, que ceux la, on peut croire, que ces retranchemens sont plutôt accidentels, ou faits par quelque particulier, que de dessein premedité et de concert avec les libraires qui ne sauroient y gagner.* Praestantior est altera versio, quam *Londini* ab *anno* 1734. vsque ad *a.* 1741. Tomis X. *in fol.* protulere doctissimi quidam Britanni, nimirum IOH. PETR. BERNARDVS, THOMAS BIRCH, IOH. LOCKMANVS et alii, qui complura noua Supplementa, praecipue ad Historiam Angliae ciuilem ac litterariam spectantia, pararunt. GEORGIO SALE debentur, quae ex Historia Orientali inserta fuere. Accesserunt Indices tres, iique copiosissimi. Prior earum

rerum

rerum potiora, quae his locis, vbi exſtant, nemo facile quaeſiuerit: alter perſonarum ordine alphabetico Catalogum: tertius easdem, ſerie chronologica diſpoſitas, continet. Germanicam verſionem Baeliani Dictionarii *Lipſiae anno* 1741. et 1742. *in fol.* Tomis IV. ex celeberrima officina Breitkopſiana accepimus. Praeter ea omnia, quae poſtremae editioni Belgicae inſunt, GOTTSCHEDIVS, moderator inſtituti, addidit notas hiſtoricas criticasque, et interpretationem, ab aliis factam, ſtudioſe correxit. Interim non pauca irrepſerunt, quae virgulam cenſoriam merentur. Recenſionem Tomi I. legas, ſi placet, in *den zuverläſſigen Nachrichten, Vol. II. P. 17. p. 362. ſq.* Qua vero ratione poſſint nonnulla elimari, oſtendit reuerendus Vir, IOH. SAL. SEMLERVS, in *der Probe von Verbeſſerung einiger Fehler in der deutſchen Ausgabe des Bayliſchen Nahmens-Buches, Halae Magd.* 1748. *in 8.* De quo libello certiorem me fecit *die Berliniſche Bibliothec, Vol. II. P. 3. p. 430.* Nouiſſime prodiit IAC. GE. DE CHAVFEPIE' *Nouveau Dictionaire hiſtorique et critique, pour ſervir de Supplement, ou de Continuation à celui de Mr.* BAYLE. Tomus I. ac II. *Amſtael. a.* 1750. Tom. III. *anno* 1753. Tom. IV. isque vltimus, *anno* 1756. *in f. mai.* abſolutus eſt. Fundamenti loco doctiſſimus Auctor vſus fuit Supplementis Anglorum, quae in linguam Gallicam tranſtulit; at multa etiam emendauit, multa noua congeſſit, quae Operi eximio, et in Hiſtoria potiſſimum litteraria vtiliſſimo, plurimum gratiae conciliant. Merito igitur id laudatur in *Actis Erud. Lat. a.* 1754. *m. Dec. p.* 717. *ſeq.* Vides nunc, Lector beneuole, quanta cura elaborarint complures eruditorum, vt vel in maius eueheretur faſtigium perfectionis Baelianum Dictionarium, vel vſus eiusdem ingenti hominum multitudini facilior et expeditior eſſet. Variis id ipſum ſubie-

ſubiectum fuit iudiciis. Sane IOH. FRANC. BVDDEVS *Iſagoges in Theolog. vniuerſam p. 1805.* dubitat, num plus inde redundet damni, an emolumenti ad Lectores incautos, rerumque, de quibus agitur, non ſatis peritos, vel ea ſolum, quae voluptatem adferre poſſunt, captantes. Cf. REIMMANNVS in libello, qui inſcribitur: *Verſuch einer Critique über das Dictionaire hiſtorique et critique des Mr. Bayle, Halae Magd. a.* 1711. *in 8.* vbi partim de ſtilo Auctoris, ordine, ſummaque dicendorum, partim de Vita Ioh. Woweri ſententiam ſuam exponit. Praeter ſcriptum hoc Reimmannianum habemus etiam *Obſervations critiques ſur le Dictionaire de Mr.* BAYLE in *Bibliotheque Françoiſe Tomo XXIX. Parte 2. p. 185.* ac *Tomo XXX. Parte 1. p. 1. ſq.* cui Anonymo aliis oppoſuit *Remarques ſur les Obſervations critiques, ibidem Tomo XXXI. P. 2. p. 327. ſq;* MERLINI *Reflexions ſur les Articles d' Abdas, d' Abel, de Cain, d' Abraham, d' Abelard, de Berenger, et de Sara du Dictionaire de Mr.* BAYLE, in *Memoires de Trevoux anni* 1735. *p. 2590. anni* 1736. *p. 1591. anni* 1738. *p. 678. 821. 1601.* et 2236. *ſq; Bayle en petit, ou Anatomie de ſes Ouvrages*, ſine loci indicio, forte Pariſiis, *a.* 1737. *in 8.* de quibus Dialogis inter Doctorem Pontificium, librarium, et Abbatem, paſſim iniquiſſimis, vid. *Supplem. ad Noua Acta Erud. Tomo V. p.* 368. *ſq;* item IOH. CONRAD. FVESLINI *Diſſert. apologeticam pro Dauide, Hebraeorum Rege, aduerſus obtrectationes P. Baelii*, obuiam in *Tempe Heluetica Tomi IV. Sect. 4. p.* 581. *ſq.* Praecipue tamen contra Baelii Dictionarium ſurrexere Anonymus, i. e. LAVR. JOSSE LE CLERC, in *Lettre critique ſur le Dictionaire de* BAYLE, *Hagae Com.* 1732. *in* 12. qui viginti plagularum libellus breuiter recenſetur in *Actis Erud. Lat. a.* 1735. *p.* 479. pariterque PHILIPP. LVDOV. JOLY in *Remarques critiques ſur le Dictionaire de* BAYLE, *Pariſ. ac Di-*

uione anno 1748. *in f.* Volumen alterum successit *anno* 1752. Multa obseruauit Auctor contra Baelium, ac partium eundem studio in rebus historicis deditum fuisse, ostendere enisus est, qua occasione haud raro defensorem Pontificiorum agit. Nihilo tamen minus gratum eruditis est hoc ingenii Baeliani monumentum, de quo, vt alios complures taceam, recte omnino PFAFFIVS *Introd. in Histor. Theol. litter. Tomo I. p. 28.* his verbis iudicauit: *Inter omnia Lexica eminet illud Baelii, non propter multitudinem titulorum, (selecti enim saltim hic apparent tituli,) sed propter eruditionem prolixissimam, ingeniumque summum, vbique emicans, rarissimaque atque etiam philosophica argumenta hic tractata.* Magna post Baelii institutum animo conceperat VINCENT. CORONELLI, Reipublicae Venetae Cosmographus, Ordinisque Min. Conuent. S. Francisci Generalis. Audiamus hac de re, quae in *Memoires de Trevoux m. Aprili anni* 1703. *p.* 318. referuntur.. *On imprime,* aiunt Diarii Conditores, *à Venise le plus ample Dictionaire, qui ait encore été fait. En voici le titre:* Bibliotheca vniuersale sacro-profana del P. Coronelli, Min. Conv. o sia gran Dizionario istorico-geographico caet. *C' est à dire: Bibliotheque universelle sacrée et profane, ou grand Dictionaire historique caet. L' Auteur est le P. Coronelli, qui est à present General de l' Ordre de S. François. Cet Ouvrage doit avoir quarante Tomes, sans les Supplemens. Les deux premiers sont déja publiez; et on travaille à l' impression du troisiéme. Ce Dictionaire comprend tout ce, qui concerne l' Histoire et la Geographie ancienne et moderne, l' Histoire naturelle, la Poesie, la Chronologie, les Genealogies, les Mathematiques, la Politique, la Botanique, la Medecine, la Chimie, le Droit, la Philosophie, la Theologie, et la Bible. Il est*

composé

composé en Italien, l'on y met l'etymologie et la signification de mots, avec le même mot rendu en Latin, en Hebreu, en Arabe, en Grec, en François, en Espagnol, en Allemand, en Anglois, et en Flamand. Ainsi ce Dictionaire renferme ce, qu' il y a de meilleur dans le Theatrum Vitae humanae, dans le Dictionaire de la Crusca, dans Moreri, dans Baudrand, dans Furetiere, et dans pres de quatre vingt Lexiques et Dictionaires differens. On y a inseré l'explication des mysteres, la vie des Souverains Pontifes, celle des Peres de l'Eglise, des Docteurs Orthodoxes, et des Prelats les plus considerables. On y a mis l'Histoire des Heresiarques, celle des Empereurs, des Rois, des grands Princes, des Capitaines célebres, et des Personnes illustres par leur sainteté, par leur noblesse, et par leurs belles actions. On explique brievement tout ce, qui regarde les Sciences et les Arts, tant mechaniques, que liberaux. On y trouve aussi le denombrement des villes, et des provinces, des pierres pretieuses, des fruits, et des arbres, et de tous animaux: et de plus les Catalogues des Conciles, des Heresies, des livres défendus. Enfin il y est parlé generalement de tout ce, qui peut appartenir aux Sciences et aux Arts. Haec de conatu magnifico, si Diis placet, cuius octo maioris formae Tomi excusi dicuntur, teste KEYSSLERO in *seiner Neuesten Reise, Parte II. p. 767. edit. prioris*, vbi et memorat, Coronellum ex Monasterio Franciscanorum aliquot aureorum millia Operi inepto impendisse. Sine dubio igitur error latet in his *Actorum Erud. Lat. anno* 1710. *p.* 47. *Venetiis celeberrimus Vinc. Coronelli, editis iam* octodecim *Bibliothecae vniuersalis Tomis, vbi sub littera* C. *ad titulum* Cavalieri *peruenit, in eo nunc est, vt integram Bern. Iustiniani Historiam Ordinum equestrium* (Opus decem prope, vt

vulgo dicunt, Alphabetorum) *recusam vasto illi Operi inserat. Quare publico Programmate inuitauit rerum harum curiosos, vt, si quid habeant, quo suppleri Iustinianus posset, id ipsum curent Venetias, suis tamen sumtibus, transmitti.* Ab his diuersa sunt admodum KRAVSII verba in *Nouis litterariis anni* 1719. *p.* 20. *Princeps,* ait, *eius opus est Bibliotheca vniuersalis, ordine alphabetico disposita, Voluminibus quinque et quadraginta absoluenda, cuius tamen non nisi VII. Tomi prodiere, quorum postremus in vocibus a littera* C. *incipientibus desinit, atque inter alia sub voce* Cavalieri *vniuersum Opus Bern. Iustiniani, antea duobus maioris formae Voluminibus editum, exhibet. Accedunt Tabularum aenearum Tomi XIV. rerum locorumque praecipuorum, qui in toto opere descripti sunt, icones oculis subiicientes.* Eadem referuntur in *Lexico Eruditor. Ioecheriano* v. Coronelli. Imparem tollendis hisce diffidiis me video, quum adcuratiorem Operis notitiam inuenire non contigerit. Pertinet huc etiam THOMAE CORNEILLE *Dictionaire universel geographique et historique*, quod Opus *Parisiis anno* 1708. *in fol.* Tomis III. prelo exiit. Quamquam enim Geographica praecipue curae Auctori sunt, vt iis tamen satisfaceret, qui Historiam amant litterariam, vrbium descriptionibus breues subinde hominum doctorum, qui orti fuerunt in singulis, Vitas subnectit. Vti vero in recensendis superioris aetatis eruditis Morerium prope solum, aut Perraltum, sequitur, ita recentiores, quos hi nondum attigere, eos maxime, qui adscripti Academiis Gallicis fuerunt, sua ex supellectile addidisse videtur. Euoluantur hic *Acta Erud. Lat. a.* 1709. *p.* 150. *sq.* quo tandem loco errores non nulli notantur, in rebus Germanorum commissi. Ne hisce populis deesset eiusmodi Dictionarium, natiuo sermone conscriptum, Thomas Fritschius operam

operam dedit, ſpectatiſſimus olim apud Lipſienſes bibliopola. Inuitauit ideo eruditos omnes ad ſymbolas conferendas. Moderatorem inſtituti elegit IOH. FRANC. BVDDEVM, eo tempore Halenſis Academiae Philoſophum, poſt, non longa interpoſita mora, Theologum et Philologum Ienenſem multae famae, qui eſt ita in hoc verſatus negotio, vt Lexicon Moreri fundamenti quaſi loco poneretur, illudque non ſolum Germanice redderetur, ab infinitis repurgatum naeuis, ſed ex Baeliano etiam Opere, aliisque plurimis Auctoribus, bis mille amplius nouis articulis locupletaretur. Ante omnia inſerenda curauit quae ad Hiſtoriam Germaniae ciuilem ac litterariam faciunt, ideoque Genealogiae Principum et illuſtrium Familiarum, nec non Vitae Theologorum, Ictorum, Medicorum et Philoſophorum magno numero exhibentur. Singula probatiſſimorum Scriptorum fide ſunt firmata. Sub laboris huius initium Buddeus adiutorem nactus eſt ſtrenuum FERDIN. LVDOV. BRESLERVM AB ASCHENBVRG; nobilem Sileſium, tunc domeſticum ipſius et conuictorem ſuauiſſimum, mox vero Reipublicae Vratislauienſis Senatorem. Poſtea ſe adiunxerunt IOH. ANDR. VHLIVS, et BVRCH. GOTTHELF STRVVIVS, cui quartam fere Lexici huius partem deberi, haud diffitetur Buddeus. Non pauca, praeter hos, tribuenda MART. SCHMEIZELIO et GOTTLIEB STOLLIO De hoc eius Vita conſulatur in *der Hiſt. der iuriſt. Gelahrheit p.* 54: de illo GOETTENII *Gelehrtes Europa*, *Parte I. p.* 424. Congeſtis hac ratione ordine alphabetico ſubſidiis, *Lipſiae anno* 1709. *in f.* Tomi II, in Partes quatuor diuiſi, prodierunt *des allgemeinen Hiſtoriſchen Lexici*, hisque *ibid. a.* 1714. acceſſit Tomus III. Supplementa et emendationes varias continens. Altera editio, (ad quam adornandam Viri docti ADAM. FRID. GLAFEY, IOH. IAC.

Hhh hh 3 SCHMAVS-

SCHMAVSSIVS, IOH. MATTH. GESNERVS, MICH. CHRISTOPH. HANOVIVS, aliique adhibiti ſunt, teſtibus BVDERO in *Biblioth. hiſtorica Struuiana*, *Tomo II. p.* 1715. GOETTENIO *l. c. p.* 572. itemque STRODTMANNO *Parte V. p. 23. der Beyträge zur Hiſtorie der Gelahrheit*,) *ibidem* producta eſt *anno* 1722. Partibus totidem, eademque non aucta modo inſigniter, verum emendata etiam vbique, ſiue argumenta ipſa, ſiue dicendi rationem ſpectaueris. Omiſſa tamen, quod fieri omnino non debebat, Buddei Praefatio luculenta, ex qua totum inſtitutum optime cognoſcitur. Hanc editionem, intermixtis multis, Hiſtoriam Helueticam et Genealogias harum gentium illuſtrantibus, repetiit *Baſileae a.* 1729. Brandmüllerus, librarius, auxiliatrices praebente manus IAC. CHRISTOPH. ISELINO, qui et Praefationem praemiſit. Brandmüllerus quum id ſine iuſta cauſſa feciſſet, eiusque conatus iam aliquot annis ante innotuiſſet Lipſiae, Fritſchius permouit NIC. HIERONYM. GVNDLINGIVM, vt *anno* 1726. *in* 8. euulgaret nec loco adiecto, nec nomine ſcribentis: *Rechtliches und Vernunftmäßiges Bedencken von dem ſchändlichen Nachdruck andern gehöriger Bücher*, quae duarum plagularum ſchedae nunc exſtant in *Gundlingianis Parte XLV. p. 160. ſq.* Cf. Anonymi, vulgaris profecto, quisquis eſt, Auctoris, *unpartheyiſches Bedencken, - - daß der unbefugte Nachdruck priuilegirter Bücher ein infamer Diebſtahl ſey*, *Coloniae*, vt fingitur in titulo, *anno* 1742. *in* 8. *P. I. cap. 1. p. 18. ſq.* Statim autem furtiuae huius editionis pretium imminutum ab haeredibus Fritſchianis eſt noua, et ea quidem iterum ſtudioſe correcta multisque acceſſionibus aucta. Lucem vidit Tomus I. et II. *Lipſ. a.* 1730. Tom. III. *a.* 1731. Tom. IV. *a. 1732.* Quibus abſolutis accepimus *ibid. anno* 1740. Tomis II. *Fortſetzung des allgemeinen Hiſtoriſchen Lexici*, de qua Continuatione vid. *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1740. *p.* 464. Sic ergo.

go Tomos VI. generatim Lexicon hocce Buddeanum implet. Hodie id cum Baeliano, inter omnia huius generis alia, locum primum non immerito sibi vindicat, quamquam successit, quatuor, et quatuor, et quod excedit, lustris post grande illud Opus, a librario, editionem eius parante, *Zedlerianum* vulgo dictum. Primordia illius incidunt in *annum* 1731. quo Volumen primum *in f.* hac est inscriptione emissum: *Grosses, vollstaendiges Vniuersal-Lexicon aller Wissenschaften und Künste, welche bishero durch menschlichen Verstand und Witz erfunden und verbessert worden*, caet. Praefixa est IOH. PETRI A LVDEWIG, Academiae Halensis Cancellarii, Praefatio, in qua multa de hoc instituto magnifice loquitur, de Buddei autem, sociorumque, laboribus abiecte admodum sentit *ʃ. XV. p.* 7. ac deinde *ʃ. XIX. p.* 12. singulare quid memorat. Inter Directores cogniti mihi sunt IAC. AVG. FRANCKENSTEINIVS; quo mox viuis erepto partes hasce suscepit PAVL. DAN. LONGOLIVS; tandem vero, *anno* 1739. a Volumine XIX. Operis cura suprema transiit ad Virum celeberrimum, CAROL. GVNTH. LVDOVICI, Philosophiae Professorem Lipsiensem. Is per singulas litteras continuauit id ipsum, eidemque cum Volumine LXIV. *anno* 1750. finem imposuit. Tum incepit idem *Nöthige Supplemente zu dem grossen Vniuersal-Lexicon*, quorum Supplementorum Vol. I. et II. *anno* 1751. Volumen III. *a.* 1752. prodiit. Reliqua, sine dubio addita, nondum inspexi. Non pauci leuis armaturae homines in hanc fuerunt palaestram cooptati, qui Buddei et alia Lexica saepenumero ad verbum exscripserunt, praetereaque errores auxerunt erroribus. Meliora tamen sunt et certiora, quae ductu auspicioque laudati Ludouici excusa prostant. Belgica lingua in vnum congessere corpus Belgae quidam, quicquid

praecipui obuium esse crediderunt in Moreriano, Baeliano, Buddeaño, et aliis Lexicis, variis quoque nouis additis, iis potissimum, quae ad Historiam patriae suae spectant. Absolutum hoc eorum Opus *anno* 1733. *in fol. mai.* Tomis VIII. quorum inscriptio est sequens: *Groot algemeen bistorisch, geographisch, genealogisch en oordeelkundig Woordenboek*, caet. Librarii quidam Amstaelodamenses, Vltraiectini, et Hagae Comitum praefecerunt vniuerso negotio DAVID. VAN HOOGSTRAATEN, Virum in Historia eruditorum haud incognitum, pariterque IAN. LODEWYK SCHVER. Sed Hoogstraatenius in medio laboris progressu morte fuit oppressus. Iam enim anno 1722. praeparata esse ad institutum necessaria, patet ex Diariis Belgicis, *Maendelyke Vittreksels anni* 1722. *m. Octobri art.* 9. et ex *Republyk der Geleerden anni* 1722. *m. Sept. et Oct. art.* 11. nec non *m. Nov. ac Dec. art.* 9. Denique silentio praeterire nefas esset PROSPERI MARCHAND *Dictionaire historique, ou Memoires critiques et litteraires, concernant la Vie et les Ouvrages de divers personnages distingués, particuliérement dans la Republique des Lettres.* Tom. I. *Hagae Com. a.* 1758. T. II. *a.* 1759. cum Indice copioso lucem adspexit. Factum hoc, post Auctoris obitum, studio amici eius, ALLAMANDI, Philosophiae Professoris in Academia Leidensi, cui tamen, dici non potest, quot molestiae propterea fuerint superandae, quoniam schedas suas inordinatas maxime atque incompositas reliquerat Marchandus. Vtilitas quadraginta annorum Operi non debet certe denegari. Est exemplo Baeliani conditum, at tristi dictione languidaque, non ea, quae illud commendat. Saepe iniurius Auctor est etiam in Scriptores quosdam, cum primis Pontificios, saepe nimium, in rebus minimis, operosus. Cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1758. *mense Dec. p.* 673. *sq.* vbi Tomus prior recen-

recenſetur cum hoc breui iudicio : *nobis non vbiuis principes auctores Noſter ſequutus eſſe videtur : tum multa affirmare, non nulla negare, quae amplius indagare debuiſſet : tandem iniquus forte ſit in multis aduerſus aliorum ſacrorum ſectatores, Pontificios praecipue.* In Tomo altero clariſſimus Editor duos ipſe Articulos adiecit, quorum ille praeſtantiſſimus eſt, et in memoratu digniſſimis ponendus, qui de Grauеſandio agit. Caeterum dolent complures, immane a librario huic eſſe Dictionario pretium ſtatutum.

§. XXII.

Maximi aeque in Hiſtoria litteraria momenti ſunt Epiſtolographi. Rectiſſime quippe LIPSIVS in *Praefatione Epiſtol. ſelectarum Detegimur*, ait, *in epiſtolis, et ſubiicimur oculis pene nudi. Noſſe me, aut alium vis? epiſtolas lege, quae depingunt. Ingenii mei, adfectus, iudicii, imo et vitae, non vana imago iſtic. Alibi fucus et ſimulatio habitat : hic candor, hic veritas, et non niſi natiuus ille color.* caet. Sunt, qui data opera vſum Epiſtolarum, ab eruditis hominibus exaratarum, ob oculos poſuere. Sic habemus ADAMI RECHENBERGII Commentationem *de vſu Epiſtolarum clarorum et illuſtrium Virorum, Lipſ. a.* 1693. *in* 4. atque in eiusdem *Exercit. in N. T. Hiſt. eccleſ. et litter. ibid.* 1707. *in 8. p.* 425. *ſq;* CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI Praefationem *de vtilitate ex Litteris Virorum doctorum capienda*, praemiſſam CHRIST. WEISII *Epiſtolis ſelectioribus, Budiſſae a.* 1716. *in 8;* item IOH. FRANC. BVDDEI *de aucta inſigniter, per recentiſſimas quasdam Epiſtolarum Collectiones, re litteraria et eccleſiaſtica*, Diſſertationem, quae ornat *Supplementum Epiſtolarum* MART. LVTHERI, *Halae M. a.* 1703. *in 4.* euulgatum. Cf. HOTTINGERI *Bibliothecar. quadripartitus Parte I. cap. 6. p. 108. ſq.* ADAM. HENR. LACKMANNVS Diſſert. ſingulari, *Epi-*

 ſtolis

ſtolis variorum ad LVCAM LOSSIVM, *Hamb. a.* 1728. *in* 8. praefixa, *de multiplici eruditorum ſtudio*, *Epiſtolis hactenus impenſo* egit copioſius. Potiora exinde referuntur in *den Deutſchen Actis Erud. Vol. XII. P.* 144. *p.* 886. *ſq.* Cenſuram autem in Epiſtolographos et veteres et recentiores egregie inſtituit MORHOFIVS *Parte priore Cap. I. Collegii epiſtolici*, ſeu *de ratione conſcribendarum Epiſtolarum*, qui libellus, primum *Lipſ. a* 1693. furtim ac mendoſe editus, mox *a.* 1694. *in 8. Lubecae* meliori habitu recuſus eſt et cum Obſeruationibus IOH. BVRCH. MAII. Idem laudatus MORHOFIVS in *Polyhiſt. Tomo I. lib.* 1. *Cap.* 23. *et* 24. *p. m.* 271. *ſq.* Epiſtolographos permultos, eosque potiſſimum, quorum aliquis in Hiſtoria litteraria vſus eſt, docte recenſet, addens *Cap.* 25. *de Epiſtolis eruditorum ineditis* Commentationem breuem. Praetermiſſos a Morhofio Epiſtolarum Scriptores, quorum ſunt pauci, tamen, nouosque nonnullos, BVDDEVS *l. c.* exhibuit cum epicriſi ſua. Ab eo tempore complures alios accepimus. Dolendum vero, plerumque negligi delectum. Colliguntur enim, quotquot conquiri poſſunt, Epiſtolae, nulla habita vtilitatis communis ratione. Itaque Lectori, nucleum quaerenti, ſatis eſt moleſtum, ſi cortice deceptum ſe videat, aliquot ſaepe paginis fruſtra perluſtratis, antequam ſingulare quidpiam reperiatur. Praeter ea variae proſtant Epiſtolarum Collectiones, quae et argumentorum et rerum, Indicibus neceſſariis deſtituuntur, vnde id naſcitur incommodi, vt facile, et vno quaſi adſpectu, perſpicere nequeas, quae in quauis Epiſtola, vel integro Volumine, lateant notatu prae caeteris digna. Operae pretium fuerit, hic loci tales producere Epiſtolographos, qui multifariam litteris lumen accendunt, quod fieri commode poterit, ſi primum Collectiones diuerſorum, deinde

inde autem ſingulorum Auctorum Epiſtolas editas, nominauero. Illud chronologico, hoc alphabetico praeſtare ordine placet. Ad prioris claſſis libros quod attinet, reliquis aetate ſunt longe ſuperiores *clarorum Virorum Epiſtolae Latinae*, *Graecae et Hebraicae*, *variis temporibus miſſae ad* IOH. REVCHLINVM, *Tubingae* 1514. *in* 4. porro *Hagenoae*, adiecto harum Epiſtolarum libro II, *anno* 1519. *in* 4. ac denique *Tiguri a.* 1558. *in* 8. quae tamen editio librum ſaltim primum complectitur. Interim omnes tres rariſſime ſunt obuiae, maxime altera, eademque locupletiſſima. Plures Epiſtolas et ipſe Reuchlinus exarauit, quae hac in Sylloge extant. Data opera de eadem differuit IAC. BVRCKHARDVS in KOHLII *geſammleten Briefwechſel der Gelehrten anni* 1751. *Parte* 40. *p.* 625. *ſq.* Add. idem *Commentar. de linguae Latinae in Germania fatis Tomo I. cap.* 4. *p.* 178. *ſq.* et ſpciatim *p.* 188. vbi poſtquam cauſſam ſe dixerat ignorare, cur Chriſtoph. Froſchouerus, quum Tiguri harum Epiſtolarum librum I. edidiſſet, non adiecerit quoque ſecundum, ſic ſcribit: *vterque liber digniſſimus mihi videtur*, *qui inter recentiores epiſtolographos*, *ſi non primo loco*, *inter primos ſaltim ponatur*, *praeſertim a Germanis*, *quum temporum*, *quibus litterae in Germania renatae ſunt*, *hiſtoriam quam maxime illuſtrent: controuerſia in primis*, *quae Reuchlino cum Colonienſibus fuit*, *optime ex iis cognoſci poteſt.* Laudando proinde conatu Burckhardus iſtas Epiſtolas cum iis, quas Rudolph. Agricola et Ioh. Trithemius ad alios dederant olim, denuo proferre in lucem voluerat, emiſſo huius conſilii cauſſa, iam *anno* 1714. *Guelpherb. in* 4. Schediaſmate ſingulari. At bibliopola, qui ſumtus ſuppeditaret, inueniri non potuit. Idem fruſtra tentaſſe HERM. VON DER HARDT, memorat BVRCKHARDVS *l. c. Tomo II. p.* 372. Illius enim

enim si res acta esset arbitrio, libri II. Reuchlini, et illustrium Virorum ad eum, Epistolarum inserti fuissent *Parti II. Historiae litterariae Reformationis.* Initio saeculi superioris MELCH. GOLDASTVS *philologicarum Epistolarum Centuriam* ex museo suo diuulgauit. Factum id *Francofurti a.* 1610. *in 8.* quae editio *Lipsiae*, seu verius *Helmstadii*, 1674. *ead. forma*, cum Praefat. CONRINGII, repetita est. Continet haecce Centuria eruditorum variorum, qui saeculo XVI. floruerunt, Epistolas, et in calce duas ad ipsum Goldastum. Omnes vero sunt argumenti critici et philologici. Cf. *Biblioth. histor. Hamburg. Centur. VIII. artic.* 77. *p.* 275. Quae olim exaratae fuerant ad MARBACHIOS, celeberrimos Theologos Argentoratenses, a Melanchthone, Chytraeo, Chemnitio, Brentio, Huttero, caet. *Epistolae*, ad Historiam ecclesiasticam non solum, sed litterariam quoque, multum facientes, eas IOH. FECHTIVS *Durlaci anno* 1684. *in 4.* hoc edidit titulo: *Historiae ecclesiasticae saeculi, a nato Christo, sexti decimi Supplementum, celeberrimorum ex illo aeuo Theologorum Epistolis ad* Iohannem, Erasmum *et* Philippum Marbachios *constans, diuisum in octo libros, vna cum apparatu ad totum Opus necessario, et tabulis chronologico-historicis.* De quibus vtilissimis Epistolis Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1684. *p.* 286. *sq.* Prodierunt deinde, ex Bibliotheca HENR. GÜNTH. THVLEMARII, *Frf. et Spirae a.* 1688. *in 4. Virorum clarorum et doctorum ad Melch. Goldastum Epistolae*, quorum sunt quadringentae, duae ac triginta. Inter auctores conspiciuntur nomina Rittershusii, Stuckii, Thuani, Freheri, Iungermanni caet. Scriptae sunt horum et aliorum Epistolae ab anno 1598. ad annum vsque 1611. possuntque ex iisdem non pauca de librorum editionibus, horumque occasione, de fatis eruditorum et similibus, maximo cum fructu

fructu cognosci. Temporis in colligendis his Epistolis habita ratio fuit, sed non optime, praesertim circa finem; adhaec retenti vbique tituli ad nihil vtiles, relictique plurimi typographici errores, adeo quidem, vt difficulter quandoque sensus eruatur. Vid. perillustris A SENCKENBERG *Vita Goldasti*, praemissa eius *Scriptoribus rer. Alamannicarum §. XLIV. p.* 25. vbi et sequentia digna sunt, quae adscribam. *Prius iam*, ait, (scilicet de vitiis typothetae) *obseruauit ante me b. Tentzelius in monathlich. Vnterred. 1689. p. 408. sq. vbi de eis latius disseritur. Verum ne huius negligentiae crimen in Thulemarium incumberet, purgauit is se Tentzelio, ab amico cum typographo se inscio communicatas, atque a se nouam adornari editionem dictitans, l. c. 1690. p. 697. Sed abiit ad plures Thulemarius antequam promissis stare posset, vt vt postmodum eius Collectio non nullis Hortlederianis, Rittershusianis, Barthianis, etc. auctior facta fuerit, narrante eodem 1694. p. 510. Quam vero Thulemarius neglexit Continuationem, eam nec alii suscipere voluerunt, licet idem Tentzel. 1692. p. 971. Continuationem, atque vt ex penu Meibomii nepotis ad auum, et ab eo, scriptis litteris, vt et in Bibliotheca Bremensi delitescentibus quis hac in re vteretur, optasset. Sed plerisque deerant sane subsidia, cum nec in Bibliotheca Bremensi, nec alibi eiusmodi literas exstare, 1694. p. 510. monuerit ipse Tentzelius.* Reliqua, ne nimis longum exscribam locum, praeterire licebit. Idem laudatissimus Senckenbergius postea *Selectorum Iuris et Histor. Tomo I. p.* 318. *sq.* non solum Adpendicem Epistolarum Goldasti ipsius ad Frid. Hortlederum, e Bibliothecis Zollmanniana et Loeniana, inseruit, quae Epistolae rerum se praestantia magis, quam stilo, commendant, verum etiam earum

earum *p.* 411. *sq.* bigam adiunxit, quae ad Goldastum exaratae antea in scriniis latuerunt. GVILIELMI CAMDENI, *et illustrium Virorum ad eundem Epistolas*, cum Adpendice varii argumenti Vitaque Camdeni, luci exposuit *Londini anno* 1691. *in* 4. THOMAS SMITHVS. Minimam huius Voluminis partem ipsius Camdeni faciunt Epistolae: pleraeque profectae ab Isaaco Casaubono, Dau. Chytraeo, Iano Grutero, Ioh. Hotmano, Iusto Lipsio, Frid. Lindenbrogio, Paulo Merula, Petro Puteano, Iac. Aug. Thuano, et aliis. Qua ego caussa motus iisdem in hac Epistolarum classe locum adsignare non dubitaui. Argumenta mixti sunt generis. Quaedam enim Criticis placebunt, quaedam Philologiae sacrae, rei nummariae, Mathematum, Philosophiae naturalis et Historiae ecclesiasticae cultoribus. Multo autem plura inueniuntur, ad Historiam politicam quae debent referri. Vid. *Supplem. Actor. Erud. Tomi II. Sect.* 3. *p.* 139. *sq.* Pertinent huc similiter *Epistolae variorum*, quas ANTON. MATTHAEI *Lugd. B. a.* 1695. *in* 8. primus omnium protulit, et cum quindecim Testamentorum formulis, e saeculo XIII, notis iuridicis et historicis illustratis, ANDR. ALCIATI *contra vitam monasticam ad* BERN. MATTIVM *Epistolae* subiecit. Copiosius de iis agitur in *Act. Erud. Lat. a.* 1696. *p.* 290. Editoris huius clarissimi vestigiis credo insistere voluisse IANVM GVIL. MEELIVM; *anno* enim 1701. *in* 8. *Amstaelod.* ex Bibliotheca ipsius exierunt *insignium Virorum Epistolae selectae*, quas quidem in quinque diuisit Decurias. Prima Grotii et ad Grotium, secunda, tertia, quartaque Scriuerii, vel ad eundem, quinta vero diuersorum ad Barlaeum datas litteras offert. Accesserunt passim libello huic Meelii notulae, quae ad intelligenda quaedam loca obscuriora conducunt. Argumenta complura harum Epistolarum

larum, quae ſunt criticae potiſſimum et litterariae, in *Actis Erud. Lat. a.* 1701. *p.* 463. *ſq.* breuiter indicantur. Hic porro memoranda *Monumenta pietatis et litteraria Virorum in Republica et litteraria illuſtrium ſelecta*, *Francof. ad M. a.* 1701. *in* 4. Qui haec Monumenta collegit, nomine ſuo non adiecto, eſt LVDOV. CHRIST. MIEGIVS, Theologus tunc Marburgenſis, poſt Heidelbergenſis; adiutorem tamen habuit Collegam, DAN. NEBELIVM, Profeſſorem eo tempore medicae artis. Prima Pars non eſt huius loci. Complectitur quippe varia Palatina de Bibliotheca Electoris, Hiſtoria Eccleſiaſtica et aliis. In Parte autem altera Eruditorum, ſuperioribus duobus ſaeculis celebrium, Epiſtolae nondum editae occurrunt, quae non poſſunt non ad cognoſcendam Reformationis Hiſtoriam, remque litterariam ornandam, multum vtilitatis adferre. Prae caeteris eminere CASP. SCIOPPII *p.* 415. *ſq.* Epiſtolas, contendit REIMMANNVS *Catal. Bibl. Tomo II. p.* 445. difficile dictu eſſe addens, quot et quanta in his arcana aperiantur de Scioppii perſona, ſcriptisque, doctrina ac dictis. Caeterum dolet idem, Indice nominum et rerum Collectanea haec eſſe deſtituta, atque ſic mendis maculata typographicis, vt, quid velint Scriptores, quid minus, conſtet parum. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1703. *p.* 544. Nec ſilentio praeterire fas eſt *Clariſſimorum Virorum ad* GE. CASP. KIRCHMAIERVM *Epiſtolas, quae ſuperſunt, cum ipſius Epiſtolis nonnullis ac Poëmatibus, ex muſeo filii*, GE. GVIL. KIRCHMAIERI, *Vitemb. a.* 1703. *in* 8. Earum Epiſtolarum, quas Iſmael Bullialdus, Ioh. Henr. Boeclerus, Herm. Conringius, Sam. Strykius, Dan. Ge. Morhofius, Ant. Magliabechius, Ioh. Ge. Graeuius, et plures magnae famae homines exararunt, nouem ac triginta: harum contra, quarum Kirchmaierus auctor, duae et viginti numerantur.

Non

Non eſt, vt rebus vtique memorabilibus, vacuas easdem quisquam exiſtimet: meſſem potius ſatis laetam polliceri ſibi Lectores queunt. Cf. hic denuo adductum Lipſienſe Diarium *anni* 1703. *p.* 332. Ex Bibliothecae Ducalis Gothanae Autographis *Clarorum Virorum Epiſtolas CXVII.* accepimus ab ERN. SAL. CYPRIANO. Factum hoc *Lipſ. a.* 1714. *in* 4. Adiunctae ſunt, ſeparato inſignitae titulo, *Catalogo Codicum MStorum Bibliothecae Gothanae.* Pleraque ſpectant ad res theologicas et eccleſiaſticam Hiſtoriam: pauca litteraria obſeruaui. Notularum non nihil adpoſuit Editor, quae ſunt leuioris tamen momenti. Maiora tum auſus eſt, Muſisque propitiis confecit PETRVS BVRMANNVS. Poſtquam enim *anno* iam 1722. ſingularem publicauerat Epiſtolam, conſilii rationem omnem explicantem, quam KRAVSIVS *Nouis litterariis anni* 1723. *Parte I. p.* 4. *ſq.* inſeruit, ne plurimorum eadem conſpectui ſubtraheretur: celeberrimus ille Belgarum Philologus collegit ſtrenue, digeſſit, ediditque *Lugd. Bat. a.* 1727. *in* 4. *mai. Sylloges Epiſtolarum, a Viris illuſtribus ſcriptarum, Tomos quinque,* qui recenſentur in *Act. Erud. Lat. a.* 1728. *p.* 155. *ſq.* vbi recte adſeritur, nunquam antea tam inſigne, tamque vtile Opus vulgatum eſſe; Hiſtoriae vniuerſae, potiſſimum autem litterariae, nouam lucem, quae integrum ſaeculum illuſtret, accendi, ſimulque artis criticae innumerabilia ſpecimina dari; Burmannum ſua manu, ne operae aberrarent, deſcripſiſſe has Epiſtolas, quod quanto fuerit cum taedio coniunctum, vel ex Lipſii manu, eiusque obſcuris et inexplicabilibus litterarum ductibus, coniicii poſſe, cui ſi addas, tot legendas fuiſſe eruditorum ſcripturas, ſtupendam ſane Burmanni patientiam hac ſola de cauſſa ſatis elucere; praeterea non modo vtiliſſimos Indices in Opus vniuerſum acceſſiſſe, ſed paſſim etiam Editoris

ris Obſeruationes, quibus aut errores quidam emendentur, aut obſcure propoſita ex monumentis optimis, ſigillatim Actis Academiae Leidenſis anecdotis, illuſtrentur, qua in re Hiſtoriae ſit praecipue ratio habita, vt eo maiori cum fructu hae Epiſtolae legi a quolibet poſſint; quamque magnificum ſit inſtitutum, luculenter adparere, ſi quis perpenderit, trecentorum amplius hominum doctiſſimorum, et quorundam plus quam trecentas Epiſtolas hic legi. Integrum *Tomum I. primam*que *II. partem* Lipſii occupant Epiſtolae, cum iis, quas alii Viri clariſſimi ad eundem conſcripſere. Omnes, paucis exceptis, nouae ſunt, et antea nondum excuſae. Reliquum *Tomi II.* ſpatium variorum explet epiſtolas, quae partim ex Bibliotheca Leidenſi Academica, partim aliunde depromtae ſunt. *Tom. III.* Nic. Heinſii, Ioh. Frid. Gronouii, Iſaaci Voſſii, Iani Vlitii, Arnoldi Schlichtenhorſtii, Vinc. Fabricii, Ezech. Spanhemii, et Hadr. Wallii maximam partem mutuas complectitur Epiſtolas. In *Tomo IV.* Heinſii et Graeuii mutuae exſtant, quibus circa finem Perizonii et Heinſii mutuae ſubiunguntur, et illae quidem tanta ſunt eruditione, tanta venuſtate refertae, vt animum legentis mirifice paſcant, et vel ſolae iſtam Syllogen vehementer commendent. *Tomo V.* complures quoque diuerſorum Epiſtolae continentur, plerumque mutuae, v. g. Schefferi, Reineſii, Boſii, Daumii, Fabrotti, Valeſiorum, rel. Rareſcere iam incipit Opus hoc Epiſtolicum; quadringenta enim exemplaria prodiiſſe ſaltim dicuntur, iis tradita, qui, more hodie recepto, nomina dederant bibliopolae. Eodem, quem ſupra indicaui, *anno* 1727. *Wiſmariae et Sundii in 8.* CHRIST. STEPH. SCHEFFELIVS exire iuſſit *Virorum clariſſimorum ad* GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM *Epiſtolas ſelectiores, rem litterariam, Philoſophiam naturalem ac Medicinam*

 potiſſi-

potissimum spectantes. Praemisit idem Vitam Schelhammeri cum Indice scriptorum, quibus nomini suo decus parauit. Vid. tamen hic *Acta Erud. Lat. a.* 1728. *p.* 185. quo etiam in Volumine *p. 428. seq.* sermo est de *Philocalia Epistolica, siue centum Epistolis, varia notatu digna, in primis ad sanctiorem doctrinam atque Historiam ecclesiasticam spectantia, continentibus.* Saepius exinde vel augeri, vel emendari, vel corroborari posse eruditorum Biographos, ibidem fatentur et speciminibus probant Collectores. Debentur hae Epistolae clariss. VON SEELEN, qui primum easdem protulit, notis instruxit, Praefatione, in qua de similibus non nullis Epistolarum Collectionibus disseruit, nec non Indicibus adauxit. Lucem autem viderunt Lubecae anno 1728. *in 8.* Eadem Vir doctus ratione *anno* statim 1729. *in 8.* adiecit *Delicias Epistolicas, siue Centuriam Epistolarum, memorabilia tum alia, tum in primis theologica ac historico-ecclesiastica, complectentium.* Euoluat *die deutschen Acta Erud. Vol. XII. Parte 144. p. 893. sq.* qui plura de huius libri dote nosse voluerit. Et mole sua, et rerum variarum copia, superior est *Thesaurus Epistolicus* LACROZIANVS, quem ex Bibliotheca Iordaniana *Lips. a.* 1742. *sq. in 4.* cum eruditis communicauit IOH. LVDOV. VHLIVS, Vir de Republica litteraria praeclare meritus. Tres Tomi sunt, Indicibus necessariis amplificati, quorum prior diuersorum; alter Ioh. Christoph. Wolfii maximam partem ad Lacrozium Epistolas; tertius huius Philologi Berolinensis responsiones quasdam exhibet. Nomina doctorum hominum, qui de suis studiis ad illum referre solebant, litterarum ordine digesta sunt, et habent in primis Theoph. Sigfr. Bayeri, Sam. Crellii, Theod. Hasaei, Pauli Ern. Iablonskii, Ioh. Laur. Moshemii, et Dav. Wilkinsii Epistolae, quae detinere lectorem paullo humanio-

maniorem, et mirum in modum reficere, possint; maxime quum salutandi formulae, caeteraque ad res domesticas spectantia, a cl. Editore, bono consilio, rescissa sint, quibus verbis idoneam laudem Tomo I. tribuunt Lipsienses *Actor. Erud. Lat. ann.* 1743. *p.* 402. Merito tamen addendus Viris illis Wolfius est, cuius ex Epistolis haud vulgaria discuntur, atque inter haec etiam, quae de vita et fatis suis familiariter aperuerat amico, quaeque, si ipso adhuc viuo publicata fuissent, legisset forsitan cum quadam animi molestia. MOSHEMII *Animaduersiones in Epistolas, a se iuuene ad illustrem Virum*, M. V. LACROZE, *scriptas, ibid. l. c. p.* 404. *sq.* reperies. Progredior ad nobilissimum IOH. DAN. GRVBERI institutum. Is *Hanouerae* et *Gottingae anno* 1745. *in 8.* Partibus II. edidit *Commercii Epistolici Leibnitiani, ad omne genus eruditionis, praesertim vero ad illustrandam integri propemodum saeculi Historiam litterariam apprime facientis, per partes publicandi Tomum prodromum, qui totus est Boineburgicus.* Hoc in Tomo, quem plures a Grubero promissi sequuti non fuere, occurrunt IOH. CHRISTIANI L. B. A BOINEBVRG et HERM. CONRINGII Epistolae mutuae, quibus aliorum sunt intermixtae quaedam. Pertractantur in iis vel illustria Iuris publici, vel Historiae litterariae argumenta, vel controuersiae, sacrorum caussa coortae. Omnes hae Epistolae, vt sine mendis excuderentur, operam dedit Editor, simulque suam cuique summam praefixit, et, vbi opus videbatur, selectas subiecit Obseruationes. Multa hac de Collectione dicuntur in *Actis Erud. Lat. a.* 1746. *p.* 35. *sq.* ex qua etiam recensione cognoscitur, Conringii Epistolas plenas iudiciorum esse de Auctoribus recentioris aetatis. Apud Italos insigni eiusmodi schedarum Sylloge gratiam omnium, qui litteras in deliciis habent, sibi con-

ciliauit IOH. TARGIONIVS, Med. D. et Bibliothecae Magliabechianae praefectus. Vt feliciores consilii progressus essent, Ioh. Bapt. Zannonius, typographus Florentinus, *anno* 1745. Programma quoddam publicauit, recusum in *Actis Erud. Lat. eod. anno, p.* 525. *sq.* Perspicimus exinde, Epistolarum, ad Ant. Magliabechium, non nullosque alios, a Viris, omni doctrina politissimis, scriptarum, editionem suscepisse typographum. Itaque laudatus Targionius eas scite a reliquis separauit, quae non nisi gratiarum actiones, vel encomia, vel mercaturam librariam, vel futiles atque leuissimas res continent. Dignas luce existimauit saltim, quae opis aliquid adferre possent ad Historiam ornandam siue litterariam, siue ecclesiasticam, siue ciuilem, siue naturalem. Di iis vero sic loquitur typographus: *Sylloge haec Epistolarum complectitur Historiam litterariam absolutissimam dimidii circiter saeculi, cuius maximam partem frustra alibi quaeras. Vt enim breui multa complectar, patebunt ex hisce Epistolis arcana plura, ad vitam et mores doctorum virorum illius temporis pertinentia, quae lectori non minus voluptatem afferent, quam documento erunt. Cognoscet siquidem immensos labores, ab illis exantlatos, et methodos adhibitas in perficiendis praeclaris operibus, vt posterorum commodis inseruirent; eoque indicio plura illorum opera affecta, necdum confecta, et in priuatis Bibliothecis delitescentia, expiscari poterit. Caussas quoque simultatum, inter claros viros susceptarum, caussas item sinistrae quorundam fortunae, intelliget; mores aliorum aureos, et ad omnem ciuilis vitae partem conformatos, amabit; aliorum vero nequitiam, rusticitatem, et δοξομανίαν exsecrabitur. Noua praeterea in Astronomicis, Mathematicis, et Physicis reperta; antiqua monumenta in lucem prolata; Codices antiquos, ab obliuione vindicatos, sciet; principum virorum munificentiam erga bonas*

nas litteras admirabitur; *Academiarum*, *Bibliotbecarum*, *et Museorum initia et grogressus*, *vel interitus*, *edifcet*; *vt verbo dicam*, *statum litterarum per ea tempora in singulis Europae prouinciis cognoset*, *vnde earum progressus*, *vel decrementa*, *recte aestimare modo possit*. Mox etiam eo ipso *anno* 1745. *Florentiae in* 8. Tomis II. prodierunt *clarorum Belgarum ad* ANT. MAGLIABECHIVM, *nonnullosque alios*, *Epistolae*, *ex Autographis*, *in Bibliotheca Magliabechiana adseruatis*, *descriptae*. Has exceperunt eodem anno *Clarorum Venetorum ad* ANTON. MAGLIABECHIVM, *non nullosque alios*, *Epistolae* Tomis II, quorum secundum Italica conscriptae lingua fere totum implent; itemque, simili ratione, *a.* 1746. *Clarorum Germanorum Epistolae*. Tomus I. earundem innotuit, atque inter has familiam Leibnitianae ducunt. Praefatus est Editor, et non solum obscuriora loca plurimis illustrauit adnotationibus, verum Indices quoque rerum memorabilium, ne desiderarentur, curauit. Plura adhuc Volumina medi atus est idem; at non audiui, talia successisse prioribus. Cf. *die zuverläss. Nachricht. Vol. VIII. Parte* 86. *p.* 81. et *Parte* 96. *p.* 896. *sq.* Zach. Conr. ab Vffenbach, praeter diaria itinerum suorum, integrum Commercium litterarium, quod ipsi cum doctissimis nostrae aetatis hominibus satis diu intercesserat, legauit olim amico suo, IOH. GE. SCHELHORNIO. Itaque is, vt omnibus thesaurus tam insignis prodesset, praestantiores Epistolas, cum ab illo acceptas, tum redditas, in vnum redigere corpus constituit; cuius rei factum initium *anno* 1753. quo *Vlmae et Memmingae in* 8. emissa fuere *Commercii Epistolaris Vffenbachiani Selecta*, continuata deinde vsque ad *Partem quintam anno* 1756. editam, quam caeteri, vt spes est, insequentur propediem. Varia celeberrimus Schelhornius in hancce Collectionem ornamenta congessit.

Parti quippe primae alterique praefixit Vitam Vffenbachii; fingulis autem Obferuationes litterarias, easque dignas admodum lectu, fuis ex fcriniis inferuit; vt notas vtiliffimas taceam, quae paffim Epiftolis fubiunctae cernuntur. Hae vero exaratae funt a Viris egregiis, Ioh. Alb. Fabricio, Imman. Webero, Ioh. Ge. Scherzio, Ioh. Henr. Maio, Ge. Chriftiano Ioanne, Car. Ott. Rechenbergio, Ioh. Dav. Koelero, Ioh. Laur. Moshemio, Henr. Chrift. L. B. a Senckenberg, aliis. Plurimae tamen earundem ex Maii, Profefforis Giffenfis, calamo funt profectae. Binis Tomis accedere rerum praecipuarum Index folet. Cf. *Acta Erud. Lat. a.* 1755. *p.* 518. *fq.* Ampliffima laude, ac merito quidem, decoratur *Commercium Epiftolicum Norimbergenfe, fiue Virorum celeberrimorum Norimbergenfium ad diuerfos, et diuerforum ad Norimbergenfes, Epiftolae, e Msto primum editae curante* GE. ANDR. WILLIO, Philofophiae Profeffore in Academia Altorfina. Particula I. ac II. *Altorf. a.* 1757. *in* 8. euulgata eft: plures adhuc exfpectandae ab eleganti Mufa Williana. Inter omnes Epiftolas illae praecipue, intelligentium iudicio, eminent, quae vel a Chriftiano Gottlieb Schwarzio fcriptae funt, vel ab aliis, e. g. Godofr. Thomafio, ad eundem datae. Fertiliffimus fuit eiusmodi Anecdotorum *annus* 1758. Primum enim, Vir illuftris, IOH. LVDOV. VHLIVS, occultato nomine fuo, produxit *Norimb. in* 8. *mai. Syllogen nouam Epiftolarum varii argumenti.* Quatuor iam libros habemus, Indice inftructos, atque anno fequenti abfolutos. Explent hi Volumen prius, cui alia fuccedent, quum plaufu non careat inftitutum. De meliori certe commendatur ifthaec Sylloge in *den Götting. gel. Anzeig. a.* 1760. *Parte XXII. p.* 195. *fq.* Primus liber, Editoris humaniffimi beneficio, meis eft in manibus, patetque exinde, plurimas Epi-
ftolas

ſtolas, ibidem obuias, ad ipſum exaratas laudatiſſimum Vhlium fuiſſe. Multa vbique ſingularia, critica potiſſimum ac litteraria, inueni: nec facile quempiam defatigabit, opinor, lectio, qui auctores nouerit doctiſſimos, ſcilicet Ioh. Ge. Graeuium, Corn. van Bynckershoeck, Petr. Burmannum, Abr. Gronouium, Theoph. Sigfr. Bayerum, Iac. Phil. D'orville, Arn. Drakenborchium, Ioh. Conr. Ruckerum, caet. Tum egregius Noricae Academiae Anteceſſor, IOH. HEVMANNVS, *Altorfii in 8.* emiſit *Documenta litteraria varii argumenti.* Conſtat Volumen hoc modicae molis ex Epiſtolis, ſaeculo XVI. ad Bilibald. Pirckheimerum perſcriptis. Mixti ſunt argumenti, maxime tamen ad Hiſtoriam pertinent eccleſiaſticam, quam illuſtrant inſigniter. Ad eas rectius intelligendas multum conducet Editoris celeberrimi Commentatio iſagogica, quae adiuncta eſt, et ita diligenter elaborata, vt complura etiam exhibeat de vita eorum, quorum Epiſtolae ſelici erutae caſu ex tenebris fuerunt. Tandem ab elegantis doctrinae Italo, ANGELO MARIA BANDINI, *Florentiae in 4. Clarorum Italorum et Germanorum Epiſtolas ad* PETRVM VICTORIVM, *Senatorem*, accepimus, ex archetypis cum Vita Victorii et animaduerſionibus editas. Primum iam Volumen, bonae frugis pleniſſimum, indicatum eſt nuper in Diariis litterariis: alterum tertiumque mox adiicietur.

§. XXIII.

Expoſitis Collectionibus Epiſtolarum, a variis ad alios transmiſſarum, tales nunc, ordine alphabetico, recenſebo, quae ſingulorum Scriptorum nomine inſignitae prodierunt. Scenam aperiant IOH. LVDOV. GVEZII BALZACII *Lettres choiſies, Amſtael. ap. Elzeuirios anno* 1654. et 1656. *in 12.* Multa in iisdem haud vulgaria de rebus litterariis et Auctoribus iudicia eſſe obuia, teſtatur MORHOFIVS

Polyhiſt. litter. Tomo I. lib. 1. Cap. 24. p. m. 293. vbi et alia lectu digna de ſtilo ipſius ſcribit, quem argutum, floridum, metaphoriſque aliquantulum indulgentem vocare non dubitat. Add. IOH. BVRCH. MAIVS ad MORHOFIVM *de ratione conſcribendarum Epiſtol. p.* 45. Plures Galli huius Epiſtolae, inter quas Latinae ſimul, exſtant in *Oeuvres* DE BALZAC *à Paris* 1665. *in f.* Tomis II. Non medicorem plauſum eruditi tribuerunt *Lettres choiſies de Mr.* BAYLE, *à Rotterd.* 1714. *in 12.mai.* Tomis III, quibus in ordinem redigendis induſtriam ſuam conſecrauit PETR. DES MAIZEAVX. Equidem IOH. CLERICVS parum benigne de hac Sylloge ſentit in *Bibl. ancienne et moderne Tomo I. Parte 1. Art. 5. vbi p.* 204. *ſq.* de eadem agit, ipſamque credit eſſe *un amas de bagatelles et de penſées indigeſtes ou chagrines:* neque magis honorificum eſt Baelio iudicium NICERONII in *Vitis Erud. Parte VI. p.* 311. *edit. Germanicae;* at re vera magnae eſt profecto vtilitatis. Omnes pene Epiſtolae litterariae ſunt, quorſum et erudititiſſimae notae, plurimis ſubiectae paginis pertinent, quae incredibilem et adcuratiſſimam plerumque librorum produnt notitiam, atque a PROSPERO MARCHANDO profectae ſunt. Omiſſa interim et mutata non pauca eſſe ab eodem in hac prima editione, conqueſtus eſt grauiter laudatus DES MAIZEAVZ, cum alibi, tum in *Vita Baelii* circa finem. Ita vero ille; *On n'avoit pas mieux traité les Lettres de Mr. Bayle, que j'avois envoyés à ces Libraires, et qu'ils imprimerent en 1714. On s'ingera d'y faire plusieurs changemens, et d'y retrancher pluſieurs choſes. On y joignit des Notes, pleines de bevûes groſſieres en fait de Litterature, d'inſinuations baſſes et malignes, et des traits calomnieux contre des perſonnes diſtinguées, ſans epargner Mr. Bayle. J'ai retabli ces Lettres ſur les Originaux dans l'edition, qui en a été faite à Amſt. en 1729. et je les ai accompagnées*

pagnées de tous les éclaircissemens, qui m'ont paru necessaires. Itaque nouam parauit editionem, ita inscriptam: *Lettres de Mr.* BAYLE, *publiées sur les Originaux, avec des Remarques*. Exiit haec ipsa Tomis quoque III. *in 12. mai. Amstael. a.* 1729. atque Indice satis diligenter confecto instructa est. Numerus Epistolarum in ea duabus et quadraginta est maior. Recusae sunt omnes, ad hoc alterum exemplar, perfectius passim, quamplurimis tamen mendis typographicis oppletum, in *Oeuvres diverses de Mr.* BAYLE, *Hagae Comit. a.* 1731. *in f.* curante DE LA BARRE DE BEAUMARCHAIS cum Indice praestantissimo absolutis, *Tomo IV. p.* 521. *sq.* Accesserunt ibidem sex et quinquaginta Epistolae nouae, adeoque haec editio dici locupletissima debet. Caeterum inspici omnino merentur, quae MARCHANDVS vt purgaret se de peccatis, a Des Maizeaux ipsi obiectis, in *Journal litteraire Tomi XII. Parte 2. art. 11.* attulit. Quae si quis nosse cupiat in compendio, ei satisfacient *die Leipz. gel. Zeit. a.* 1729. *p.* 949. Exacto decennio integro, ignotus mihi Editor Baelianas Epistolas, ab illis, quae olim publicatae fuerant, diuersas, inque vnum congestas Volumen, exhibuit. Quippe *Hagae Comit. a.* 1739. *in 12. mai.* Tomis II. non admodum magnae molis lucem adspexere *Nouvelles Lettres de Mr.* BAYLE caet. quae Epistolae stilo quidem negligentiori, et extemporali pene, in chartam coniectae, varia tamen Historiae litterariae, et aliarum disciplinarum, capita, pro instituti ratione eleganter pertractant. Cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1740. *p.* 476. *sq.* IOACHIMO CAMERARIO vti litterarum commercium cum doctissimis totius Europae cultioris hominibus erat; ita facile credendum, in *Epistolis* eiusdem multa sui temporis litteraria inueniri posse. Libros VI. priores post mortem ipsius edidere filii, *Francof. a.* 1583. *in 8. ibidem*que *a.* 1595.

libros V. posteriores adiunxere. Singulae dictionis venustatem redolent. Graecorum, quae sunt intermixta, interpretatio sub finem Collectionis exstat. Physici et mathematici plerumque argumenti sunt RENATI CARTESII *Epistolae, partim Latino sermone conscriptae, partim ex Gallico translatae.* Prodierunt *Amstael. anno* 1668. Part. II. et iterum *a.* 1682. *in* 4. in Germania etiam *Francof. a.* 1669. *ead. forma* Partibus III. Gallicae autem Epistolae ipsius antecesserunt priores editiones *Paris. anno* 1657. *sq.* Tomis II. *in* 4. *Nullo ex Commentario melius intelligi potest doctrina Cartesiana, quam ex isto, quem praebent epistolae. Multa illic proponuntur rariora naturae φαινόμενα, in quibus explicandis illic suum exercuit ingenium*, quae sunt MORHOFII verba *l. c. p. m.* 294. Varia historica et ecclesiastica stilo, Criticis vsitato, exponuntur, neque tamen litteraria plane desunt, in ISAACI CASAVBONI *Epistolis*, primum opera IOH. FRID. GRONOVII *Hagae Comit. a.* 1638. *in* 4. iterumque, duabus et octoginta Epistolis auctius, iuxta seriem annorum editis *Brunsuigae* 1656. *ead. forma*, curante IOH. GE. GRAEVIO. Sed nunc vtramque longo post se interuallo relinquit THEOD. IANS. AB ALMELOVEEN editio, quam is *Roterod. anno* 1709. *in f.* emisit. Accesserunt, praeter trecentas Epistolas nouas, ISAACI CASAVBONI Vita, eiusdem Dedicationes, Praefationes, Prolegomena, Poemata, et Fragmentum de libertate ecclesiastica: item filii, MERICI CASAVBONI, Epistolae, Dedicationes, Praefationes, Prolegomena, atque Tractatus quidam rariores. Vbique *Clauis* PAVLI COLOMESII ad oram est adposita, quae iam antea in eius *Opusculis*, *Vltrai. a.* 1669. *in* 12. recusis, *p.* 159. *sq.* locum obtinuerat. Occurrit eadem in *Collectione Operum Fabriciana p.* 333. *sq.* Non pauca exinde clariora redduntur: quibusdam ipse recentissimus

Editor

Editor lucem adfudit. Cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1710. *p.* 184. *sq.* et MORHOFIVS *l. c. p.* 284. pariterque NICERONIVS in *Vitis Erudit. P. XIV. p.* 131. *edit. Germ.* vbi tamen pauca ſingularia in his eſſe contendit Epiſtolis. NICOL. CLENARDI *Epiſtolarum libri II.* perraro inueniri ſolent. Prima editio haud dubie eſt *Louanienſis in 8, a.* 1551. notata. Sed haec non niſi vnicum librum exhibet. Aliam, *a.* 1561. *ibidem* adornatam, REIMMANNVS in *Catal. Bibl. theolog. p.* 949. laudat, quae, ſi nihil erroris in numeris commiſſum, pauciſſimis forte cognita eſt. Poſterior liber primum adiectus editioni *Antwerp. anno* 1566. *in 8.* quae Plantino tribuenda. Repetita haec fuit typis Wechelianis, non minus nitidis, *Hanouiae a.* 1606. *ead. forma.* Vehementer eas Epiſtolas extollit *l. c.* Reimmannus, Auctoremque de re litteraria Turcarum exactam dediſſe notitiam, obſeruat. IOH. CHRISTOPH. COLERI *Anthologia* complectitur Epiſtolas varii argumenti, ad illuſtrandam potiſſimum Hiſtoriam eccleſiaſticam et litterariam comparatas. Prodiit autem *Tomus* tantum *primus*, in Faſciculos ſex diuiſus, *Lipſiae* ab *anno* 1725. vsque ad *a.* 1728. *in 8.* Indices tres librum, dignum vtique lectu, magis commendant. Non placuit Auctori tamen eos nominare, ad quos, oblata occaſſione, litteras perſcripſerat. Certum interim, Heumannum, Theologum et Philologum Gottingenſem, horum in numero principem tenere locum. HERMANNI CONRINGII *Epiſtolarum Syntagmata duo*, vna cum reſponſis, *Helmſt. a.* 1694. *in 4.* CASP. CÖRBERVS edidit. Multae inter has ad Ferdin. Fürſtenbergium et Steph. Baluzium, huiusque ad Conringium exaratae, quae plenae ſunt variae doctrinae, antiquariae in primis atque hiſtoricae. Plures promiſerat Cörberus; ſed mors, quae aliquot annis poſt oppreſſit eundem, obſtitit ſine dubio conatui. Succeſſere tamen *Helm-*

ſtad.

ſtad. anno 1708. *in 12.* Volumini huic molis modicae, cura CHRISTOPH. HENR. RITMEIERI, *Conringiana Epiſtolica, ſiue animaduerſiones variae eruditionis, ex b.* HERM. CONRINGII *Epiſtolis miſcellaneis, nondum editis, libatae;* quae Collectio, ex Corberi ſcriniis adornata, longe auctior *ibidem anno* 1714. recuſa eſt, itemque *Lipſ. et Wolfenb. a.* 1719. *in 8.* Poſtrema exemplaria vix puto noua eſſe, ſed prioris potius editionis reliquias, alio titulo, veluti hedera, venum datas. Non deſiderari hic ſingularia multiplicis eruditionis, atque de Viris doctis, et eorum libris, iudicia, facile perſpicient Lectores. Exſtant etiam Conringianae Epiſtolae, cum a Corbero, tum a Ritmeiero productae, in *Tomo VI. Operum* CONRINGII *p.* 430. et *p.* 554. *ſq.* Editor eorundem, IOH. GVIL. GOEBELIVS, notas paſſim, nouasque plures Epiſtolas ſummi huius Polyhiſtoris adiecit. Sic v. g. ſtatim poſt Praefationem occurrit *Spicilegium Epiſtolarum ad diuerſos.* In GRVBERI *Tomo prodromo Commercii Epiſtolici Leibnitiani,* multas quoque Epiſtolas Conringii, antea nondum publicatas, exhiberi, *§. ſuperiori* iam eſt abs me indicatum. Quas ipſe Conringius *Helmſt. a. 1666. in 4.* emiſit *Epiſtolas de varia doctrina,* hae ex Dedicationibus conſtant et Praefationibus, vel eius, vel aliorum libris praefixis. Has pariter, notulis illuſtratas, GOEBELIVS *Operibus Conringianis l. c. p.* 346. *ſq.* inſeruit. Non videre vnquam licuit AQVILINI COPPINI *Epiſtolarum libros VI. Mediolani a.* 1613. *in 8.* MORHOFIO teſte *l. c. cap. XXIV. p. m.* 300. haud pauca continent de Viris doctis in Italia iudicia, multaque rerum naturalium, quae ipſi in diuerſis Italiae itineribus obuenere. PETRI CVNAEI *et doctorum Virorum ad eundem Epiſtolae,* cura PETRI BVRMANNI collectae, prodierunt L. B. *a.* 1725. *in 8. mai.* Quamquam non eo ſplendore praeditae ſunt, quo Grotii,

Voſſii

Vossii, Casauboni, et aliorum Epistolae sese commendant, vti quidem in *Actis Erud. Lat. anni* 1725. *p.* 468. dicitur; alia tamen habent non minus grata, rerumque varietate omnes oblectantia, vt venustatem stili taceam, quae Cunaeo familiaris vtique fuit. Adiectae passim Burmanni adnotationes obscuriora explicant, atque historiae priuatae arcana detegunt. Sunt exemplaria harum Epistolarum, quae *annum* 1732. praeferunt; at mutatus est titulus tantum, iure vendendi libri alium in bibliopolam translato. GISB. CVPERI *Lettres de Critique, de Litterature, d'Histoire,* caet. *écrites à divers Savans de l'Europe, à Amsterd.* 1742. *in* 4. cum aliquot Tabb. aeneis, omnino vocari debent Sylloge plena rerum, quae fata eruditorum, linguarum item, et reliquarum Antiquitatum nobilissima quaeque argumenta illustrant. Copiose insigne hoc Volumen et honorifice recensetur in *Actis Erud. Lat. anni* 1744. *p.* 202. *sq.* Praeclara quaedam, ad rem criticam atque litterariam pertinentia, leguntur in CHRIST. DAVMII *Epistolis Latinis ad Ioh. Frid. Hekelium scriptis*, quas *Dresdae a.* 1697. *in* 8. typis imprimendas curauit IOH. ANDR. GLEICHIVS. Insertae his non nullae ad ipsum Daumium litterae hominum doctrina praestantium. Eidem Editori debentur DAVMII *Epistolae philologico-criticae ad Ioh. Andr. Bosium, Ioh. Gebhardum et Mart. Hankium, tribus Partibus absolutae, quibus accedit Pars IV. seu Adpendix ad diuersos, omnes ex ipsis Autographis erutae, Chemnitii anno* 1709. *in* 8. Sed notanda hic sunt verba GROSCHVFFII in *Noua libror. rarior. Collectione Fasciculo III. p.* 549. vbi sic scribit Vir doctus: *Si stili ratio habenda est, praestat omnino integras edere Epistolas, quam obtruncatas excudere; quales sunt Caselii, Buchneri, Graeuii, aliorumque: sin rerum ratio habenda, mallem edi potiora*

tiora, *et quae ad rem litterariam faciunt. Quod non nulli vellent factum in Epistolis Daumii nuper editis*, *quae a rerum vtilitate*, *quas tractant*, *nequaquam vero a culto scribendi genere sunt commendandae. Dictio Daumii humilis est*, *salebrosa*, *et plurimis medii aeui vocibus inquinata*, *vt non necessum sit*, *tam operose omnia conquiri ac euolgari. In nuperis Epistolis Daumianis*, *a Viro cl.* Ioh. Andr. Gleichio *editis*, *quantum est*, *quo carere possumus! Occurrunt multa ex culina et curis domesticis petita*, *quae scire nostra parum interest. Cuius*, *quaeso*, *vsus*, *quando p. 219. legimus:* Saccharum et haleces accepimus, memores gratias reponimus; *quid ista verba p.* 246. *proficiunt?* der sehr grosse Wind hat mir heute die Flüsse sehr rege gemacht, daher der Kopf wüste ist, und nichts guts schreibt. *Eiusmodi complura sunt in hac Collectione.* Mirificam spirant dictionis elegantiam, rerumque haud vulgarium diuitiis eminent IANI NICII ERYTHRAEI *Epistolae ad Tyrrhenum et ad diuersos*, *Coloniae* (seu verius *Amstaelodami*) *anno* 1645. atque iterum *Ienae*, loco tamen priore nominato, *a.* 1739. *in 8.* cura IOH. CHR. FISCHERI, Viri doctissimi, qui et admiscuit notarum non nihil, Vitamque Auctoris, vberrime expositam, adiecit. En! MORHOFII *l. c. p.* 289. de hisce Epistolis verba. *Stilo*, ait, *cultissimo scriptae*, *rebusque refertae*, *quae ad historiam illorum temporum pertinent. Multa ex illis discas*, *quid Romae*, *quid in Italia tota rerum gestum sit*; *qui viri litterati vixerint*, *quid praeclari in lucem ediderint*, *de quibus iudicia hinc illinc interspersit.* Describuntur ab eodem *p.* 295. TANAQVILIS FABRI *Epistolae*, quae philologici sunt argumenti, et varias complectuntur coniecturas, quibus Faber veterum loca aduersus omnium sententias explicat. Editae fuerunt *Salmurii a.* 1659. item Parte altera auctae, *ibidem a.*

1665.

1665. *in 4.* Magni fiunt etiam ab omnibus HVG. GROTII *Epistolae*, quarum primum pauciores euulgatae sunt *L. B.* 1648. et 1650. *in 12.* tum *Lips.* 1674. cura IOACHIMI GESENII, tandemque a GE. SCHVBARTO *Lips. et Francof. a.* 1684. *in 12.* Prior editio Lipsiensis meis est in manibus, Indice rerum haud leuiter confecto instructa. Praemissa Editoris Praefatio lectu digna, in qua recte adseritur inter alia, ex his Epistolis Grotianis de re litteraria, deque statu Germaniae, Galliae, Belgii, aliarumque terrarum, qualis tunc temporis fuit, memorabiles narrationes iucunde et vtiliter hauriri posse. Imo et iudicia de Scriptoribus et libris recens editis in iisdem nonnunquam reperiuntur. Nec parum exinde lucis effulget iis, qui fata Grotii ac studia cognoscere diligentius volunt. Tandem *Epistolae Grotianae*, quotquot in Bibliothecis Virorum illustrium latuerunt, collectae, cumque prioribus coniunctae, prodierunt optime, cura nepotum, *Amstael. a.* 1687. *in f.* Vid. CLERICI *Bibliotheque universelle, Tomo I. m. Ianuario artic.* 1. et *m. Febr. p.* 121. *sq.* Priori loco quae ad rem criticam ac Theologiam: posteriori quae ad Iurisprudentiam, Historiam et Politicam spectant, satis copiose recensentur. Dolendum tamen, non adiectum esse Indicem, Epistolis modo secundum temporis seriem dispositis. Nouam harum editionem, longe ordinatiorem, adornauit, quumque Grotius Steganographia saepius, cifris atque fictis nominibus vsus esset, Clauem, vt vulgo dicunt, paratam habuit Sam. Pufendorfius. Exstat nunc eadem, cum Volumine Epistolarum Grotianarum nondum editarum, quarum numerus ducentas explet octoque et octoginta, in splendidissima Bibliotheca Bunauiana; id quod in *Lexico Eruditor. Ioecheriano*, v. Grotius, adfirmatur, simulque ex laudatae Bibliothecae *Catalogo Tomi I. Vol.* 3. *p.* 1924. patet. MARQVARDI GVDII, *et docto-*

doctorum Virorum ad eum, *Epiſtolas* PETR. BVRMANNVS *Vltraiecti anno* 1697. *in 4.* ex tenebris produxit. Vidi etiam exemplaria, quibus *Lugd. Batauorum*, *annus*que 1711. adſcriptus eſt; ſed nihil, praeter titulum, nomenque bibliopolae, mutatum videtur. Acceſſerunt ex Bibliotheca Gudiana doctiſſimorum Virorum, qui ſaeculo XVI. et XVII. floruere, et CLAVD. SARRAVII *Epiſtolae*, ex eadem Bibliotheca auctiores. Iſthaec quidem Sylloge non omni exſpectationi, quam fecerat Morhofius, reſpondit, quum certum ſit, plures adhuc Epiſtolas anecdotas in ſupellectili Gudiana fuiſſe adſeruatas; multa tamen in euulgatis a Burmanno de ſtatu recentiorum eruditorum reperimus: quodque in Sarrauianis optimum eſt, expletae ſunt ex Gudii exemplari lacunae. *Acta Erud. Lat. anni* 1697. *p.* 139. *ſq.* complura offerunt, quae hisce Epiſtolis iuſtum ſtatuunt pretium. Ea vero in compendium quo minus redigam, inſtitutum obſtat. Varii argumenti, critici potiſſimum ac litterarii, Diſſertationibus, methodo Epiſtolarum exaratis ad litteratiſſimos aeui noſtri homines, *Poeciles* nomen impoſuit CHR. AVG. HEVMANNVS. Tomos III, quolibet in libros quatuor diuiſo, ab eodem accepimus. Omnes excuſi ſunt *Halae M. ab anno* 1722. vsque ad *a.* 1732. *in 8.* Adiecit Vir doctus non pauca Programmata atque Diſſertationes ſingulares data occaſione exhibitas, praecipue in Gymnaſio Gottingenſi. Hauriri profecto ex hisce Tomis egregia poſſunt. Laudabilem quoque IAN. GVIL. MEELIVS rei litterariae operam praeſtitit, poſtquam FRANC. et IOHANNIS HOTOMANNORVM, patris et filii, *clarorumque Virorum ad eos Epiſtolas, vna cum Adpendice Epiſtolarum miſcellanearum aliorum, qui proximis duobus ſaeculis claruerunt*, ſuis ex ſcriniis publicauit. Factum id *Amſtaelod. anno* 1700. *in 4.* Quantum Hotomannorum fuerit nomen, quantisque implicitus negotiis

gotiis Franciscus saepenumero sit, non ignorant peritiores: ideoque ex Epistolis illis multam acquirere notitiam licet de ciuili temporum horum, item religionis et rei litterariae conditione. Conqueritur autem Editor, a possessore istarum schedarum Gallo negatam ipsi potestatem fuisse delectus habendi in iisdem edendis. Haud paucas enim Epistolas, quae nullius plane sint momenti, facile omitti potuisse. Conf. *Acta Erudit. Latin. a.* 1701. *p.58.sq.* vbi recensetur haecce Collectio, et varia notatu digna, speciminis loco, exinde proferuntur. IACOBI HOWEL *Familiar Letters domestic and forren divided into four Books, partly historical, political, philosophical,* quum saepius prodierint, scilicet *Londini anno* 1645. *in 4*; 1650. *in 8*; 1656. *in 4*; 1673. *in 8*; 1688. et 1705. *eadem forma:* vel id harum Epistolarum praestantiam indicat. Maius autem nostrae opinioni pondus addunt ista MORHOFII verba *Polyh. Tomo I. libro 1. cap. 24.p. m.305. Mixta hic sunt,* inquit, *negotiis ciuilibus litteraria, magnaque illa rarissimarum rerum varietas mirifice legentem delectat. Agitur hic de rebus Anglicis, Gallicis, Italicis, Germanicis, Hispanicis, Belgicis, Danicis, Suecicis, vnde multa ad historiam eorum temporum obseruari possunt. Insperguntur non nunquam poetici sales et facetiae. Physica et medica non omittuntur. De rebus litterariis disquiritur. Historiae rariores narrantur. Characteres et lineamenta Virorum illustrium et doctorum, tam in Anglia, quam in aliis locis, ab illo proponuntur. Elucet denique ex stilo varia et elegans eruditio.* Comprobat hoc Morhofius exemplis quibusdam, atque tum sic pergit: *Infinita propemodum hic occurrunt obseruatione dignissima. Quare operae pretium faceret, qui has Epistolas in linguam vel Latinam, vel Germanicam conuerteret.* Fuit Howelius Regius Legati Anglici apud Danos Secretarius, tandem vero pri-

primus Hiſtoriographus, a Carolo II. conſtitutus. Diem obiit ſupremum anno 1666, relictis ſcriptis quam plurimis, quorum tamen partem maximam vitae ſuſtentandae cauſſa edidit. Inter omnia laudatae eius Epiſtolae obtinent, communi eruditorum ſuffragio, principatum. *Epiſtolas ad* IOH. KEPLERVM, *inſertis ad easdem reſponſionibus Keplerianis, quotquot hactenus reperiri poterunt, iuſſu et auſpiciis Caroli VI. Romanorum Imperatoris, ex MSC.* typis imprimendas curauit *Lipſ.* ſeu Francofurti potius, *a.* 1718. *inf.* MICH. GOTTLIEB HANSCHIVS. De omnibus Keplerianis Operibus, coniunctim exhibendis, cogitatum ab eodem diu antea fuerat, iamque *anno* 1714. *Actis Erud. Latin. p.* 242. *ſq.* inſerta eſt (quae *a.* 1713. *Aug. Vindel.* Programmate ſingulari exierat, obuio in *dem Neuen Bücher Saal der gelehrten Welt, Vol. III. p.* 770. *ſq.*) *Deſignatio Operum* IOH. KEPLERI, *quorum editionem XXII. in fol. Voluminibus molitur* HANSCHIVS, *ſubſcriptionibus eruditorum promouendam.* Sed conſilio hoc felici ſucceſſu deſtituto, non niſi Tomus I. lucem vidit, qui Epiſtolas memoratas complectitur, nonnullis Tabulis aeneis exornatas. Mirifice hic Aſtronomi non ſolum et Philoſophi, verum etiam ii, quos Hiſtoriae litterariae ſtudium occupat, animum diſcendi cupidum paſcent. Eorum nomina, quibuscum Keplero, Mathematico Würtembergico, ſaeculo ſuperiori clariſſimo, litterarum fuit commercium, recenſentur in *Actis Erud. Lat. l. c. p.* 243. *ſq.* ipſae autem Epiſtolae in eiusdem Diarii *anno* 1719. *m. Ian. p.* 1. *ſq.* Praeter luculentum rerum memorabilium Indicem addidit Hanſchius *Vitam Kepleri*, ſumma induſtra expoſitam. Cf. *das ietztlebende gelehrte Europa, Parte III. p.* 460. *ſq.* Multa de Viris doctis et eorum Operibus iudicia conſpici in IOSEPHI LAVRENTII *Epiſtolis*, quarum *Centuria I. Venet. a.* 1622. altera

altera *Lucae a.* 1638. vtraque tandem *Patauii ann.* 1651. *in 8.* prodiit, MORHOFIVS testatur *l. c. p. m.* 300. *ſ. 75.* neque tamen Auctori fidem habendam semper, quum Panegyristen potius, quam sincerum agat Censorem, stilumque Scriptoris, inter simias Lipsianas referendi, κακόζηλον esse, idem contendit. Maiorem vtique praestant vsum GODOFR. GVIL. LEIBNITII *Epiſtolae ad diuerſos theologici, iuridici, medici, philoſophici, mathematici, hiſtorici et philologici argumenti.* Ex Manuscripto Auctoris cum adnotationibus eruditis eas vulgauit CHR. KORTHOLTVS *Tomis IV. in 8. mai.* quorum primus *Lipſ. a.* 1734. postremus *a.* 1742. excusus est. Postea IOH. ERHARD. KAPPIVS *ibid. a.* 1745. *eadem forma* laudando conatu adiecit *Sammlung einiger vertrauten Briefe, welche zwiſchen* Leibnitzen, *und dem berühmten Berliniſchen Hofprediger*, Dan. Ern. Iablonsky, *auch andern Gelehrten, beſonders über die Vereinigung der Lutheriſchen und Reformirten Religion, über die Auf- und Einrichtung der Königl. Preuſſiſchen Societät der Wiſſenſchaften* caet. *gewechſelt worden.* En! Epistolarum Centuriam, ab anno 1689. vsque ad annum 1704. scriptarum. Collocauit eas Kappius secundum ordinem chronologicum, singulis summam praefixit, passimque immiscuit Obseruationes suas et iucundas lectu, et rei conuenientes. Idem in Praefatione pollicitus est nouam Epistolarum Leibnitianarum, earumque Latinarum, Collectionem, quam tamen ipsi absoluere non licuit. Cf. *Acta Erudit. Latin. anni* 1748. *p.* 164. *ſq.* Interim apud Heluetos, et quidem *Lauſannae, eodem anno* 1745. *in 4. mai.* Tomis II. accessit *Commercium litterarium inter* G. GVIL. LEIBNITIVM *et* IOH. BERNOVLLIVM, quae Epistolae Philosophiam omnem et Mathesin, Historiamque harum disciplinarum, illustrantes ab an-

no 1694. vsque ad annum 1716. exaratae fuerunt. De *Commercio Epistolico Leibnitiano*, quod GRVBERO debemus, *superiori* §pho est actum. IVSTI LIPSII *Epistolae* magno numero prostant. Nominandi hic primum *Epistolicarum Quaestionum libri V.* in quibus varii Scriptores, praecipue Liuius, explicantur. Ipse Auctor hos libros edidit *Antwerp. a.* 1577. *in 8.* Optime autem recusi fuere *ibid. a.* 1637. *Operum Lipsianorum Tomo I. in fol.* Successerunt *Epistolarum selectarum Centuriae V*, inter quas postumae sunt quarta et vltima; item *Centuria singularis ad Italos et Hispanos*, *quiue in iis locis; Centuria* porro *singularis ad Germanos et Gallos;* tandemque *Centuriae III. ad Belgas*. Omnes hae Epistolae non solum separatim *in 4. mai.* diuulgatae sunt *Antwerpiae*, verum etiam in Operum adductorum *Tomo II.* reperiuntur. Non pauca hic, quae ad Lipsii vitam, litterasque humaniores, Antiquitates sigillatim et rem criticam, pertinent, Lectori erudito placebunt: neque tamen negandum, complures etiam Epistolas admodum esse steriles, inopesque rerum. Dictio praeter haec non ita comparata, vt imitatione digna videatur. Qui enim in iuuentute sua Ciceronem sequutus est, aetate prouectus magis, nouum pene finxit sibi eloquentiae genus, abruptum, histrionicum, atque Archaismis abundans. De Epistolis Lipsianis in *Sylloge Burmanniana* supra iam dixi. Iuris ciuilis Historiaeque litterariae cultoribus magnopere commendari debent GREGORII MAIANSII *Epistolarum libri VI.* primum *Valentiae Edetan. a.* 1732. iterumque *Lipsiae a.* 1737. *in 4.* ex museo GOTTLOB AVGVST. IENICHEN V. C. publicati. Orationis venustas cum rerum, de quibus doctissimus Hispanus disserit, praestantia vbique certat. Varia simul, oblata occasione, de hodierna litterarum in patria sua conditione immiscet integerrimus Maiansius.

In

In deliciis haberi quoque solent ROLANDI MARESII *Epistolae philologicae*, quae libros II. explent. Partem earundem ipse Auctor *Parisiis a.* 1650. *in* 12. edidit: post mortem vero eius Launoius et Valesii, fratres, reliquas, inter schedas Maresii obuias, collegerunt, et prioribus adiunxerunt *ibidem ann.* 1655. *in* 8. Quae editio quum in Germania rarissima esset, ADAM. RECHENBERGIVS *Lips. a.* 1687. *in* 12. nouam adornauit. Merito locum haud vulgarem sibi vindicant istae Epistolae, stili elegantia aeque, ac rerum copia conspicuae. Multa enim praeclara de ratione studiorum instituendorum, de Grammaticis, Poetis, locorum communium Collectoribus, Eloquentia, Theologia scholastica, Iurisprudentia, Historicis, continent. Nec desiderantur de Viris doctis iudicia. Singulis Epistolis argumenta praefixa sunt, et sub finem libri posterioris amicorum quorundam ad Maresium Epistolae occurrunt, quibus Rechenbergius *p.* 569. *seq.* nouas aliquot, ab instituto non alienas, veluti Rud. Agricolae de formandis studiis, et Ioh. Sturmii de imitatione Epistolas subtexuit. Colophonem libro imponit rerum praecipuarum Index. Conf. MORHOFIVS *loc. cit. p. m.* 273. et IVVENELIVS im *Versuch einer Geschichte der schönen Künste und Wissenschaften*, *Parte II. p.* 461. *edit. Germ. Kappianae*, vbi adseritur, fictas esse Epistolas ac deliciarum caussa scriptas, magisque Dissertationes litterarias dici easdem posse. Quod ille iudicium desumsisse videtur ex VIGNEVL-MARVILLE *Melanges d'Histoire et de Litter. Vol. I. p.* 166. *edit. Roterod. ann.* 1702. praeferentis. Verba haec sunt: *On s'aperçoit bien, que les Lettres de Mr. des Marets sont des ouvrages de fantaisie; et c'est peut-être la seule chose, qu'on y puisse trouver à redire, ces sortes de Lettres n'ayant pas le même agrement que celles, qui s'écrivent par rencontre, et par la nécessité de répondre à ses amis. L'uniformité,*

 qui

qui y regne par tout, fatigue et ne réjoüit pas. Cela aproche plus de la Dissertation que du genre épistolaire, qui a quelque chose de plus naturel, de plus riant et de plus diversifié. Inter nostrae aetatis Hispanos eruditissimos, post Gregor. Maiansium, commendandus itidem est EMANVEL MARTINI, cuius *Epistolae*, in libros duodecim diuisae, *Mantuae Carpetan. a.* 1735. *in 8.* Tomis II. prodierunt, moxque recusae sunt *Amstael. a.* 1738. *in 4. mai.* cum. Praefat. PETRI WESSELINGII, plenissimoque rerum notabiliorum Indice, quo caret editio Hispanica. Praeter mirificam dictionis castitatem suauitatemque, inueniunt hic, quod in rem suam vertant, omnium Ordinum homines docti. Fieri tamen non potuit, quin ad ea maxime studia, quibus praecipue se addixerat Martinus, ad rem scilicet Grammaticam, criticam et antiquariam, ingenii quodam impetu se trahi sentiret. In quibus ille agris colendis quum per totam vitam desudauerit strenue, non est adeo mirum, a domestica hac doctrinae elegantioris parte plurimam ipsi scribendi materiam venisse, vti loquuntur Collectores *Actor. Erud. Lat. anno* 1738. *p.* 393. quo loco sermo est vberior de Martini Epistolis. Cf. idem Diarium *anno* 1739. *p.* 253. *sq.* Ibi nimirum editio Belgica recensetur. Ad statum rei ecclesiasticae ac litterariae, qualis fuit saeculo XVI, non parum faciunt PHILIPPI MELANCHTHONIS *Epistolae*, a diuersis collectae. IOH. MANLIVS *Basil. a.* 1565. *in 8. Epistolarum Melanchthonianarum farraginem* edidit. Accesserunt *eodem anno Vitemb. in 8.* MELANCHTHONIS *Epistolae selectiores* cura CASPAR. PEVCERI, quae librum I. exhibent, recusum, et libro II. adauctum, *ibid.* 1570; deinde liber III. per CHRISTOPH. PEZELIVM *Bremae* 1589. *in 8*; tum liber IV. *Norimb. a.* 1640. et liber V. *ibid.* 1646. *in 8.* vterque IOHANN. SAVBERTI studio; postea *Lugd. Bat. a.* 1647. *in 8.* ab Anonymo *Epistolarum liber*, qui VI.

VI. dici poteſt, *continens praeclara multa cum eccleſiaſtica, tum politica et hiſtorica.* Separatum etiam Volumen *Epiſtolarum, continua ſerie annis XXXVIII. ad* IOACH. CAMERARIVM *ſcriptarum*, *Lipſiae*, ex officina Voegeliniana, *anno* 1569. *in 8. mai.* luci expoſitum fuit, de quo fuſe actum in STRVVII *Biblioth. antiqua m. Dec. anni* 1705. *p.* 545. *ſq.* Quum non pauca hic reperiantur ſuppreſſis nominibus, et per aenigmata, prolata, *Clauem* aliquis, forſitan ipſe Camerarius, parauit, qui exſtat in IOHANN. CHRISTOPH. WOLFII *Conſpectu ſupellectilis epiſtolicae manu exaratae*, *Hamb.* 1736. *in 8. p.* 301. *ſq.* Aliam *Clauem in* MELANCHTHONIS *Epiſtolas* CHRISTIAN. THOMASIVS *Tomo I. Hiſtoriae Sapient. et Stultitiae* inſeruit. Auctor huius laboris eſt parens ipſius, IAC. THOMASIVS. Stilus Melanchthonis, MORHOFIO iudice *l. c. p. m.* 281. planus eſt liquidusque, nec ſuis deſtitutus elegantiis, vtque candidum illi Viro pectus fuit; ita ſine fuco ſcribit in Epiſtolis, in quibus non nunquam deprehendes plenas querelarum de turbato rei ſacrae ſtatu, deque prauis et ſeditioſis quorundam Theologorum conſiliis. Imo non diſſimulauit, quae preſſerunt ipſum, domeſticas neceſſitates. GABRIEL. NAVDAEI *Epiſtolae*, *Geneuae a.* 1667. *in 12.* poſt mortem eius editae, ad Medicos temporis ſui plerumque exaratae ſunt, et haud contemnenda etiam rei litterariae capita, itemque iudicia de doctis hominibus, complectuntur. In his tamen partium ſtudium aliquoties elucet, neque negandum, rariora plura exſpectata Naudaei a doctrina fuiſſe, quam in hiſce Epiſtolis occurrunt. Alterum Volumen, cuius in Praefatione prioris, admodum vitioſe excuſi, ſpem fecerat bibliopola, non prodiit. Cf. MORHOFIVS *l. c. p.* 297. GVY PATIN *Lettres choiſies* prelo ſaepius exierunt, ſcilicet *Hagae Comit. a.* 1673. *ibidem*, et *Geneuae* 1683. *Pariſiis* 1685. 1688. et 1692. *in* 12. Tomis II.

mis II, quae postrema editio trecentis Litteris est locupletior. *Coloniensis* etiam, nisi titulus mentitur, *anno* 1691. *in* 12. Tomis III. adornata est. Nouissime *Roterod. anno* 1725. *in* 12. *mai.* Voluminibus V. easdem Epistolas accepimus. Ex schedis porro Auctoris Belgae *Amstael. a.* 1718. *eadem forma* Tomis II. euulgarunt *Nouvelles Lettres de feu Mr.* GVY PATIN *à* CHARLES SPON. MORHOFII verba *l. c. p.* 305. digna sunt vtique notatu. *Non fuit temere,* ait, *qui audaciora et liberiora de libris et viris publicis, priuatis, doctis, indoctis, iudicia consignaret. Perpetua hic* (loquitur autem de priori Collectione) *in Chymicos et Pharmacopolas cauilla. De negotiis status et religionis, de rebus sacris summa παῤῥησία iudicatur. Ne quid de facetiis dicam, quibus condiuntur epistolae. Infinita in illis obseruari possunt, quorum maximus in historia litteraria non solum, sed et medica et ciuili, vsus est.* Add. VIGNEVL-MARVILLE *Melang. d'Hist. et de Litter. Vol. I. p. m.* 23. vbi haec: *Il ne reste de Patin que ses Lettres, qui sont le portrait au naturel de son coeur et de son esprit. C'est dommage, qu'elles soient tachées d' impietez et de medisances atroces. On pourroit mettre justement à leur tête, ou sous le portrait de l'Auteur ce mot des Anciens:* Cauete canem. PERARDVS etiam in *Catalogo Bibliothecae suae p.* 319. de Patino scribere non dubitauit: *On le taxe avec raison, d'avoir souvent mandé de fausses nouvelles et fait des portraits d'imagination, soit par malice, soit par legereté.* Omnes Epistolae exaratae sunt ab anno 1645. vsque ad annum 1672, Patino fatalem. Cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1684. *p.* 248. et *anni* 1718. *p.* 516. *sq.* Sententiis inanes et subfrigidas MORHOFIVS *p.* 277. FRANCISC. PHILELPHI Epistolas vocat: sed alia docuit, praeterque ciuilem Italiae Historiam, litterariam quoque Saeculi

culi XV. variis exinde modis illustrari posse, ostendit NICOL. STANISL. MEVCCIVS in Praefat. *Tomo I. Epistolarum* PHILELPHI, *Florent. anno* 1743. *in 8. mai.* praefixa. Omnes eius Epistolas, auctiores et emendatiores, reuocare in lucem constituerat librarius, Rigazzius, nisi mors Editoris interuertisset conatum. Certe non accepi a quopiam, Tomos plures subsequutos, esse. Antiquissima est et prima editio, quam ipse Philelphus *Mediolani anno* 1453. *in* 4. curauit. Libros ea X. continet. Denuo, in libros XV. digestae, Epistolae hae *Brixiae a.* 1485. *in f.* prodierunt, alibique saepius. Ego eam possideo, quae *Venetiis a.* 1502. *in f.* absoluta est, atque ex libris XXXVII. constat. Vid. FOPPIVS *de Vita et scriptis* FRANC. PHILELPHI *p.* 352. in *Tomo V. Miscellan. Lips. Pezold.* Multa de doctis Italiae hominibus memorari in LVCILLI PHILALTHAEI *Epistolis*, *Papiae a.* 1564. *in* 8. editis, MORHOFII *l. c. p. m.* 300. fide scribo. Rarissimum enim librum esse, nec a me vnquam visum, lubens fateor. Idem dicendum de LAVRENT. PIGNORII *Symbolarum Epistolicarum libro I. Patauii a.* 1629. *in* 8. cum figuris quibusdam. Dolendum est, non nisi librum vnicum exstare, quem plenum bonae frugis adpellat MORHOFIVS *p.* 294. mox subiungens, varii argumenti multa hic, praecipue vero antiquaria, cumulari: non pauca ad Iurisprudentiam et Historiam pertinere: complura Auctorum loca, et Inscriptiones veteres, emendari atque explicari: optimum esse pro Criticis et Antiquitatum studiosis librum. Mirum itaque, de recudendo eodem nondum a quopiam cogitatum fuisse. Rara multa ad rei litterariae statum, vt sub initium saeculi XVI. fuit, secum ferunt BILIBALDI PIRCKHEIMERI, et ad eum variorum, v. g. Erasmi, Melanchthonis, Reuchlini, Zasii, caet. *Epistolae*, quae inter *Opera eius* inueniuntur,

tur, a GOLDASTO *Frf. ad M. a.* 1610. iterumque, diu post ipsius obitum, *ibidem a.* 1665. *in f.* exhibita. Quae vbi in chartam conieceram, forte occurrunt IAC. BVRCKHARDI *Comment. de linguae Lat. in Germania fatis Tomo I. p.* 211. verba sequentia, quibus de meliori commendantur Epistolae Pirckheimeri. Ita vero ille : *De his Epistolis idem praedicari posse mihi videtur, quod de clarorum Virorum ad Reuchlinum Epistolis paullo ante adfirmaui. Temporis certe, in quod Pirckheimeri aetas incidit, facies, emendataeque religionis, ac renascentium in Germania litterarum conditio conspici ex illis potest, magni ea propter, mea quidem sententia, faciendis, nec non dignissimis, quae a bonarum litterarum cultoribus legantur.* ANGELI POLITIANI, Itali saeculo XV. clarissimi, *et aliorum Virorum illustrium, Epistolae*, XII. in libros diuisae, primum *eiusdem Operibus, Florent. anno* 1497. *in f.* excusis, insertae, ac postea saepius cum iis ipsis prelo repetitae fuerunt. Seorsim has, quantum sciamus, primus *Paris. a.* 1499. publicauit IODOC. BADIVS ASCENSIVS, typographus et eruditus, et artis suae peritissimus. Ego vtor exemplari *Amstaelodami*, vt quidem titulus indicat, *a.* 1642. *in* 12. typis impresso, facile credendum, tamen, apud Germanos id esse factum. Alias libri editiones magno numero diligentissime recenset FRID. OTTO MENCKENIVS in *Vita Politiani p.* 514. *sq.* qui locus, si placet, inspiciatur. Iam adnectere solum iuuabit, quid sentiat de Epistolis Politiani nobilissimus ille Scriptor, quo nemo forte frequentiorem vnquam familiaritatem cum egregii huius hominis Operibus habuit. *Vt de stilo harum Epistolarum nihil dicam*, ait p. 503. sq. *cuius elegantiam et nitorem quanti fecerint tam superiori, quam nostra aetate, subtilissimi palati Critici, curate diligenterque expositum a nobis supra* Sect. I. §. 11. p. 204. sq. *meministi. In eo*

singu-

singulare hae quoddam praecipuumque decus ostendunt, quod in ipsis scribendi argumentis nihil sit vulgare et inutile, nec ii tantum, qui orationis nitore delectantur, sed illi etiam ipsi, qui rerum in primis pondera sectantur, ingenii hic sui pastum habeant. Sunt enim argumenta Epistolarum, si non omnium, plurimarum tamen, selectissima, ex omni genere doctrinae elegantioris, Historia in primis, Philologia et Antiquitatibus, petita. Idque postea exemplis quam plurimis Menckenius confirmat. THOMAE REINESII *ad Casp. Hoffmannum et Christ. Adam. Rupertum, nec non eorum ad illum, Epistolae Lipsiae anno* 1660. *in* 4; Eiusdem *Epistolae ad Ioh. Vorstium, ab hoc*, post illius obitum, *Colon. Brandenb. a.* 1667. *in* 4; Eiusdem *Epistolarum ad Nesteros, patrem et filium, conscriptarum farrago Lips.* 1670. *in* 4; Eiusdem *Epistolae ad Christ. Daumium, et ipsius ad Reinesium, Epistolae, cura* IOH. ANDR. BOSII, *Ienae* 1670. *in* 4; ac denique Eiusdem et laudati BOSII *Epistolae mutuae, Casp. Sagittarii ex scriniis depromtae, cum Excerptis ex Virorum illustrium Epistolis, ad Iosephi nouam editionem facientibus, Ienae a.* 1700. *in* 12. ab IOH. ANDR. SCHMIDIO publicum sunt in conspectum productae. Omnes hae Collectiones exquisita superbiunt doctrina. Vel enim de rebus medicis ac physicis: vel de Historia Romana: vel de Graecis Romanisque Antiquitatibus: vel de Latinitate medii aeui aliisque Criticis: vel de Auctoribus vulgo incognitis iucunde disseritur. Praeclara insunt etiam, quae in Historia saeculi XVII. litteraria non parum accendunt luminis, GEORGII RICHTERI, Procancellarii Altorfini, eiusque familiarium, *Epistolis selectioribus*, quae prodierunt *Norimb. anno* 1662. *in* 4. recusae *ibidem a.* 1686. *ead. forma.* Omnium Ordinum eruditi reperient hic, quae in succum conuertere sanguinemque possint. Praemissa Richteri Vita et Orationum biga, antea non edita, prior de arcanis aulae Iustinianeae:

neae: altera de Poetarum raritate, eiusque caussa. Post *paginam* vero 518. accesserunt Mantissae VI, quarum prima Epistolas Casp. Hofmanni ad Varios; secunda Variorum ad Hofmannum; tertia Andr. Dinneri ad Varios; quarta Variorum ad Dinnerum; quinta Variorum ad Varios; sexta denique Iudicia septem v. g. de Scaligeri Thesauro temporum, Barclaii Argenide caet. continet. Sequitur haec omnia Spicilegium post messem illustrium Epistolarum, quas Viri celeberrimi ad Casp. Hofmannum, aliique ad alios scripserunt. Tum finem Operi vtilissimo imponunt Indices partim Auctorum: partim eorum, a quius Epistolae profectae sunt, cum breui notitia, quid in singulis praecipue pertractetur: partim rerum notabilium. Argumenti maxime critici sunt CLAVD. SALMASII *Epistolae*, quarum liber I. cura ANTON. CLEMENTII *L. B. a.* 1656. *in* 4. diuulgatus est. Addidit hic de laudibus et Vita Salmasii Prolegomena, item Epistolam ad Menagium super Herode infanticida, Viri celeberrimi Tragoedia, et Censura Balsacii, iam *a.* 1644. excusam, aliamque Salmasii Epistolam, anno primum 1619. editam, de regionibus et ecclesiis suburbicariis. Promissus in fine harum Epistolarum Tomus II. lucem non adspexit. *Clauis Epistolarum Salmasianarum*, at is quinque saltim paginarum, exstat in COLOMESII *Opusculis p. m.* 177. *sq. editionis Vltraiectinae, a.* 1669. adornatae. Elegantissimae sunt Epistolae CLAVDII SARRAVII, quae separatim *Aransione a.* 1654. *in* 8. deinde, vt supra dictum, cum MARQV. GVDII *Epistolis* prodierunt. Consistunt ex Epistolis Sarrauii ad Viros celeberrimos exaratis, vel horum, praesertim Salmasii, ad ipsum. Non pauca habent arcana de variis eruditis, horum controuersias, iudicia de libris, elogia vel naeuos Scriptorum atque similia. Cf. MORHOFIVS *l. c. p.* 288. vbi inter alia sic ait: *Miscentur illic historica, philosophica, philologica, theologica, neque vlla epistola est, quae rerum sterilis sit, et sola mutua ciuilitate*

absol-

abſoluuntur. Multae ſunt autem in editione priori lacunae, quum varia tunc temporis non deberent tuto publicari. Hae deinde in Sylloge Gudianarum Burmanniana, mutata rerum facie, ſuppletae ſunt. IOS. SCALIGERI *Epiſtolae omnes, quae reperiri potuerunt*, *Lugd. Batauor. a.* 1627. moxque iterum *a.* 1628. *in* 8. *Francofurti* editae, abundant eruditione multiplici, et iucundiſſimae ſunt lectu, cum ob elegantiam dictionis, tum quod ad homines litteratos pleraeque, ac de litteris, aut re litteraria ſcriptae fuerunt. Proponuntur certe in iisdem philologica, medica, mathemathica, chronologica, et quae ad Orientalem litteraturam ſpectant: iudicia item de Viris doctis librisque complura, vt taceam, varia praeter haec ſacri Codicis veterumque Auctorum loca explicari. Primum ſtatim locum occupat perlonga *de vetuſtate gentis Scaligerae* Epiſtola, in qua et de vita vtriusque Scaligeri agitur. Deſunt autem Indices idonei, quod euoluentibus eſt moleſtum. Vid. MARESII *Epiſtolae lib. II. epiſt.* 1. *p. m.* 234. MORHOFIVS *l. c. p.* 285. et praecipue STRVVII *Biblioth. antiqua, m. Martio anni* 1706. *p.* 96. *ſq.* vbi ampliſſima recenſio legi poteſt. Sunt et Epiſtolae Gallica lingua ad Scaligerum ſcriptae, quem librum eſſe rariſſimum, et multa ſingularia de libris et Viris eruditis locisque Auctorum claſſicorum ſuppeditare, MORHOFIVS *l. c.* adfirmat. Produxit eas *Harderouici anno* 1624. *in* 8. IAC. REVIVS hoc titulo: *Epitres Françoiſes des perſonnages illuſtres et doctes à Mr.* IOS. IVST. DE LA SCALA. Subiungit Morhofius, ad intelligendas plurimas res, quae obſcuriores alias videantur, conducere iſtas Epiſtolas, ſi conferantur cum caeteris, ipſius quippe Scaligeri, quarum *Clauem* quoque parauit COLOMESIVS, *Opuſculorum*, ſaepius adductorum, *p.* 143. *ſq.* obuiam. CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHII *Epiſtolae*, viuo adhuc nec inſcio Auctore, primum *Vitemb. anno* 1700. *in* 8. ſunt publicatae, vbi vero nomina doctorum

Viro-

Virorum, de quibus liberius dixerat sententiam suam, expuncta fuere. In *Supplem. Actor. Eruditor. Tomo III. p.* 508. *sq.* recensetur haec editio, quam sequutae sunt *ibid. a.* 1712. et *a.* 1729. duae aliae, sine lacunis et cum Memoria Auctoris, quae IOH. GVIL. BERGERI calamo debetur, et satis copiose atque eleganter est elaborata. Longe tamen eadem locupletior recusa est in BERGERI *Dissertationib. Academicis*, *Vitemb. a.* 1717. *in* 4. *p.* 89. *sq.* Post obitum Schurzfleischii frater ipsius, HENR. LEONARDVS, addidit eiusdem *Epistolas arcanas*, *Halae Magd. anno* 1711. et 1712. *in* 8. editas, quae quasi secundum tertiumque Volumen efficiunt. Vid. de iis *Acta Erud. a.* 1712. *p.* 229. et *p.* 552. *sq.* Dici non potest, quantum eruditionis historicae et litterariae in iis ipsis lateat, ita quidem, vt cum iucunditate non solum ob sermonis venustatem, sed etiam cum vtilitate ob rerum, quibus refertae sunt, praestantiam legantur. Multa in primis ad rationem statumque Imperii Germanici, qualis aetate scribentis fuit, pertinentia memorantur, quae non vulgarem Politices peritiam, animumque patriae amantissimum, ac de salute publica sollicitum, indicant. Iudicia nonnulla, quae rem sacram tangunt, modestum sub examen reuocauit IOH. HENR. VON SEELEN, V. C. in *Praefatione*, *Deliciis epistolicis anno* 1729. praefixa. RICHARD SIMON *Lettres choises* primum prodierunt *Amstaelodami*, vere autem Treuoltii, *a.* 1700. et sequentibus Tomis III. *in* 12. *mai.* optimeque *Amstaelodami a.* 1730. *ead. f.* Tomis IV. Vltimus complectitur totum Volumen quartum Operis, *Bibliotheque critique* inscripti, non satis apte a bibliopola huic adiunctum. Dixi hac de re supra *Cap. VIII. §. 11.* Merito recusae sunt Epistolae Simonianae, antea difficiles inuentu. BRVZENIVS LA MARTINIERE, cognatus et familiaris olim Simonii, in hac noua editione

tione non ſolum Vitam eiusdem et Indicem omnium Epiſtolarum chronologicum praemiſit, addito cuique Epiſtolae argumento, ſed adnotationes etiam ſubiecit paſſim, imo et inſeruit aliqua, in editione priori minime obuia. Negari omnino nequit, haud pauca in Epiſtolis hiſce anecdota litteraria eſſe. Laeti caeteris hoc vnum conqueruntur plerique, quod non acceſſit aliud, rarioribus adnumerandum, Simonii Volumen Epiſtolarum. Lucem id adſpexit *Baſileae*, vel potius multorum ex ſententia *Rothomagi*, *a.* 1699. *in 12.* hoc quidem titulo: *Lettres critiques, où l'on voit les ſentimens de Mr.* SIMON *ſur pluſieurs Ouvrages nouveaux.* Vid. *Act. Er. Lat. a.* 1731. *p.* 423. *ſq.* et REIMMANNI *Catalogus Tom. II. p.* 522. Exigua pars eſt litteratorum hominum, quorum oculos ſubierunt IOH. TRITHEMII *Epiſtolarum familiarium libri II. Hagenoae a.* 1536. *in 4.* et inter *Opera Trithemiana*, curante FREHERO *Frf. a.* 1601. *in f.* excuſa, *Tomo II. num.* 3. Agitur de his in *Bibl. hiſt. Hamb. Centur. II. p.* 290. ac de Epiſtolis *p.* 319. verbis tamen paucioribus. Non igitur inutilem laborem ſuſcepit HEVMANNVS, dum *Nouis Miſcell. Lipſ. Mencken. Vol. II. p.* 109. *ſq.* recenſionem Epiſtolarum illarum inſeruit. Complura iis inſunt, ad cognoſcendam ipſius Auctoris Vitam et mores adcommodata: neque vero deſiderantur etiam quae de ſtudiis Germanorum, vitiis et inſcitia Monachorum, mutationibusque rerum ac litterarum ſaeculo XV. notari merentur. De recudendis iisdem fruſtra cogitaſſe olim IAC. BVRCKHARDVM, obſeruatum iam eſt *§ pho ſuperiori.* Rariſſimae pariter ſunt IAC. VECTIANI *Selectae Epiſtolae*, quarum Pars I. *Bononiae a.* 1601. ac denuo *a.* 1626. *in 8. prodiit.* Plures non conſtat ſucceſſiſſe. Non omnes ipſe Vectianus exarauit: quaedam enim ſunt aliis tribuendae. Commode, ſi quis eas poſſideat, vſurpari poſſunt, vt notitia exinde hauriatur Scriptorum Italorum, qui apud

nos parum sunt noti. Cf. BAYERI *Memor. hist. crit. libr. rarior. p.* 241. *sq.* Statum ecclesiasticum et litterarium praeteriti saeculi egregie illustrant saepius GER. IOH. VOSSII *et Clarorum Virorum ad eum Epistolae*, Collectore PAVLO COLOMESIO *Londini ann.* 1690. *in f* editae ac statim recusae *ead forma Aug. Vindel. a.* 1691. cum Dodecade Epistolarum OE. HIERON. WELSCHII. De Londinensi editione differitur in *Actis Erudit. Latin a.* 1690. *p.* 575. *sq.* candideque monetur, plurimas Epistolas, nitido Vossii stilo et rerum praestantissimarum argumento insignes operatum typographicarum negligentia haud leuiter esse contaminatas, nec in suo repositas omnes loco. Add. TENTZELII *Monathliche Vnterred. a.* 1690. *p.* 699. *sq.* vbi indicantur varia harum Epistolarum argumenta, quae vel ad res ipsius Vossii, vel ad sacras disciplinas, vel ad Historiam litterariam pertinent. OLAI WORMII, *doctorumque Virorum ad eundem Epistolas. Hafn. a.* 1728 *in* 8 *mai.* prelo subiecerat IOH. GRAMMIVS. Sed in fatali incendio, quo eo ipso anno fumauit nobilissima vrbs, dimidia pene harum pars, solo Titulo et Indice destituta, conflagrauit. Summa igitur Collectionis, in optimarum classem referendae fuit raritas, certumque est, quod in auctione Bibliothecae Grammianae duo exemplaria tam auidos nacta sint emtores, vt quoduis viginti prope Imperialibus diuenditum fuerit. Nunc vero, quae supererant in Editoris supellectile, *Hafniae a.* 1751. lacunis expletis, plagulisque combustis restitutis, exhibita sunt Tomis II, qui satis magnum Volumen efficiunt Praemissa est Praefatio, historiam ac fata libri breuiter exponens, item Vita Wormii cum Thomae Bartholini in eius obitum oratione. Hanc sequuntur notulae quaedam Grammii, suo Epistolarum exemplo adscriptae, quae tamen binas paginas non excedunt, tum, Index doctorum Virorum Italorum, Gallorum, Britannorum, Belgarum, Germanorum, Danorum, conspicitur, quibuscum Wormius colloquutus est, et a quibus ad ipsum exaratae litterae sunt. Sub finem autem totius Operis Index rerum ac nominum locupletissimus occurrit. Proponuntur ibidem medica, anatomica, botanica, physica et historica argumenta, et praeter haec res litteraria, linguaeque et Antiquitates Boreales potissimum illustrantur. Merito proinde in *den Leipz gel. Zeit. a.* 1751. *p.* 386. et in *den Götting. gel. Anz. e. a. p.* 1249. *sq.* commendantur Wormianarum litterarum dotes. IOH. WOWERII *Epistolarum Centuriae II, cum Epistolis clarorum Virorum ad eundem Hamb. a.* 1618. *in* 8 curante GEVERHARTO ELMENHORSTIO mendose admodum excusae sunt, adiecto Syntagmate de Graeca et Latina Bibliorum interpretatione. Exempla quaedam annum 1608. per errorem typographi praeferunt, idque MORHOFIVM fefellit et alios. Is ipse interim non perperam *Polyhistoris l. c. p. m.* 301. adse-

adseruit, varias hic institutas esse de multis rebus litterariis consultationes et iudicia: multa, quae agitabantur illo tempore inter viros litteratos, his in epistolis recenseri: scriptas ad illustres fuisse homines, Scaligerum, Meursium, Heinsium, Gruterum, Scriuerium, et plures, cum quibus non nisi erudita tractari potuerint: non paucas tamen Woweri ineditas olim fuisse in Bibliotheca Gudiana, aliquas etiam latitare inter Msta publicae Hamburgensis. Plures ducentis ibidem superesse, omnes autographas, subiungitur in notis ad hunc Morhofii locum. Cf. REIMMANNI *Critique über* BAYLE *Dictionaire Cap. II. p. 57. sq.* Interseruntur *ibidem p. 60.* ex Editoris Praefatione haec verba: *Quae Wowerus improuida incensus ira apud amicos improuide effudit, induxi. Mihi enim animus non est quemquam laedere, etiamsi capital fecerit.* Inde facile ratio adparet, quid lacunae denotent, passim signis quibusdam eminentes. Finem constituant amplo Catalogo *Lettere di* APOSTOLO ZENO *nelle quali contengono molte notizie attenenti all' Istoria letteraria de' suoi tempi, e si ragiona di libri, d' inscrizioni, di Medaglie, e d' ogni genere d' erudita Antichità.* Prodierunt *Venetiis a* 1752. *in* 8. *mai.* Voluminibus tribus. Epistolae, numerum trecentesimum superantes, exaratae sunt ab anno 1697. vsque ad annum 1750, quo viuis ereptus est Auctor. Quantum exinde fructuum promittere sibi queanr Historiae litterariae recentioris, Antiquitatumque ac rei numismaticae amatores, vel ex Diariis patet, v. g *den Leipz. gel. Zeit. a.* 1754. *p.* 75. Optandum est igitur, vt in Latinum Germanicumue translatae sermonem apud nos magis parabiles reddantur. Plures Epistolographos, quamquam id facillimo peragi negotio posset, recensere non licet, quum satis iam diu huic immoratus argumento fuerim. Adeant ii, qui copiosiorem desiderant adparatum, SILV. IOH. ARENHOLD, Viri doctissimi, *Conspectum Bibliothecae vniuersalis historico-litterario-criticae Epistolarum, typis impressarum et manuscriptarum, Hanov.* 1746. *in* 4. Ordine populorum ac temporis dispofuit laborem suum, et in Praefatione consilium aperit, de Bibliotheca Epistolarum vniuersali edenda, cuius haec est ratio, vt non solum Historia Virorum doctissimorum Epistolaris exhibeatur, verum excerpta etiam ex omnibus epistolis suppeditentur, arcana et noua litteraria, singularia prorsus, continentia, nec aliunde iam nota. Hoc quidem diu ante in votis habuit TENTZELIVS, cuius hic inspiciatur *Curieuse Bibliothec, Reposit. I. p. 200. sq.* vbi inter alia suadet, vt Excerpta eiusmodi secundum locos communes adornentur, theologicos quippe, iuridico-politicos, medico-physicos, philologicos, antiquarios, historicos, tam ecclesiasticos, quam ciuiles ac litterarios, geographicos, astronomicos, rhetoricos, aliosque mathematicos et philosophicos:

 illud

illud vero meditatum aliquando esse HENR. LVDOLPH. BENTHEMIVM, summum in Ducatu Harburgensi Sacerdotem, commemoratur *in den Leipz. gel. Zeit. anni* 1716. *p.* 87. Imo eodem loco additur, IOH. ELIAM VLICHIVM, sacri Ordinis in Saxonia Virum, praecipua capita philologica, critica et historica, ex compluribus Epistolographis collecta, proferre in lucem voluisse. Horum autem hominum conatus quum successu caruerint, meliorem ego fortunam precor clarissimo ARENHOLDO. Moles negotii tanta est, vt id sperandum vix videatur, nisi cum aliis quibusdam inierit societatem. Praeter Morhofium, saepius laudatum, adhiberi etiam potest hoc loco *Catalogus Biblioth. Bunauianae, Tomi I. Vol. 3. p. 1902. sq.* et, si quis scriptores Epistolarum medicarum sibi reddere notos voluerit speciatim, KESTNERI *Biblioth. medica, Tomo I. cap. 6. sect. 2. p. 291 sq.*

§. XXIV.

Restat, vt *Itineraria* quaedam recenseantur, quae multum pariter ad eruditionem omnem, in primis rem litterariam, conducunt. Vtilitatem instituti huius varii docuere, veluti CAROL. CAESAR BAVDELOT DE DAIRVAL libro singulari *de l'utilité des Voyages, qui concerne la connoissance des Medailles, Inscriptions, Statues, Manuscripts, langues, et l'avantage, que la recherche de toutes ces Antiquitez procure aux Savans, caet. Parisiis* primum *anno* 1686. deinde *ibidem anno* 1693. *in* 12. *cum fig. aen.* Tomis II. edito, nouissime autem recuso *Rothom. 1727.* Priorem editionem indicant, quidque huic boni insit, fusius ostendunt *Acta Erud. Lat. a 1688. p. 117. seq.* Vtrum litteratis prodesse queant, nec ne, peregrinationes? *Regiom. anno 1725.* Dissertatione quadam disquisiuit REINOLD. HORNING; quam videre tamen non contigit. Alias exstant quoque: IENKINI THOMASII *Orat. de peregrinationis litterariae insigni vtilitate in studio cum primis theologico, Basil. a. 1707. in 4.* euulgata, iterumque in *Dissert.* eius *Academ. Altorfii anno 1712. in 8. p. 40. sq.* IOH. OVIL. BEROERI *Progr. de Icto peregrinatore*, scriptum *Vitemb. 1740.* insertumque, aliquot annis post, *Stromateo Academico p. 803. sq.*; THOM. BARTHOLINI *de peregrinatione medica Tractatus, Hafniae 1674. in 4*, vbi non solum quae ipse in itinere Italico obseruarat, exponit, sed iuuenibus quoque medicis viam commonstrat, quae simili ratione iis adferre vsum possit: HENR. VON SANDEN Diss. *de peregrinatione Medici, Regiom. 1725. in 4*: CHRIST. STEPH. SCHEFFELII *Progr. de peregrinationibus Philiatrorum, earumque vtilitate, Gryphisw. 1730. in 4*; Viri illustris, CHR. GOTTLIEB BVDERI, *Praef.* doctissima *de itineribus eruditorum Virorum, rei historicae fructuosis*, quae *Tomo II. Diplomatariorum et Scriptorum Histor. German. medii aeui, ab* SCHOETTGENIO

GENIO *et* KREYSIGIO *collectorum*, *Altenb. a. 1755. in f.* praefixa est; IOH. FABRICII *Orat. de vtilitate*, *quam Theologiae studiosus ex itinere capere potest Italico*, adiectis figuris, notis et inscriptionibus, *Altorf. 1678. in 4*, ANDR. ADAMI HOCHSTETTERI *Orat. de vtilitate peregrinationis Anglicanae*, *Tubingae 1697. in 4*; et BERNH. RAVBACHII *Orat. de vtilitate peregrinationis Danicae*, primum *Kiliae anno 1712. in 4.* tum longe auctius, libri singularis forma, *Hamb. a 1717. in 8.* excusam. Nunc ad ipsos itinerum Scriptores, eosque ex magna turba selectos. SAM. SORBIERIVS in *Relation d'un Voyage fait en Hollande*, quod opusculum insertum est eius *Relations*, *Lettres et Discours sur diverses matiéres curieuses*, *à Paris 1660. in 8. p. 11. sq.* multa habet de Medicis, Mathematicis et Philologis Belgis, sed non omnia sunt memoratu digna, neque iucundam reddunt lectionem perpetuae de Auctoris rebus angustis querelae. Melior est *Relation d'un Voyage fait en Angleterre*, *à Paris 1664. in 12.* et *Coloniae a 1666. ead. forma.* Liberius autem, quum de quibusdam disseruisset, non omnium plausum tulit hoc labore; imo in Gallia, publica auctoritate suppressus liber, ipseque Sorbierius, per breue temporis interuallum, pulsus in exilium est. Vid. NICERONII *Vitae Eruditor. P. IV. p. 257.* et *265. edit. Germ.* Opposita etiam illi fuit THOMAE SPRATII *Epistola apologetica*, hoc edito titulo: *Observations on Mr.* DE SORBIERE's *Voyage in to England*, *Savoy 1668. in 12.* iterumque *Londini a 1708. in 8. mai. Ibidem a 1709.* accessit SORBIERII Relatio ipsa, in Anglicum translata sermonem. *Amstaelodami* porro *a 1675. in 12.* exiit Anonymi *Reponse aux faussetés et invectives de la Relation d'un Voyage d'Angleterre.* Italicam versionem Sorbieriani libelli, *Bononiae*, nescio quo anno publicatam, NICERONIVS *l. c. p. m. 266.* memorat. CAROLI PATINI *Relations historiques et curieuses de Voyages en Allemagne*, *Angleterre*, *Hollande*, *Boheme*, *Suisse*, primum *Basil. a 1673.* deinde *Lugduni 1674.* tum *Amstael. a 1676.* postremo *Rothomagi eod. anno in 12.* prodierunt, item Italice *Venetiis a 1685. in 12.* hoc titulo: *Viaggi del* CARLO PATINI *trad. dal Francese per opera di* ANT. BVLIFON. Praecipue ibi memorabilia singularia leguntur, quae in variorum Principium Cimeliarchiis obseruauerat Auctor. Antiquitates vbique conquisiuit, easdemque interpretatus est cum Ge. Whelero IAC. SPONIVS. Operis haec inscriptio: *Voyage d'Italie*, *de Dalmatie*, *de Grece*, *et du Levant*, *fait aux années 1675. et 1676. par* IAQ. SPON *et* GEORGE WHELER, *Lugduni a 1678.* Tomis III. *in 12.* post *Amstael. a 1679*, ac denuo *ibidem a 1697. in 12.* Tomis II. Accedunt singulis editionibus figurae aeri incisae. Germanica huius Itinerarii versio, a IOH. MENVDIER, Gymnasii Baruthini CHRISTIAN. ERNESTINI Professore, parata,

rata, *Norimb, a 1690. in f.* lucem. vidit. Quum etiam *Lut. Parif. a.* 1679. *in* 12. GVILLETVS edidiffet *Lettres ecrites fur une Differtation d'un Voyage de Grece, publiée par Mr.* SPON: ftatim fucceffit *Lugduni eodem anno eademque forma*, ipfo Sponio auctore *Réponfe à la Critique, publiée par Mr.* GVILLET, *fur le Voyage de Grece de* IAQV. SPON. Separatim, non ita diu poft Sponii Itinerarium, collecta ab fe, et quidem, vt videtur, Anglica lingua typis imprimenda curauit WHELERVS. Quamquam enim eius Itinerarium in plerisque cum Sponiano congruit, haud parum locupletius dici tamen meretur. Nam Sponius cognitioni antiquorum monumentorum praecipue ftudium fuum addixerat, aliarum rerum minus curiofus. Whelerus e contrario, praeter iftarum defcriptionem, variis Obferuationibus, ad res maxime naturales pertinentibus, animum occupauit: aliquot hebdomadis quoque diutius in Graecia eft commoratus, et regiones quasdam peragrauit, quas Sponio videre non contigerat, reditum fcilicet maturanti: praeter ea in quibusdam contradicere comitis fui relationibus neceffum duxit, quoniam hunc plus vice fimplici Commentarios atque Diaria fefelliffe deprehenderat. Cf. *Acta Erud. Lat. anni* 1689. *p.* 460. *fq.* vbi recenfetur liber ille Whelerianus, *Amftael. a* 1689. *in* 12. Tomis II. a quopiam Gallice redditus, at non perfecte pleneque; nam potiora tantum capita expreffit interpres. Interim praeclara exinde difci poffunt, fiue hiftoriam naturalem, fiue litterariam, fiue Geographiam fpectaueris, quam fedulo excolere, erroresque cum veterum, tum recentiorum, corrigere ftuduit Auctor. Qua quidem occafione variis Strabonis, Paufaniae, et aliorum locis luminis non nihil attulit. Complura etiam aeri infculpta occurrunt, ex quibus clarius perfpicitur momumentorum, aedificiorum, ruderum, caet figura er fitus In *Voyage d'Italie curieux et nouveau*, qui libellus *Lugduni a* 1681. *in* 12. prodiir, et, vt Praefatio aperit, ab HVGVETANO, huius vrbis Aduocato, compofitus eft, quaedam, antea non obferuata ab aliis, dicuntur. Praecipue autem binae IAC. SPONII Adpendices hic fibi locum vindicant, in quarum altera Bibliothecarum, Pinacothecarum, et plurium praeftantiffimarum rerum apud Romanos, clarorum item eruditione hominum, qui tunc temporis Romae floruerunt, notitiam fuppeditat: in altera vniuerfae Italiae Viros, doctrina vel artificiis, praeterito faeculo, nobiles, recenfet, quem tamen Catalogum ex GREGOR. LETI *Italia regnante* maximam partem defumfit Sponius. Vid. *Acta Erud. Lat. anni* 1682. *p.* 85. Bibliothecarum potiffimum, et eruditorum, quibuscum conuerfatus eft, rationem habuit IO. MABILLONIVS in *Itinere* fuo *Germanico*, anno 1683. inftituto. Primum id publicauit in *Veterum Analectorum* Tomo IV, *Lutet. Parif.*

Parif. a 1685. *in* 8 edito; deinde feorfim recufum eft, cum LAVNOII libro de fcholis a Carolo M. et poft eum in Occidente inftauratis, curante IOH. ALB. FABRICIO, *Hamb. a* 1717. *in* 8; tandem infertum iterum *Analectis* memoratis, quae *Parif. a* 1723. *in f.* fecundum exhibita fuere. Idem Mabillonius iter Italicum, quod ipfe cum Mich. Germano, hortatu Telleri, Archiepifcopi Rhemenfis, fufceperat, ad conquirendam, regiis fumtibus, fupellectilem librariam, defcribit in *Mufei Italici Tomo I. Parte* I. Abfolutus hic *Parif. a* 1687 *in* 4. *mai.* Alter Tomus, alia continens, *ibidem a* 1689. fucceffit. Vterque typis repetitus *ibidem a.* 1724. *ead. forma.* Cf. *Tom. I* huius *Biblioth. litter. p.* 127. Quum ipfius negotium praecipuum fuerit, vt peruestigaret praeftantiores Italiae Bibliothecas, harum potiffimum thefauros indicat. *Voyage de Suiffe en douze Lettres, écrites par les Srs.* REBOVLET *et la* BRVNE, *Hagae Comit. anno* 1686 *in* 12. e prelo exiit. Praeter alia, multa ibi de viris doctis proponuntur. Huc itidem fpectant BENED. HOPFERI, Profefforis Tubingenfis, *binae Epiftolae*, anno 1673. et 1674. exaratae, in quibus de doctis agit hominibus, quos apud Anglos, Gallos, Belgas, Saxones inferiores, Danos Suecosque falutauit. Finem hae imponunt MARESII *Epiftolis*, *Lipf.* 1686. editis, *p.* 673. *fq.* GILB. BVRNETI *Voyage de Suiffe, d'Italie, et de quelques endroits d'Allemagne et de France* primum Anglice prodiit *Roterod. anno* 1686. quartumque eadem lingua *Londini a.* 1724. *in* 8. Gallice librum accepimus *Roterod. a* 1687. et ex editione tertia, Vita Auctoris ornata, *ibidem a.* 1718. *in* 12. Tomis II. Germanice etiam *Lipfiae a.* 1688. *in* 12. quae tamen interpretatio non eft optima. Adcuratiorem praedicat titulus tertiae editionis, quae *a.* 1693 *in* 12 *ibidem* producta in lucem eft. Eae, quas confpexi, editiones deftitutae funt rerum memorabilium Indice, quod moleftum fane reddit libri vfum. Epiftolae funt, compluribus refertae, quae Hiftoriam litterariam variis modis illuftrant. Haud enim ftatum ciuilem atque chorographiam in quolibet loco curae habet folum, verum etiam de Bibliothecis, Virisque, qui tum doctrina celebres fuerunt, differere folet. Progredior ad MAXIMIL. MISSON. Ab eo profecti funt Commentarii de itinere per Italiam inito. In lucem hos protulit ipfe *Hagae Com. anno* 1691. hoc quidem titulo: *Nouveau Voyage d'Italie.* Tanto liber plaufu eft exceptus, vt *ibidem a* 1694. 1698. et 1702. quintumque *Vltraiecti a* 1722. Tomis IV. *in* 8 recufus fuerit. Secundae editioni primum acceffit: *Memoire contenant des Avis utiles à ceux, qui voudront faire le même voyage.* Sequuta noua editio *Parif. a.* 1744. *in* 12. *mai.* totidem Tomis. Anglica quoque verfio proftare dicitur, fed manca paffim atque inperfecta. Melior Germanica eft,

Lipsiae anno 1701. in 8. Voluminibus II. a CHRIST. IVNCKERO diuulgata. Hanc vero non parum superat alia editio, *ibidem a.* 1713. Voluminibus III. adornata, quam sub limam reuocauit, notisque haud contemnendis instruxit IOH. EHRENFRIED ZSCHACKWITZIVS. Nescio an et Belgica prodierit versio, cuius mentio iniicitur in *den Leipz. gel. Zeit. anno* 1722. *p.* 467. Cf. *ibidem pag* 345. Permulta Missonus ex Antiquitatibus et Historia litteraria Italiae dictione iucunda refert, tabulis, vbi opus videbatur, aeri incisis decorata. In posterioribus libri sui editionibus passim adiecta sunt quaedam noua, ideoque hae longo post se interuallo relinquunt priores. Illi, quae *Vltrai.* 1722. fuit repetita, adnectere placuit IOSEPHI ADDISONI *Remarques sur divers endroits d'Italie, pour servir au Voyage de Mr.* MISSON. Anglice conscriptum hoc Itinerarium *anno 1705. Londini*, ac deinde cum ipso Missoni Opere, eandem in linguam translato, *anno 1714. ibidem* exiisse legi. Post *Hagae Comit.* 1718. *in* 8. separatim recusum est Anglice, quod et factum *Londini* 1745. *in* 8. hoc titulo: IOS. ADDISON's *Remarks on several parts of Italy.* caet. *in the Years* 1701. 1702. 1703. Germanico tandem sermone librum eundem exhibitum noui *Altenburgi anno* 1752. *in* 8. Notare autem studuit Addisonus ab aliis vel plane non, vel perperam obseruata. Spicilegium post messem instituit laudabili conatu IOACH. CHRISTOPH. NEMEITZIVS *in der Nachlese besonderer Nachrichten von Italien, als ein Supplement von* Misson, Burnet, Addison, *und andern, Lipsiae* 1726. *in* 8. Partibus II. Multa, quae in mathematicis, physicis ac chymicis penes Viros celeberrimos cognouerat BALTH. MONCONYSIVS, communicauit, cum harum rerum amatoribus in *Journal des Voyages* caet. Opus hoc, paullo post mortem parentis, primum quidem *Lugduni Gallorum a.* 1665. et 1666. Partibus III. *in* 4. *cum fig. aeneis* euulgauit filius, CASPARVS; at quum supra iusto loco praetermissum sit, et editio *Parisina*, quae *anno* 1695. *in* 12. parata est, a grauissimis purgata erroribus dicatur in *Actis Erud. Lat. a.* 1696. *p.* 1. malui vtilissimum Itinerarium hic recensere, quam nullam eiusdem facere mentionem. Praeter scientias enim, ante memoratas, Historiae etiam cum ciuilis, tum litterariae, Geographiae porro, Antiquitatum, artisque pingendi studiosi varia exinde discere queunt. Non igitur inanis fuit labor CHRIST. IVNCKERI, quippe qui id ipsum, Germanice redditum, *Lips. a.* 1697. *in* 4. excudendum curauit. Neque ex librorum eiusmodi classe eiici debent HENR. LVDOLPHI BENTHEMII *Englischer Kirch- und Schulen-Staat, Luneb. a.* 1694. iterumque longe auctius *Lips. a.* 1732. *in* 8. *mai.* item *Holländischer Kirch-und Schulen-Staat, Martisb. a.* 1698. *in* 8. Quae bina volumina saepe a me adhibita,

adhibita, complura bonae frugis iis offerunt, quibus sacrae disciplinae et Historia litteraria in deliciis esse solent. MARTINI LISTERI *Journey to Paris in the Year* 1698. primum *Londini* dicto *anno*, et bis *ibidem a.* 1699. *in* 8. prodiit, *Suobaci* quoque *a.* 1753. *in* 8. Germanice. Singulae editiones habent figuras aeneas. Varia complectitur hocce Itinerarium Parisiense, quae ad rem litterariam naturalem, artificialemque pertinent. De IACOBI TOLLII *Epistolis itinerariis*, quae *Amstael. a.* 1700. *in* 4. HENNINII notis, figurisque ornatae lucem adspexerunt, nolo repetere alio loco iam dicta. Vid. *Tomus I. Biblioth. litter. Cap. II.* §. 3. *p.* 129. *Ibidem p.* 127. actum etiam de BERN. DE MONTFAVCON *Diario Italico, Parisiis a.* 1602. *in* 4. emisso, quod plenum est obseruationum, Antiquitates Italiae et Bibliothecarum Historiam illustrantium. CHRIST. HENR. ERNDL, Medici olim Dresdensis, *de itinere suo Anglicano et Batavo, annis* 1706. *et* 1707. *facto, Relatio,* nomine Auctoris non nisi Siglis indicato, primum *Dresdae*, vt videtur, *anno* 1710. atque mox iterum *Amstaelod. a.* 1711. in 8. typis est impressa. Exhibet libellus, de quo euoluatur *die Neue Häll. Biblioth. Vol. I. p.* 508. *seq.* varia de anatomicis, chirurgicis, botanicis, omnique materia medica. Nec desunt, quae in re litteraria possint vsurpari Non nulla, ab Erndlio de Bibliotheca Guelpherbytana et Salinarum Valle scripta, examinauit multiplicisque arguit falsitatis Ian. Gregor. Betulius, i. e. IOH. GE. BVRCKHARDVS, Vir illustris in aula Brunsuicensi, in *Epistola ad Amicum, Hanouerae a* 1710. *in* 8. Addidit idem *anno* 1711. *Epistolam alteram*, statimque ipsi respondit ERNDLIVS in secundae editionis Amstaelodamensis *Praefatione* Reliqua, quae hic locum sibi vindicant, suppeditat IOH. HENR. BVRCKHARDI *Bibliotheca, Parte I. p.* 156. Non multa solum Templa et Monasteria delineantur, verum Epitaphia etiam atque Inscriptiones, cum recensione eritica Codicum diuersorum, manu exaratorum, occurrunt in *Voyage litteraire de deux Religieux Benedictins de la Congregation de St. Maur.* Sunt ii doctissimi Viri, EDMVND. MARTENE, et VRSIN. DVRANDVS. Prodiit Opus *Paris. a.* 1717. *in* 4. Tomis II. Successit eorundem *Second Voyage litteraire ibid.* 1724. *ead. forma.* Vtrumque Itinerarium figuris aeneis superbit. Quum in primo itinere, per totam Galliam satis diu confecto, memorabilia vbique locorum reperta sedulo notassent Auctores, in Volumine posteriori ea exponunt, quae ex peregrinatione in Brabantiam, Westphaliam, itemque tractum Rhenanum ad Larem suum familiarem pertulerant. Quantum inde in Historiam litterariam emolumenti redundet, vel ex speciminibus patet, quae *Acta Erud. Lat. anni* 1725. *p* 54. *sq.* exhibent. Eodem in Diario, *a.* 1718. *p.* 488. de primo Volumine sermo est.

Priori quoque loco, *anno* nimirum 1725. *p.* 312. non vulgari modo recensetur IOH. IACOBI SCHEVCHZERI *κρεσιφοίτης Helueticus*, *siue Itineraria per Heluetiae Alpinas regiones facta ab a.* 1702. *vsque ad a.* 1711. solo anno 1708. excepto. Priora tria Itinera iam *Londini a.* 1708 *in* 4. ediderat Auctor: deinde vero caetera adiunxit, et omnia, plurimis tabulis aeneis illustrata, simul diuulgauit *Lugd. Bat. a.* 1723. *in* 4. Tomis IV. facile vnum in Volumen redigendis. Praecipua ipsius cura fuit, vt Naturae miranda, quae larga manu spectanda praebet Heluetia, in genere, speciatimque montium curiosa quaecunque inuestigaret atque desciberet. Vid. denuo *Acta Erud. Lat. anno* 1709. *p.* 77. et *anno* 1725. *p.* 312. *sq.* Insignis certe libellus est, et Obseruationum litterariarum copia repletus, qui *Hagae Com. a.* 1735. *in* 12. *mai.* Auctore haud nominato, (esse tamen hunc CAROL. STEPH. IORDANVM, nemo ignorat,) sequenti titulo exiit: *Histoire d'un Voyage litteraire, fait en* 1733. *en France, en Angleterre et en Hollande*, caet. Exstant exemplaria, annum 1736. quae praeferunt: at in his nihil mutatum additumue, praeter Epistolam LACROZII, ad Auctorem exaratam, ideoque exemplaria haec vnius credo editionis partem esse Quibus non est ad manus Opusculum, ii consulant *Nouorum Actor. Erud Lat. Supplementa*, *Tomo II. p.* 272. *sq.* vbi tamen sub finem recensionis candide monetur, inter res selectiores vulgaria etiam et inutilia quandoque narrari. *Annus* 1740. *Hanouerae* protulit IOH. GE. KEYSSLERI *Neueste Reise durch Deutschand, Boehmen, Ungarn, die Schweitz, Italien und Lothringen*, caet. cum tab. aen. Duae sunt Partes *in* 4. quarum altera *a.* 1714. edita. Opus Epistolarum compositum methodo, spectat ad Historiam ciuilem, naturalem, litterariam, ad rem numismaticam et Antiquitates, nec non ad Architecturam, Artesque mechanicas, pictoriam et statuariam. Nouam editionem, et auctiorem quidem ex Keyssleri schedis, cum Vita eiusdem adornauit *ibidem a* 1751. V. C. GODOFR. SCKÜTZIVS. Belgica Versio *Amstael. a.* 1756 *in* 4 excusa typis est. Permulta quoque litteraria, variis passim nullius momenti permista, inueni in ZACH. CONR. AB VFFENBACH *merckwürdigen Reisen durch Nieder-Sachsen, Holland, und England*, cuius Itinerarii Pars I, IOH. GE. HERMANNI Vita Auctoris, tabulisque aeneis instructa, studio IOH. GE. SCHELHORNII, cui legauerat Vffenbachius Diarium hocce, *Frf. et Lips. a.* 1753. *in* 8. *mai.* prodiit. P. II. ac III. successit *anno* 1754.

Explicit Tomus II.

LITTERIS STRAVSSIANIS.





